Ka 4574

II.

Jurisprudenz.

№ 9554 ✻

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-22924/fragment/page=0002

Quæstionum Iuri-
CAESAREI, PONTIFICII, ET SAxonici,

Centuria vna

OPVS TAM PRACTICIS ET forensibus, quàm Scholasticis, & Theoricis studijs operam nauantibus, adprimè vtile, iucundum & necessarium,

Authore

EBERHARDO SPECKHAN, Patricio Bremensi I. V. D. & Professore in Illustri Iulia Academia, quæ est Helmæstadij.

ACCESSERVNT PERIOCHAE SIVE Summaria synoptica singularum Quæstionum, quibus vno quasi aspectu & intuitu proposita quæstionis materia conspicienda exhibetur & repræsentatur. Item Index geminus, vnus Quæstionum, qua hac Centuria explicantur. Alter Rubricarum siue Titulorum generalium, iuxta seriem Alphabeti digestus, ad quos singulæ quæstiones, veluti ad sedes & classes suas ordinarias rediguntur.

Cum gratia & priuilegio ad decennium.

HELMSTADII
Typis Iacobi Lucij, Impensis Ludolphi Brandes Senioris. M. D. XC.

L 39,

Epistola Dedicatoria.

AD REVERENDISSIMVM, ILLVSTRISSIMVM, ET GENEROsissimum Principem ac Dominum, D. HENRICVM IVLIVM, postulatum Episcopum Halberstadensem, Ducem Brunouicensium & Lunæburgensium &c. Magnificum & perpetuum Academiæ Iuliæ Rectorem, & Cancellarium, Dominum suum clementissimum.

ANnus nunc agitur nonus, Reuerendissime, Illustrissime, ac Generosissime Princeps, Domine clementissime, quò primum in hac illustri Iulia Academia lares, sedem, ac domicilium meum fixi: septi-

mus verò, quo ab Illustrissimo & nunquam satis laudato C. T. parente D. IVLIO, piæ recordationis, in numerum professorum Iuris susceptus & cooptatus fui. Ab eo tempore, quàm mihi salus & incrementum Illustris huius Iuliæ Academiæ cordi semper fuerit, quantūq; operis & laboribus meis studiosæ iuuentuti commodârim, testantur prælectiones meæ, quas in frequentissima semper auditorum præsentia habui, & quæ etiamnum quotidie in studiosorum manibus versantur, quas etiam, si

me

me Dominus superstitē diutius voluerit, lucem aliquando publicam videre faciam. Iamdudum etiam Quæstionum Iuris Cæsarei, Pontificij, & Saxonici, Centurias aliquot meditari & parare cœpi, quibus selectiores, & in vsu vitaque quotidiana frequentiores quæstiones explicantur, quarum primam, non sine aliquo Reipublicæ literariæ bono commodoq;, vt omninò persuasum habeo, nunc in publicum (læto faxit Dominus auspicio) prodit. Cum autem omnibus hoc scriptoribus, veluti fato

quodam ſuo, vſu venire ſemper ſoleat, vt varia variorum, tum æqua, tum iniqua iudicia, experiantur & incurrāt, ab hoc laudentur, ab illo (idq; frequentius) culpentur, vituperentur, vellicentur, carpantur, reprehendantur, & virulentis, venenatiſq; dentib⁹, infeſtiſsimè non rarò mordeantur: Ad T. C. clemētiſsime Princeps, tutelā protectio nemq;, tanquā ad aſylum aliquod, mihi confugiendum fuit, vt in eo à morſib⁹ iſtorū tutius & ſecurius cōmorari & deliteſcere poſſem: tū etiā, vel hoc maximè nomine, quod

quod haſce laborũ meorum, qua ſi primitias, nulli iuſtius, quã C. T. deberi exiſtimaui. Accipe igitur, Reuerendiſsime præſul, princeps ac Domine clemẽtiſsime, hoſce qualeſcunq; labores meos, eo animo, quo offeruntur, memor Vulgati iſtius: χαριτῶν τὸν θύμον ἄριστον. Quod ſi fecerit C. T. ſatis vberes mei in hoc opuſculo impenſi laboris fructus percepiſſe videbor. Interim Deum Opt. Max. toto pectore oro, vt R. C. T. cũ illuſtriſſima familia, quã diutiſsime ſuperſtitẽ cõſeruet, omneſq; actiones, atq; adeò vniuerſæ

gubernationis cursum, ad nominis sui gloriam, tutelam & incrementum Ecclesiæ suæ, & Christianæ ac literariæ Reipublicæ commodum, dirigat, prosperet ac fortunet. Datæ in Illustri Iulia Academia, quæ est Helmstadij, 24. Februarij, Anno Salutis 1590.

R. & I. C. T.

Subiectissimus & obsequentissimus, Eberhardus Speckhan Bremensis.

Ad candidum & beneuolum lectorem.

ECce habes candide lector centuriam primam quæstionum Iuris Cæsarei, Pontificij, & Saxonici, quam multis nominibus tibi commendare possum: tum propter vtilitatem & varietatem materiarum, quæ multum nos delectare solet: tum propter ipsam tractationem, dispositionem ac digestionem, partim ad formam consiliorum quàm proximè accedentem, partim etiam per ampliandi limitandiq; rationem, huic generi accommodatissimam, pra

cticumq; studium sectantibus, vsitatissimam, procedentem: tum etiam propter accuratam numerationem, distinctionem, & fidem allegatorum infallibilem: tum deniq; propter Synopsin annexam, qua singularum quæstionum summa, dispositio & materia vniuersa, tàm breuiter, perspicuè, succinctè & dilucidè oculis subiicitur repræsentatur & exhibetur, vt vno quasi momento, vnoq; contuitu & aspectu, non modò perlustrari, sed vel inter ambulandum, aliudq; agendum, memoriæ penitus mandari sine vllo labore possit, idq; vel eò etiam facilius, quod ἑτερογένεια, peregrina, vel extranea, nulla sint admixta

mixta, sed quod singulæ materiæ suis quæstionibus atq; titulis, aptißimè respondeant, & ne vel in minimo quidem ab iis recedant, vel exorbitent. Quibus accedit & illud, quod non tantum singulæ quæstiones hac centuria contentæ, in calce operis subijciuntur, sed Index etiam titulorum siue Rubricarum generalis, ad ordinem & seriem literarum digestus, annectitur, ad quas singulæ quæstiones veluti ad sedes suas ordinarias, rediguntur. Accipe igitur amice lector, primam hanc centuriam, eo animo quo datur, & citra calumniam lege, vtere ea atq; fruere. Quam si pla-

placere tibi (vt omninò perſua-ſum habeo) animaduertero, in poſterum, σὺν θεῷ. & breui quidem, plures expecta-bis. Vale.



CLA-

CLARISSIMO VIRO, EBERHARDO SPECKHAN, Doct. Iureconsulto, & in Acad. Iulia Professori, affini suo.

AVdieram gemini te multa volumina Iuris
Voluere sollicitâ nocte dieq́ manu:
Vt credam auditis, operum facit vna tuorum
Pars, studio nuper publica facta bono.
Quantus ibi numerus scriptorum? quanta supellex
Non iniucundæ cognitioq́ rei?
Alea iacta tibi: nunc expectanda legentis
Arbitria, & sæcli calculus huius erit.
Interea autorum monumenta euoluere perge,
Inq́ suas classes optima quæq́ refer.
Sit tamen in cunctis suus & modus, & suus ordo:
Hæc quoq́ res curæ pars erit vna tuæ.

M. Henricus Meibomius,
in acad. Iulia Poëtices &
historiarum Professor.

QVAESTIO I.

Securitas siue saluus conductus semel concessus, vtrùm indistinctè seruari debeat?

I.

SEcuritatem siue saluum conductum semel concessum, regulariter seruari debere, tradit Cyn. in l. præsenti nu. 5. C. de his qui ad Eccles. confug. & notat Cagnol. in l. ea natura cauillationis est, nu. 23. de reg. iur. Iaſ. in l. conuentionum nu. 3. Alexand. de Imol. nu. 4. de pact.

2 Quemadmodum enim adpellatione interposita, vt quæ iudicatum suspēdit, l. 1. §. fin. ad SC. Turpil. l. si causa cognita, C. de transact. nihil debet innouari, l. 1. nihil nouari adpellat. interpos.

ita securitate pendente, nihil aduersus eam innouandum est, Vital. de Cambā. in Rubr. Nihil nouari secur. pendent.

3. Ampliatur supra dicta regula Primò, vt procedat etiā in hoste. Nam etiā hosti fides & securitas semel data, seruari debet, l. fi. in prin. de leg. gl. in l. 1. & in l. 2. verb. hostes, de dol. mal. l. cognitionū, de bon. auctor. iud. possid. c. noli existimare, 23. q. 1. sequitur Ang. in l. vtimur, n. 3. & 4. de sepulch. violat. Matth. item Coler. de processib. execut. part. 4. c. 1. n. 187. Qui autem dicantur hostes, & de variis eorum distinctionibus & differentiis, vide F. Hotom. q. Illustr. 7.

4. Ampliatur Secundò, supra dicta regula, vt procedat etiā de iure Saxonico, Landr. lib. 2. art. 14. §. kommen sie den nit/ vbi habetur, quod accusatus de homicidio, si offerat defensionem suæ innocētiæ, debeat habere pacem, Man sol jme friede wircken: vel vt cōmunis habet formula pacis, Man sol jhme geleit zu Recht vnd vor vnrechter gewalt vnd nicht weiter geben / Peinlich Halßgerichts Ordnung Caroli

Caroli V. art. 156. in fin. & art. 76. Idem cautũ est art. 4. in princ. ibiq; gl. in verb. Wer sich auß eod. lib. 2. vbi dicitur: Wer sich einer Bezichtigung entreden wil / den sol der Richter dazu vergleiten. Matt. Coler. d. tract. par. 4. c. 1. nu. 189. & 190.

5. Ampliatur Tertiò supradicta regula, vt procedat in tantum, vt si quis fidem vel securitatem semel datam violauerit, tàm de iure ciuili, quàm Saxonico, puniendus veniat. Matth. Coler. d. modò part. 4. c. 1. num. 191. Qua de pœna, peculiari capite dicam 1. quæst. proximè sequenti, vbi vide.

6. Ampliatur Quartò supradicta regula, vt securitas, liberaq; facultas, data intelligatur, non solùm ad veniendũ siue accedendũ, sed etiã ad recedendũ. Sicher Gleid zu vnd abe. Cum securitas veniendi, includat etiam securitatẽ recedendi. Mynsing. cent. 1. obs. 82. vers. q si alicui. VVes. in Commentar. ad Tit. C. de satisd. nu. 4. Et in supplementis ad Sneid. Instit. de Satisdat. num. 5. vers. continet autem liberam &c. per ea quæ

ab vtroq; allegantur. Quam tamen hoc casu, fragilem cautionem vocat Iacob. Menoch. cons. 100. nu. 185.

7. Ampliatur Quintò supra dicta regula, vt locum habeat etiam in causa adpellationis. Ea namq; interposita, securitas dari debet, vel data semel, seruari, Alber. de Rosat. in 4. part. statut. q. 40. Refert & sequitur Menoch. de arbitr. Iudic. quæst. lib. 1. q. 81.

8 Primò limitatur supra dicta regula, vt nõ procedat, si securitas data fuerit ex abrupto, & sine causæ cognitione, vel contra expressa legum scita, puta pro manifesto & notorio maleficio. Ista nanq; securitas, siue (vt etiam adpellant) fidantia, non est seruanda, ff. sed neq; homicidis, in Auth. de mandat. Princ. collat. 3. Angel. in tract. de maleficiis, verb. fama publica, nu. 60. Quò pertinet Felini illud, in c. accedens, 2. num. 3. extra vt lit. non contest. securitatem illicitè datã, licitè frangi. Quod ante Felinum retulit Iohan. de Imola, in l. is qui reus, & public. iudic.

Idq;

9 Idq; adeò verum est, vt licet Iudex promissionem indemnitatis, aut remissionis culpæ fecerit reo, ad eliciendam confessionem imputati vel diffamati criminis, eam tamen fallere possit, & nihilominus ad pœnam confessi criminis procedere, ne scilicet delicta impunita maneant, Iohan. de Imola in d. l. is qui reus, ante fin. de publ. iudic. Quod tamen Felinus in foro tantùm ciuili, politico, & contentioso, non etiam in foro conscientiæ siue poli, locum habere rectissimè ait, in d. c. accedens, 2. num. 3. Qua de re peculiari capite dicam pluribus inf. quæst. 2. vbi vide.

10 Item adeò verum est, vt Iudex superior, talem fidantiam, à Iudice inferiore factam, ratam habere non cogatur: tùm, quòd Reipublicæ interfit, delicta puniri, l. ita vulneratus, 51. circ. fin. ad l. Aquil. l. si operis publici 14. C. de pœn. cum simil. tum etiam, quòd superior, legibus aut pactis inferioris non ligetur, c. cum inferior, extra de maiorit. & obed. Angel. in d. tract. de malefic.

in verb. fama publica, nu. 6. per l. relegati, in fine, ibi, nemo potest commeatū remeatumue dare exuli nisi Imperator ex aliqua causa, de pœn. l. 1. §. sed præses prouinciæ, vbi habetur, quòd præses, etiam eum, quem ipsemet relegauit, nequeat restituere, vel sententiam suam reuocare, sed hanc cognitionem ad Imperatorem pertinere, de quæst. Refert & sequitur Matth. Coler. d. c. 1. nu. 191. §. fallit istud vltimum. Vnde si inferior iudex, dederit hosti iam conuicto, vel cuicunque alij, securitatem veniendi absq; periculo in certum locum ad perniciem Reipublicæ, per hanc datione non præiudicabitur superiori, qui legibus aut pactis inferioris, maximè in damnum & detrimentum vtilitatis communis vergentibus, non ligatur, per iura modò allegata.

11. Secundò limitatur supra dicta regula, vt non procedat, si securitas concessa sit generaliter, indefinitè & indeterminatè, sine certi alicuius temporis mentione, veluti si ita reus citetur, vt quo-

quotidie fieri videmus: Præfigimus tibi NN. terminum ad comparendum & audiendum, quo pacto contra te accusatio instituatur, & ad proponendã tuas, si quas habere tè putas, defensiones, ad quæ omnia concedimus tibi liberam & legitimam securitatem cont. omniũ & quorumcunq; iniustam offensionem, Ein frey sicher gleit zu Rechte / vnnd vor vnrechter gewalt. Eo nanq; casu ius salui conductus ad primam diem iuridicam restringitur, quo finito, nihil obstat, si diutiùs ibi hæserit assecuratus, aut alio tempore, absq; renouatione salui conductus, redierit, quin carceribus includi possit, Bart. in l. 1. nu. 5. ad L. Iul. maiest. Quoniam saluus conductus indeterminatè concessus, intelligitur solum de primo iudicio, siue prima vice, nec extenditur ad tempus durantis totius instantiæ, vel causæ, Panor. in c. innouamus num. 2. in vltimo membro, extra de treug. & pac. Bartolus in l. dotis, num. 2. de iur. dot. per l. boues §. hoc sermone, de verborum signifi. l.

cum hæc conditio, de condit. & demonstrat. Anton. Gabriel. Roman. lib. 2. com. concluſ. lib. 6. tit. de legib. & conſtit. cõcluſ. 2. num. 7. per ibi allegata. Ratio rationis ea eſt, quòd concedens, ex mentione termini iudicialis, ad quem citatur reus, intelligitur habuiſſe reſpectũ ad illum præſentem & iudicialem terminum, ad eumq; direxiſſe literas ſalui conductus, non etiam ad futuros, vel ad totam cauſam, cùm qualitas verbi adiecta, intelligatur ſecundùm tempus verbi, cui adijcitur, Bart. in l. in delictis, ſ. ſi extraneus, in princ. cum l. quod ait, ſ. Iulianus, de noxalib. action. l. ſi tutoris, ſ. fin. quod iuſſu, l. ſi alienum, de hered. inſtit. Ac facit textus optimus, in l. de acceſſionibus, ſ. fin. in fine, ibi: illo tempore, quo contrahebas, videris conſenſiſſe, de diuerſ. & temporal. præſcript.

12 Et hoc ampliatur, vt procedat etiam eo caſu, quo petitionẽ generalem & indefinitã pro conceſſione ſecuritatis, ſequatur generalis & indeterminata ſecuritas, vt puta, Es bittet der Supplicant

cant in gemein Geleit zu außführung seiner Vnschult/ vnd die forma securitatis lautet auch in gemeine: Wir geben dir zu außführung deiner Vnschult ein geleite zu Rechte/ vnd vor vnrechter Gewalt. Nam etiam tunc communiter concluditur, hanc securitatis concessionem, sub dubio, solùm ad primum terminũ restringendam esse, secundùm Panor. in d. c. innouamus, num. 2. vers. aut fuit petitio facta indeterminatè & generaliter, & subsequitur concessio securitatis eodẽ modo generaliter & indeterminatè, extra de treug. & pace. Refert & sequitur Matth. Coler. d. c. 1 part. 4. nu. 201.

13 Nec obstat, si dicatur, responsionem conformem intelligi debere petitioni vel interrogationi: item absurdũ, durum & laborioſum videri, sæpius de tempore in tempus, de termino in terminum, securitatis renouationem petere, argumẽto corũ, quæ tradit Matth. Coler. d. modò c. 1. part. 4. nu. 202. cum seq. Quoniam respondendum est, iudicem ipsummet interpretem esse suæ

conceſſionis,& ſuorum verborum,Bar. in l.ſi quis à filio §. ſi quis plures, nu. 2. de legat.1. c. conſultationi tuæ, ibiq́ue gloſſator,in verb.competenti,extra de tempor.ordinat.infert, vbicunq́; tempus non eſt determinatum, illud relinqui iudicis diffinitioni. Eſt & alius textus pro ſtabilienda hac ſententia optimus in l.1. §. ait prætor, de iur. deliber. vbi dicitur,quando agitur de tempore,& prætor non adiicit diem, in dubio oſtendi, in ius dicentis poteſtate eſſe,quem diem præſtituat. Vnde DD. in hoc paſſu communiter concludunt, conceſſionem ſecuritatis, in quantum tempus durare debeat, in arbitrio iudicis reſidêre, Bart.& DD. in l.illicitas §. ne potentiores,nu. 7. de offic. præſid. & in l denuncianus, C. de his qui ad Eccleſ.confug. Eaq́; ſententia etiam ex eo vel maximè confirmatur & ſuſtinetur, quòd cautio ſecuritatis, concernat intereſſe partium, præcipuè in criminalibus, vbi accuſator mauult malefactorem detineri in publicis vinculis, tum vt fa-

vt facilius & citius, de ipso vindicta sumi possit, tùm etiã, vt euitare possit ambages & circuitus, item expensas litiũ, quibus fatigari accusatorem contingeret, si reus libero aêre frueretur. Rectè igitur dicimus, saluum conductum, in genere & indeterminatè datum, citra præiudicium partis exaudiendum, & ita restringendum esse, vt primum solum terminum, & non etiam totam instantiam comprehendat. Matth. Coler. d. sæpius c. 1. part. 4. nu. 204. cum quinq; seqq. vbi latius id persequitur.

14. Et hinc pro cautela notent aduocati partiũ, ne clientulos suos, in causa, maximè criminali, criminaliter intẽtata, finitis iudicialibus terminis, diu detineant in diuersorio, vt ita anceps periculum carcerum incurrant.

15. Iudex etiam hîc cogitet, ne adeò rigidꝰ & seuerus sit, vt ob modicũ interuallum temporis, quod ad suam suorumq;, quos secum adduxit assecuratus, alimentationem, in diuersorio, vel alibi commoratur, statim procedat ad compedes, sed concedat, vt assecuratus,

vel meridiano, vel nocturno tempore, in loco iudicii, saltem requiē suam habere, & corpus cutemq; curare possit, argumento l. medicus, 26. l. cum patronus, 22. §. fin. l. operarum, 50. de oper. libert. Memor, quòd tempus in dubio, arbitrio suo, vt boni viri, relictum sit, argumento l. vir bonus, iudic. sol. Et hæc duo præcepta Aduocatus & Iudex, circa officium suum, in hac securitatis materia, diligenter notabunt.

16 Quòd si fortè, vt crebrò fieri assolet, securitas præstita fuerit, non generaliter & indeterminatè, sed ad certum & præfinitū tempus, puta triū mensium, veluti, wir wöllen dir gleit zu Recht / vnd vor vnrechter Gewalt / auff drey Monat lang hiemit gegeben haben: tunc durante illo trimestri, non tantùm in terminis iudicialibus, sed etiā extra illos dies iuridicos, reus in loco iudicii cœpti, tutò & securè commorari potest, Nellus in tractat. de Bannit. part. 3. secundi tēporis, q. 17. nu. 18. vbi ita distinguit, his verbis: quandocunq; securitas datur

sine

sine adiectione certi temporis, tunc intelligitur concessa pro vna vice tãtùm, secus, si concedens determinet aliquã temporis quantitatem, ad quam duret ista pax, quo casu, etiamsi semel ex loco recedat citatus, & deinceps reuertatur, absq; alia renouatione salui conductus, securitas ipsi seruanda erit, eò, quòd tẽpus factæ pacis nondum est terminatũ. Hæc Nellus loco modò citato, vnde id refert, & sequitur Matth. Coler. d. sæpius, c. 1. part. 4. nu. 200. & 201. Quo tamen casu scire debet assecuratus, illud ipsum tempus præfixum, in dubio, & nisi expressè dicatur, quòd de vtili tempore senserit concedens, continuum esse, & de momento ad momentum currere. Abbas Panor. in c. fin. in fine, extra de Election. glossa in Rubric. de diuers. & tempor. præscript. verb. sed hîc notãdum, ibiq; Bart. num. 5. notat, tempus in dubio semper accipi de continuo, nisi expressè dicatur, quòd sit vtile. Quod ipsum quoq; idem Bart. repetit & probat, in l. genere, nu. 3. de his qui notant:

infam.

infam. Item Pariſ. conſ. 37. nu. 28. vol. 3. & Anton. Bardus, de tempore vtili & continuo c. 8. nu. 1. Refert & ſequitur Matth. Coler. d. ſæpius c. 1. part. 4. num. 200. vbi ſubiicit, ita quotidiè practicari.

17. Tertio limitatur ſupra dicta regula, vt non procedat, ſi aſſecuratus per ſaluum conductum in loco iudicij, vel tranſitus, aliquid violenter, vel contra pacem publicam, commiſerit, offendêdo fortè aduerſam partem, aut alios eorum locorum homines, vel verbis, vel armis: Tuncenim ſaluus conductus ipſi licitè violatur, Angel. Aretin. in Tract. Malefic. verb. fama publica, nu. 60. Ac notat gloſſa in c. noli exiſtimare, verſ. ſi ipſe non ſeruat fidem, cum aliis concordantibus ibidem adductis, 23. q. 1. Vndè inſtrumentis ſecuritatum hodie communiter adponi ſolet hæc clauſula: Damus tibi pacem & ſecuritatem contra vim iniuſtam, ita tamen, vt viciſſim tu quoq; pacificum te & modeſtum exhibeas. Wir geben dir Gleite zur Rechte vnd

te/vnd vor vnrechter gewalt / doch also/ das du dich hinwieder auch geleitlichen verhaltest/ argumento l. si quis maior C. de Transact. Ratio decisionis ea est, quòd frangenti fidem, nec fides sit seruanda, secundùm vulgatum illud: Frangenti fidem, fides frangatur eidem, l. cum proponas, ibiq; glossa & Iaſ. nu. 5. & 6. C. de pact. glos. in c. cum inter R. seniorem, ibiq; Butrienſis, extra de Elect. & in c. peruênit, de iureiur. l. quæro, ff. inter locatorem, in fine, locati. Et assecuratus nequit se iuuare ex cautione securitatis, quam ipse oppugnauit vel violauit, c. ex eo, extra de reg. iur. in 6. cum similibus allegatis per Matth. Coler. d. sæpius c. 1. part. 4. nu. 213 cir. finem.

18. Quartò Limitatur & declaratur supradicta regula, vt intelligatur solùm de violentia, quæ de facto, non etiam quæ de iure infertur, Mynsing. obs. 82. in princ. Centur. 1. VVesenb. in Comment. ad Tit. C. de Satisd. numero 4.

Et in

Et in supplementis ad Sneid. Instit. de satisd. nu. 5. versic. & contra violentiam facti, non iuris cauet, per ea, quæ ab vtroq; allegantur. Hinc formula illa vulgata: Wir gleiten dich zu Recht, vnd vor vnrechter Gewalt, vnd nicht weiter, peinlich Halßgerichts Ordnung Caroli V. art. 156. in fine, & art. 76. vbi dicitur: Es sol kein Parthey noch Zeuge vor den Richtern oder Commissarien / vor peinlicher Rechtfertigung vergleitet werden / aber für Gewalt mügen die Partheien vnd Zeugen für Gericht vergleitet werden. Proindeq; Mynsing. d. modò obser. 82. cent. 1. scribit, suo tempore cuidam, qui habebat saluum conductū, propter delictum capto, & supplicanti in Camera pro mandato de relaxando, & citatione ad videndum &c. petitos processus, à Dominis Assessoribus, denegatos fuisse.

QVAE-

QVAESTIO II.

Securitatis sive Salui conductus violatores quomodo puniantur?

QVod superiore quæstione §. Ampliatur tertiò supradicta regula 5. promisi, me peculiari capite dicturum, quomodo violatores salui Conductus, tàm de iure Ciuili, quàm Saxonico puniantur, id hoc capite præstabo.

1. Et quidem in hoc passu vtriusq; Iuris, Ciuilis & Saxonici Interpretes, non satis conueniunt. Angelus enim in l. vtimur, nu. 7. de sepulchr. violat. & in tractat. de malefic. verb. fama publica, nu. 60. & Signorol. de Homod. Cons. 102 per tot. & Cons. 103. & Iacob. de Beluiso in §. Sed neq; homicidis, vers. secundò casu, Authen. de Mandat. Princ. Collat. 3. dicunt, violantem salvum conductum, de iure Ciuili, teneri L. Iulia Maiestatis, quæst pœnagladij,

l.quisque in fin.prin. C.ad L.Iul.Maiest. Idq; per l.1. in princ. ibi: aduersus securitatem eius,& ibi quoq; glos. ad L.Iul. Maiest.Bart.verò in l. illicitas, §.ne potentiores, nu. 9. de offic. præsid.distinguit inter violatores securitatis, immediatè à Principe vel Republica, & ab inferiore Magistratu datæ: vt primo casu, locum habeat supradicta opinio. Atq; ita d l.1.ad L.Iul.Maie. intelligendam esse. Posteriore verò casu,pœnam esse arbitrariam,adeò, vt extra ordinē, secundum motum iudicis, violator coherceatur. Atq; ita ante Bart. censuit Cuneus,in tract.Securitatis,nu.32. Sequitur ac probat Francisc. Herculanus in Tractat. de caut. non offendendi c. 10. nu.2. & nouissimè Matth. Coler. de processib.execut.part.4.c.1.nu.191.

2. Cæterùm ius Saxonicum,primam opinionem sequitur,& vult indistinctè, vt frangens pacem vel securitatem alicui datam à publico, etiam inferiore Magistratu condemnetur pœna vltimi supplicij, Landr.lib.2.art.12. §. Die einen

Man

Man schlagen/ in verbis: Die den friede brechen/den sol man das Heupt abschlagen. Sequitur additionator ad art. 4. lib. 2. lit. B. vbi subijcit, istud ita in practica obseruari. Matthias tamen Colerus, non minimus Iuris Saxonici Interpres, in d. modò nu. 191. in fine, istam practicam non admittit, & dicit, si casus accideret, se Bartoli distinctionem, tanquam æquiorem, secuturum. Quam & ego, in dubio hoc DD. conflictu, maximè in pœnalibus, sequendam putârim.

QVAESTIO III.

An iudici liceat promissionem indemnitatis aut remissionis culpæ, vel factam ad eliciendam confessionem imputati vel diffamati criminis fallere, eâ non attenta, ad pœnam confessi criminis procedere.

HIc uius quæstionis pleniorem discussionem memini me promisisse in §. Idq; adeò verum est 9. in fine, sup. q. 1.

idcirco paucis eam hoc capite expediam.

1. Et quidem Iohan. de Imola in l. is qui reus, ante finem, de public. iudic. docet, promissionem indemnitatis aut remissionis culpæ, factam reo, ad eum solum finem, vt eliciat confessionem inquisiti de crimine, non esse seruandam, ad hoc, ne delicta maneant impunita. Quam doctrinam, licet Felinus in c. accedens 2. nu. 3. ext. vt lit. non contest. approbet: eam tamen restringit, vt locum duntaxat habeat in foro politico & contentioso, non etiam in foro conscientiæ, siue poli, vt vocant. Eaq; Felini distinctio verior videtur, cùm Iudici, quod ipsius solius conscientiæ & fidei, & quidem sub expressa stipulatione impunitatis, concreditur, non magis patefacere liceat, quàm sacerdoti ea, quæ in confessione alicuius pœnitentiarij ipsi reuelantur, Baldus in l. nullum, nu. 5. C. de testib. Et aliter faciens, periurium committit, glossa in verb.

verb.credentias,in §. in Christi nomine,de pac.constant.

2. Hinc quoq; traditum est, testem, qui iurauit non reuelare secreta, si contra faciat, periurum effici: Imò, etiamsi iuratum non sit, tamen nefariè & improbè facere,qui secreta propâlat, adeoq; actione in factum ad interesse, vel iniuriarum, vel falsi quandoq, conueniri posse, per ea quæ tradit Andr. Gayl.lib.1.obs.practic.obs.100.nu.6.

3. Pauci tamen Iudices reperiuntur, qui id obseruant vel attendunt, imò contrarium ferè faciunt. Cuius rei exemplum valdè recens, & multis notum,refert Matth.Coler. de processib. Execut. part. 4. c.1. nu. 192. in fine, de quodam Iudice, qui cùm inquisito de adulterio, si delictum fateretur, impunitatem promisisset, isq; fidem datam secutus, sub spe remissionis culpæ, delictum fassus esset: Iudicem neglecta fide data, super ista confessione adulterij, processisse ad vlteriora, adeoq; adulterum captiuum, ad pœnam fustigationis,

nis, de rigore iuris condemnasse, quæ tamen ipsi postea, ad intercessionem vxoris, & aliorum, in relegationem conuersa fuerit.

QVAESTIO IV.

Num obligatio, cautio vel promissio, de seruando conuenta, sub clausula: loco Iuramenti: Item sub interpositione fidei: Ich wil alles halten was ich zugesagt habe / an Eydesstadt / bey meinen treuen / Ehren / würden vnd waren worten vnd glauben / habeat vim iuramenti, vel saltem æquiparetur iuramento, verè & corporaliter præstito?

ET primo quidem aspectu affirmariuè decidendum videtur. Idq; per fundamenta subsequentia.

1. Primò per text. in c. ad aures 3. vbi renunciatio Electionis ad terrorē Laicorum facta, nullius est momenti, nisi iuramento vel fide interposita, confirmata

mata fuerit, de his quæ vi metusuè caus. fiunt Secundò confirmari videtur per text. in c. peruênit, de fideiussor. vbi clerici fideiussores, si religionem fidei & iuramenti sui violasse constiterit, ab officio & beneficio suspendi iubentur. Tertiò confirmari videtur per c. iuramẽti, 22. q. 5. vbi habetur, quòd DEVS inter simplicem loquelam, & iuramentum, non constituat differentiam, cum, sicut peierando incurritur periurium; ita mentiendo, incurratur mendacium, & vtrunq; Diuini iudicij pœna damnetur. Quartò confirmari videtur per illud, quod scribit Panormit. in c. etsi Christus, nu. 3. de iureiur. ad substantiam scilicet iuramenti, non esse necesse, exprimi verbum iuro, sed satis esse ad Confirmationem, interponi Deum, siue implicitè, siue explicitè: Et hanc sententiam, per iura & fundamenta supra adducta, & similia, astruunt isti, quos allegat VVesenbec. in Comment. ad Tit. de iureiur. nu. 6. in fine, in apostil. marginal. sub lit. a. & in cons. 10. nu. 24.

volum. 1. Schurff. Cent. 3. conſ. 62. nu. 10.11.12.13.14.15. Modeſtin. Piſtor. conſ. 19. nu. 42.43.44. & 45. volum. 2. Matth. Coler. in Tract. de proceſsib. execut. part. 1. c. 10. nu. 246. cum 6. ſeqq. Nicolaus Ruckerus in cõſilio quodam, quod relatum eſt inter conſilia Claudij Cãtiunculæ, eſtq; in ordine vndecimum, nu. 11. & 12. Florent. à Venningis in conſ. 1. nu. 85. Tom. 4. conſiliorum à diuerſis & præcipuis tùm Academiis, tùm Iureconſultis conſcriptorum, & Francofurti Anno 71. impreſſorum. Mynſing. Cent. 1. obſ. 17.

2. Sed ſupradictis fundamentis non obſtantibus, contraria ſententia Negatiua, in puncto Iuris verior videtur. Eaque his fundamentis confirmatur. Primò Confirmatur hæc ſententia Negatiua, quòd iuramentum pro forma ſpecifica & ſubſtantiali requirat, vt & per Deum, & tactionem ſacrorum Euangeliorum præſtetur: Et quòd introductum pro forma, non poſſit præſtari per æquipollens. Vnde traditum eſt ab Alexan-

Alexandro in l.1.nu.8.de liber. & posthum. &c.& Ias.in l.1.nu.4.de verb. obli. quamlibet formam à lege traditam, esse præcisam,adeò,vt â nemine mutari possit, Bald. in l. 2. de iureiur. & in l. 1.de liber.& posthum. per l. testandi C. de testamentis. ~~A quo igitur remouetur definitio, ab eodem quoq; remotũ censebitur definitum~~, l. omnis definitio,& ibi Cagnolus, de R. I. Ac notat Bart.in l.1.§.1.de dol.mal. Atq; ita Iuramentum corporale pro forma requiritur in Authen. sacramenta puberum, C.si aduers.vendit.in c.cum contingat, de Iureiur.in c. quamuis de pact. in 6. in Nouella constit. Iusiurandum quod præstat,ab his,collat.2.In l.1.ibi: iureiurando corporaliter præstito confirmasti,C.si aduers.vendit.In l.si alterius,C. si minor se maior. dixerit, vbi contractus celebratus cum eo,qui absq; dolo se maiorem esse dixerit, & contra eum seruare promiserit,intercedente læsione, saltem rescinditur beneficio in integrum restitutionis, nisi iuramento

corporaliter præstito, se maiorem asse-
rens, cum aduersario contraxerit Matt.
Coler. d. tract. part. 1. c. 10 nu. 242 licet
ipse in contraria sit sententia. Modest.
Pistor. d. cons. 19. vol. 2. nu. 50. & 51. Se-
cundò confirmatur, quod aliud sit, ta-
lem esse, & aliud pro tali haberi: Cùm
illud denotet proprietatem, hoc verò
fictionem tantùm, glossa in l. mercis ad-
pellatione. de verb. sig. Refert & sequi-
tur Bart. in l. 1. in 3. notab. de suis &
legit. Idem Bart. in l. si maritus §. legis,
nu. 1 ad L. Iul. de adult. & in l. rei iudica-
tæ §. socero, nu. 6. solut. matrimo. Et
aliàs dici solet, nullum simile est idem,
secundum glos semper ad hoc allegari
solitam, in l. quod Nerua, verb. dolum,
depos. Et in c. capitulum S. Crucis, ver.
consimili, ibiq; Ioh. de Imola, extra de
rescript. cum similibus, in terminis alle-
gatis à Matthia Colero d. part. 1. c. 10.
nu. 244. Idq; vel maximè procedit in
his quæ sunt facti, vt docet idem Bart.
in d. l. si maritus §. 1 ad L. Iul. de adult.
vbi inter cætera dat exemplum de te-
stante,

stante, qui disponit, quod voluntas sua debeat haberi pro legitimè facta, iuxta l. Codicillis, §. fin. de legat. 2. Et subiicit, talem quidem dispositionem esse efficacem in ijs quæ potest testator, puta, vt valeat iure Codicillorum, sed ita, vt per eiusmodi clausulam, non sit diminuta solennitas testamenti, quæ veniebat à lege, quia hoc non est in potestate testatoris, cum nemo possit facere, ne leges in testamento suo habeant locum, l. nemo potest, de legat. 1.

3. Et ex his concluditur & infertur, promissionem loco iuramenti, vel sub fide factam, non esse verum & corporale iuramentum. Atq; ita per ista fundamenta, consuluit & decidit Modest. Pistor. donationem inter liberos à patre factam, & loco iuramenti confirmatam, adeò ratam non esse, quin eam in vita pater reuocare potuerit. Modest. Pistor. d. cons. 19. q. 2. per tot. & maximè nu. 33. 34. 35. 41. 42. 45. 48. 49. 50. 58. & 59.

Limi-

4. Limitatur tamen hæc conclusio negatiua, vt non procedat, in personis Illustribus, & in dignitate aliqua constitutis, vt sunt Principes, Comites, Nobiles, Barones, Doctores, & quæcunq; aliæ personæ honestiores. Quo enim quisq; maioris est dignitatis, eò magis in ipso bona fides exuberare, & ab omni perfidia vacare debet, Matth. Coler. d. part. 1. c. 10. nu. 251. & 252.

5. Vnde si istæ personæ, in instrumento mutuatæ pecuniæ, ita se obligent: Quæ omnia & singula suprascripta, stipulata manu, sub fide mea, bey meinen Fürstlichen/ Gräfflichen/ Adelichen Ehren/ treuen/ vnd guten Glauben/ (diuersicando clausulam, secundùm dignitatem personæ, cum qua contrahitur) loco iuramenti corporaliter præstiti promitto & in me recipio fideliter obseruare, ac in nullo cõtrauenire: Volunt quidam, hanc obligationem, veri & corporalis iuramenti vim habere. Matth. Coler. d. c. 10. nu. 3. ante finem & nu. 251. & 252. Schurff. d. consil. 62. cent. 3. per

3. per tot. & maximè nu. 10. 12. 13. 14. 15. vbi decidit, vasallum non posse feudum Regale, antiquum & paternum, contra prouisionem & ordinationem patris, loco iuramenti promissam & acceptam ab ipsomet, sine cõsensu simul taneè inuestiti, domino directo vendere: Ita sonante instrumento: So haben wir F. der junger Hertzog in S. etc. vnserm Herrn vñ Vatern/ auch einander selbst an Eydesstadt/ vñ bey vnsern Fürstlichen wirden gelobt vnnd bewilliget/ etc.

6. Hinc quoq; decisum est, Principem, qui in Maiestatis Cæsareæ præsentia, se dominorum Iudicum delegatorum sententiæ stare velle, sub fidei præstatione compromiserat, hac clausula compromisso inserta, quòd in causa ventilata nullas exceptiones moratorias partibus concederent, sed causa cognita, illam propediem executioni mãdarent; non posse exceptionem compensationis in causa executionis opponere. Nicolaŋ Ruckerus d. cons. 11. quod extat inter cõsilia Claudij Cãtiunculæ.

Hinc

7. Hinc quoq; in Camera imperiali, post grauem disputationem, in causa curatorum, iuniorum Marchionum de Baden, cont. Dominum Ernestū Marchionem de Baden, decisum fuit, compromissum sub fide & dignitate principali firmatum, pro iurato habendum esse, referente Mynsing. Cent. 1. obs. 17.

8. Et putat Beustius, ob maioritatem, vel saltem identitatem rationis, eundem quoq; effectum inter principes habere hæc verba: Promitto sub verbo veritatis, vulgò, bey dem Wordt der warheit, Beust. ad l. admonendi pag. 155. nu. 17. & 18. Ratio decisionis ea est, quòd verba principis debeant esse firmissima, etiam non iurata: Et quòd princeps debeat habere vnum calamum, & vnam immutabilem linguam: & debeat esse immobilis sicut polus, & lapis angularis: quodq; leuitas & inconstantia, maximè in principibus, vituperanda & reprehendenda sit, Beust. d. modò loco nu. 14. 15. & 19.

Hinc

9. Hinc quoq; decisum est, si in instrumento sit adpositum iuramentum, vel aliquid loco & vice iuramenti: vt cum debeo tibi centum ex mutuo, de quo do tibi instrumentum notarij, & obligo me sub iuramento: vel si sum nobilis vel princeps: bey Edelmans glauben / oder Fürstlichen würden / promitto me ad certum diem soluturum, tunc illud instrumentum habere executionem paratam. Ita in terminis, post Bart. in l. 2. de iureiur. decidit Sichard. ad l. fin. nu. 13. C. de Edict. D. Adrian. tollend. Refert & sequitur Laur. Kirchouius in commun. opin. verb. iuramentum, & fidei præstatio.

10. Idem quoq; super promissione Baronum, sub fide generositatis interposita bey wahren / guten / Gräfflichen / herrlichen / vnd Chr. stlichen glauben, in specie ibi proposita, consuluit V Velen. cons. 10. per tot. & maximè nu. 18. 30 & 41. vbi subiicit, nihil operari talē confirmationē, nisi habeat vim iuramēti. Idq; vel maximè in casibus, vbi corporalē

iura-

iuramentum disertè lex non requirit. Eamq; sententiam ait conscientiis esse turiorem.

11. Idem quoq; in armigeris decidit, Ias. in l. 3. §. iurari nu. 3. de iureiur. Sequitur Ruckerus d. conf. 11. quod relatum est inter consilia Claudij Cătiunculæ nu. 12. Refert item & sequitur Matthias Colerus d. part. 1. c. 10. nu. 251. qui per armigeros (vt Ias. eos apellat) intelligit nobiles nostri temporis, qui sub fidei suæ nobilitatis, bey ihren Adelichen trewen vnnd glauben / soluere promittunt.

12. Deniq; idem iuris esse docet in Doctoribus aliisq; personis honestioribus, in quibus, ratione dignitatis, fides exuberare, & perfidia cessare debet, Matth. Coler. d. part. 1. c. 10. nu. 252.

13. Hæc tamen limitatio in personis illustribus, & in dignitate positis, magis de consuetudine Germaniæ, quàm de iure scripto procedit, maximè, si per fidem Christianam iuratum est, secus si per humanam, aut absolutè per fidem.

Myn-

Mynsing.d.obseruat. 17. Cent. 1. VVes. d.cons.10.nu.41.post Didac. Couar. in repetit.c.2.§.2.num.2.de pact. in 6. Idē VVesenb.in Commentar.ad Tit. de iureiur.nu. 6.in fine, vbi subiicit, se hanc limitationem, similesq; formulas, lubens in vitio ponere, cum impia sit qualiscunq; iurisiurādi formula, qua per aliud, quàm viuentem Deum, iuratur: & impietatis verò nullum vinculum, nulla obligatio esse debeat.

14. Et ita hac sententia Negatiua confirmata & stabilita, consequens nūc est, vt ad contrariæ sententiæ fundamenta supra adducta, paucis respondeamus. Et primò non obstant duo priora fundamenta ex c.ad aures, de his quæ vi metusue caus. fiunt, & ex c. peruēnit, de fideiussor. desumpta: quoniam illa capitula intelligenda sunt de fide Christiana siue Theologica: Eius enim si mentio fiat in promissionibus vel assertionibus, maximè inter illustres & nobiles personas, verum iuramentum efficit: secus est in fide humana ciuili,

vel politica. Hæc enim contractibus adiecta, eos iuratos non efficit, nec iuramenti vim & effectus & priuilegia sortitur, vt latè & eleganter ostendit Didac. Couar. in repetit. d. c. 2. §. 2. nu. 2. de pact. in 6. vnde id refert & sequitur Modest. Pistor. d. cons. 19. nu. 53. vol. 2. Quos omninò videto. Secundò non obstat c. iuramenti 22. q. 5. vbi dicitur: Deum inter iuramentum & simplicem loquelam non constituere differẽriam. Nam respondendum est, secundum Matth. de Afflict. in §. item Sacramenta c. 1. de pac. iurament. firmand. licet Deus inter hæc non distinguat, tamen sanctam Ecclesiam, & legem ciuilem distinguere. Quamuis enim respectu obligationis & vinculi, non sit differentia inter simplicem promissionem & iuratam, cum æquè obligent: tamen in contrauentione & pœna differunt. Maior namq; pœna & pœnitentia imponitur venienti contra iuramentum, quàm contra fidem tantùm sine iuramento, cum minus hic, quàm ille contemnere

temnere & peccare videatur. Differunt igitur quoad Effectum & Cohercitionem, vt latè & eleganter ostendit Didac. Couar. d. §. 2. nu. 1. Et post eum Modest. Pistor. d cons. 19. nu. 54. vol. 2. quos omnino videto. Deniq; non obstat, quod ex Panor. ad c. etsi Christus nu. 3. de iureiur. supra adductum fuit: iuramentum scilicet præstari videri, quoties Deus in testem adducitur vel implicitè vel explicitè. Nam respondendum est, in clausula ista: Promitto loco iuramenti, vel sub fide mea, Dei neq; explicitè, neq; implicitè mentionem fieri. Qui enim ita promittit, nihil aliud videtur promittere, quàm se non minus firmiter obseruaturum contractum, quàm si iurasset. Reuera tamen per ista verba non iurauit, cum nec per Deum, nec per religionem, vel sacram rem contractum firmauerit, sed tantùm hac clausula iusiurandum, & religionis interpositionem euitare voluerit. Ita respondet Modestinus

Pistor.d.cons.19.nu.59.vol.2. Et hæc pro disceptatione huius quæstionis suffecerint. Plura qui petit, ad Doctores supra allegatos recurrat.

QVAESTIO V.

Num constituti in publico officio, à speciali Testium iuramento sint immunes, ita, vt iuriiurando, quod in ingressu officij præstiterunt committi & relinqui possint? Rx. quod non.

I.

POne, Iudicem, Consulem, Senatorē, Scabinum, Subditum, in testem produci, & velle deponere sub iuramento, senatui vel domino præstito, an sit audiendus? Wan ein Richter/ Burgermeister/ Radtsher/ Schöpffen/ oder Vnderthan/ für einen zeugen angegeben würde/ vnd seine außsage thun wolte/ bey dem Eyde/ damit er dem Rathstule/ vnnd seinem Herrn verwandt/ ob solchs genug/ vnd

vnnd er damit zu hören vnnd zu zulassen?
Et respondetur, non esse audiendos. Quoniam tota substantia dispositionis testium, in iuramento eorum consistit, adeò, vt testibus, absq; iurisiurandi religione deponentibus, quacunq; etiã vitæ sanctimonia, quocunq; etiam honore præditis, non credatur. Mynsing Cent. 2. obs. 3. in princ. & Cent. 3. obs. 80. & in c. tuis de testib. vbi etiam casus nonnullos speciales refert, in quibus dictum testis non iurati recipitur, quos ibi vide. Ioachim Beust. in Rubric. de iureiur. pag. 47. nu. 220. Iustus Reuber. in Tract. de Testi. part. 3. nu. 56. per l. iurisiurandi 9. in princ. l. testium facilitatem 18. l. si quando 19. C. de testib. c. quoties c. licet vniuersis, c. fraternitatis 17. in fine c. tuis, 39. c. nuper 51. eod.

2. Nec obstat, quod Accurs. in d. l. iurisiurandi 9. C. de testib. immunitatẽ à iurando in dictione testimonij, Episcopis concedit. Nam in eo, ab Authentica, sed iudex, C. de Episc. & Cleric. deceptus, ex qua postrema illa verba: non

tamen iurent, tollenda sunt. Primùm, quia cõstat nihil esse huiusmodi in Nouella de sanctiss. Episc. §. nulli iudicum, vnde Authentica illa desumpta est. Deinde, quia nec ius Canonicum, nec etiam fori consuetudo, hanc immunitatem Episcopis tribuit, quemadmodum adpâret ex d. c. nuper, & Speculat. §. sequitur, vers. nisi sit Episcopus, eod. tit. de testib. In eo tamen, potiorem Episcoporum causam, quàm aliorum, non negamus, quòd non tactis, sed tantùm propositis Sacrosanctis Euangeliis, iusiurandum iurant, d. Nouella de Sacrosanctis Episc. §. nulli iudicum, Quod ipsum multò clarius iure canonico proditum est, in c. vlt. de iureiur. calum. Atque ita hanc ἀνθινομίαν rectissimè dissoluit Iustus Reuberus d. tract. de Testib. part. 3. nu. 57.

3. Et non tantùm supradictæ personæ, de iure ciuili & canonico, ad iuramenti testiũ præstationẽ tenentur, per iura modò adducta: sed etiam de iure Saxonico, secundũ verioré eius intellectum,

ctum, ponderatū à Beustio, præstantissimo & exercitatissimo iuris Saxonici practico & interprete, in d. Rubric. de iureiur. pag. 47. nu. 220 licet iura & glossæ Saxonicæ, à Beustio allegatæ, in diuersum sensum, perperā minusq; rectè, à quibusdam trahantur, id q̄ vilis & ponderatis textib⁹ & glossis, manifestū fiet.

4. Adducunt illi, qui contrarium defendunt, pro se glossam Weichbilt / art. 100. ibi: Ihr solt wissen / vbi dicitur: Ihr solt wissen / geschech ein sache in sitzenden Rath / vmb ansprach / oder warūb es wer / vnd es kem die sache für Gericht / vnnd der ein zůge sich an dē Rath / mit seiner sache / der ander sprech / ich weiß vmb der Stadt bekentnus nichts / das mir schedlich möchte sein an meinem Rechten / Denn sol der Stad Rath bekentnus jemand zu schaden oder zu frömen kömen / dz bekentnus sollen die Rathßherrn thun in gehegter bāck (alle miteinander) vor dem Richter vnd vor den Schepffen / nicht aber darff ein jeder sonderlich bekennē / sonder der Burgermeister thut dz bekentnus allein / vñ die andern geben all jr jawort dazu.

5. Secundò adducunt text. art. 88. in prin. & ibi gloss. in verb. Was ein Man Landr. lib 3. ibi textus ait, Was ein Man mit dem Gerichte gezeugen sol / da sol stets der Richter die warheit zusagen bey des Königes hülden sich verpflichten / darnach die Schöpffen also alle / die andern dingpflichtigen aber bey jren Eyden. Et glossa ait. Die Schöpffen aber Schweren dan forder den Richtern / mit jhrem besten vorstande vnnd wissenschafft recht zufinden. Vnnd weil sie also zu der banck geschworen haben / darumb wan sie darnach etwas zeugen sollen / so thun sie dieselbe jhre außsage bey den Eyden / welche sie dem Richter zuuor einest gethon haben / Nemblich das die sache / darumb sie zu zeugen ersucht werden / so oder so sey gerichtet wurden.

6. Tertiò adferunt & alia similia iura à Chil. Konig. in practic. sua c. 75. num. 12. ibi, vnd wie / oder was ein Richter nach Sechsischen Rechten / adducta.

7. Verùm istis textibus & Glossis penitius (collatione exacta antecedentium

tium & consequentium habita) introspectis & consideratis, deprehenduntur loqui tantum in casibus, quando consules aut scabini, mediante iuramento, quo senatui sunt obstricti, de rebus coràm ipsis compositis aut gestis, (was für jhnen vertragen vnd beygelegt/ oder wz sich sonsten für jnẽ begeben vñ zugetragen hat/) testimonium ferre iubentur: non etiam loquuntur in casibus, quando aliàs in testes producuntur, tunc enim à speciali & consueto testium iuramento exemti, aut liberati non censentur.

8. Cum igitur Iudices, Consules, Senatores, & Scabini, supradictis iuribus iuuari, nec se à consueto testium iuramẽto eximere possint, quòd iura ista de iuramento testium non loquantur, vt supra demonstratum fuit: Consequens est, eos in testes productos, in casibus non exceptis, hoc est, coràm se gestis, instar aliorum, ad consuetum testium iuramentum, teneri.

9. Et posito, iura Saxonica supra ad-

ducta, ita dubia & obscura esse, vt certò inde constare non possit, de quo iuramento accipienda sint: inde vel maximè dicendum erit, ita ea accipienda & exaudienda esse, vt quàm minimùm ius commune scriptum per ea lædatur, secundum communem DD. Theoricam & doctrinam, in l. cunctos populos, C. de sum. Trinit. & fid. Catholic. Beust in d. Rubric. de iureiur. pag. 47. nu. 221. vbi subiicit id esse in practica notandum.

10. Cæterùm quod diximus, & euicimus hactenus, Iudices, Consules, Senatores, Scabinos, alioſq; subditos, in testimonium aduocatos, vsitato testiũ iuramento non eximi, aut iuramento, quod initio officij præstitêrunt, relinqui: ita demum verũ est, nisi hoc à parte ipsis expressim remissum fuerit, quo casu, nedũ iuramento officij cõmitti, sed etiã in totũ, sine iuramento, testari possunt. Consensu namq; partiũ; iusiurandũ testibus remitti posse, maximè si fiat cum licentia & auctoritate iudicis, constat ex ijs, quæ adducuntur à Mynsing.

d.obſ.3.in fin.Cent.2.& d.obſ.80.in fin. Cent.3.Beuſt.d.pag.47.nu.220.Nello à S.Geminiano,in tract.de Teſtib.nu.68. Lanfranc.de Oriano, eod. Tract.de Teſtib.nu.4.Iuſt.Reuber. itidem in Tract. de teſtib.part.3.nu.58. vbi vide.

11. Nec obſtat l.2.§.ſed quia veremur 4.C.de iureiur. propter calum. dand. vbi cauetur,iuramentũ calumniæ, partes ſibi inuicem remittere non poſſe. Longè enim alia ratio eſt iuramenti calumniæ, atq; eius, quod à teſtibus præſtatur. Illud litigatores ipſi in propria cauſa: hoc teſtes in aliena præſtant. Aſt facilius quis in ſua cauſa calumniari, quàm in aliena falſum dicere præſumitur.Præterea,conuentio de iuramento calumniæ,remittendo, apertè eſt contra bonos mores , non minus, quàm cum à contrahentibus pactio fit,ne dolus præſtetur,l. contractus, de reg. iur. Habet enim calũniandi animũ,qui eius iuramẽti gratiã petit. Deniq; iuramentũ calumniæ,ad publicã vtilitatẽ introductũ eſt,d.§.ſed quia veremur 4. verſ. quia

quia non pro commodo priuatorum, sed pro communi vtilitate præsentem legem posuimus C. de iureiur. propter calum. dand. testium verò ad priuatam partium vtilitatem. Sed quæ ad communem vtilitatem immediatè spectãt, pactis priuatorum, nec quidem iuratis, remitti possunt, l. ius publicum, de pactis, c. si diligenti, de for. compet. in fauorem partium priuatum possunt l. in conscribendo C. de pact. cum similib. Atq; ita hoc obiectum rectè dissoluunt. Lanfranc. de Oriano in d. tract. de test. nu. 4. & 5. Iust. Reuber. itidem in d. Tract de testib. part. 3. nu. 58. 59. Ferrariensis Practicus in forma siue libello opponendi contra testes post publicationem, vers. & non iurati, num. 3.

QVAESTIO VI.

Num pro sepultura aliquid exigi possit?

Per

PER sepulturam hic accipimus & locum sepulturæ, siue in ecclesia, siue cæmiterio: & officium, sacramentũ, ceremonias, & exequias sepulturæ, vt annotauit glossa in c. abolendæ 13. verb. sepultura, de sepultur.

2. Quo præmisso, sciendum, nec ratione terræ vel loci, in quo defunctus sepelitur d. c. abolendæ c. in Ecclesiastico, 13. q. 2. nec ratione officij, exequiarum, & administrationis sacramentorum, aliquid exigi posse. c. non satis 8. cum seq. de Simon. c, questa, & seq. 13. q. 2. d. c. abolendæ, & ibi glos. Quoniam simoniacum est, pro ministrandis sacramentis, vel locis sacris & religiosis, aliquid exigere, d. c. non satis 8. §. fin. c. cũ Ecclesiæ 9. vers. & pro sepultura, c. suam nobis 29. c. audiuimus 41. de simonia. d. c. quæsta est, c. postquam c. in Ecclesiastico, c. præcipiendũ, 13. q 2. & res sanctissima (vt de iurisprudentia Vlpianus scribit) pretio numario æstimanda de honestandaq; non est l. 1. de Var. & extraord. cognit. Fallit

3. Fallit hoc primò, si vel pecunia, vel aliud quiddam, sponte liberaliterq; hoc nomine offeratur, Id enim accipere canones non prohibent d. c. questa 13. q. 2. c. etsi quæstiones 18. de Simon. c. emendari 1. q. 1. c. dilectus 2. de Simon. c. placuit, c. in summa 1. q. 2. Quædam enim honestè accipiuntur, quæ inhonestè petuntur, d. l. 1. de var. & extraord. cognit. c. non sanè 14. q. 5. Franciſc. Duar. de Sacris Eccleſiæ miniſteriis ac beneficiis, lib. 7. c. 6. Martinus Gilbertus in additionibus Anton. Cucchi Inſtit. iur. Canon. lib. 4. Tit. 2. de Simonia, §. incidit autem in hoc crimen, verb. vel ſepulturam.

4. Franciſc. tamen Ripa d. modò nu. 112. & num. 113. hanc limitationem non admittit, ſed negatiuam ſententiam ſimpliciter defendit: quod ſcilicet pro ſepultura nihil exigi poſſit. Idq; per hæc fundamenta. Primò, quòd non liceat recipere temporalia pro ſpiritualibus, etiam à ſponte dantibus, propterea, quòd rationes prohibitiuæ, militēt etiā in re-

in recipiente ſpontè oblata, quarum eſt prima, ne quis credat domum Dei poſſe pecunia poſſideri: altera, quòd pecuniã accipiens, gratiam Spiritus ſancti non habeat, d.c. eos 1. q 1. ſed qui ſponte dat, ſi reſpectiuè pro ſpiritualibus det, credit domum Dei pecunia comparari: Et accipiens, ſi reſpectiuè capiat, gratiam Spiritus S. confeſtim à ſe abdicat. Secundò mouetur per hanc rationem, quòd lex prohibẽs aliquid recipi, quod illicitum eſt ex parte recipientis, intelligatur etiam prohibere, ne quicquam recipiat à volentibus ſpontè dare, per notata Bartoli in l. inuitus §. 1. de R. I. ex quo textu infert ibi Bart. notarium actorum, prohibitum aliquid recipere pro ſcripturis, intelligi etiam prohibitum recipere à volentibus ſpontè dare. Tertiò ponderat ad hoc notata Ioh. de Pla. ad l. 2. C. ne ruſticani ad vllũ obſeq. deuocẽtur lib. 11. Tit. 54. In illa lege officialibus, & rectoribus prouinciarũ, qui ruſticanos, eorũ ſeruos, vel tumẽta, ad aliqua obſequia cogũt, ipſiſq; ruſticanis, ſe ſpon-

se spontè dictis obsequiis subiicientibus, pœna publicationis bonorum, ac perpetui exilij, denunciatur.

5. Et hac sua sententia, ita stabilita, respondet ad fundamenta, pro fallentia nostra adducta. Et primò non obstare c. & si quæstiones, de simon. quoniam equus ibi donatus fuit Cardinali, non pro pallio respectiuè, sed ea intentione, vt cardinali subueniretur tempore necessitatis, dum scilicet per mare veniens, nullas aut paucas secum equitaturas adduxerat. Ergò à contrario sensu, si ea intentione ac respectu, vt pallium traderetur, equus donatus fuisset, contractum fuisset vicium Simoniæ. Secundò, non obstare c. emendari 1. q. 1. Nam licet textus loquatur in spontè dantibus, prout solebant: tamen ibi sacerdotem prohiberi recipere, ne precio spiritualia distrahere videatur. Nec referre, secundum quosdam, dicere, textum illum loqui in soluentibus vigore pacti: quoniam, si virtute pacti soluerent, iam non viderentur distrahere,

here, sed verè distraherent: item non dicerentur sponte soluere; sed coacti, ex obligatione pacti l. 1. de pact. c. 1. eod. de pact. Tertiò, non obstare alia iura supra pro fallentia nostra allegata, quoniam licet velint munera gratis oblata, capi posse, quòd tamen in pūcto nostro non loquantur, propterea quòd respectiuè datum, non rectè possit dici gratis oblatum. Monet itaq; Ripa d. modò nu. 113. circ. fin. sacerdotes, ne spiritualia temporalibus commutent, ne videantur Dei domum, pretio distrahere, contra d. c. eos 1. q. 1. Et subiicit: sed vereor, ne auaritiæ cæcitas, iuridicum & honestū consilium nostrum, derideat, vel eludat, dicendo, quòd pro eleemosyna capiunt, & non pro sepultura. Sed ipsi viderint, qui sine spe præmij vnicum nudum requiem non cantarent. Vtut sit, sententiam limitationis nostræ sequuntur Vincent. Iohan. Goffred. Archidiac. in d. c. eos, 1. q. 1. & communiter Scribentes in c. cum M. Ferrar. de con-

stit. vt ipse Ripa attestatur in d.nu. 112. in princ.

6. Secundò fallit, si consuetudine introductũ sit, vt sepulturæ nomine Laici aliquid præstare cogantur c. ad Apostolicam, de Simon. Martinus Gilbertus, in d. modò additione, Fr. Duar. d. lib. 7. c. 6. in fine, vbi sensum istius c. in dubiũ reuocat. Quæ consuetudo ideo recepta est, vt habeant clerici, vnde se alant. Mart. Gilbert. d. additione, argumento c. & si quæstiones, de Simon. & per notata Panor. in c. 1. nu. 4. de Simon. Eaq; consuetudo, vt pote pia & honesta, adeò valida est, vt ad eam obseruandam, perfecto iam sacramento, aut cadauere sepulto, auctoritate superioris Antistitis, etiam inuiti adigantur. Fr. Duar. d. lib. 7. c. 6. Atq; ita hic est casus, quo Episcopus, etiam in Laicos homines, iurisdictionem exercet, Fr. Duar. d. sæpius lib. 7. c. 6. Licet etiam hanc fallentiam in dubium reuocet Francisc. Ripa. d. c. de præseruatiuis remedijs contra pestem num. 109. vbi negatiuam astruit. & num. 110. &

110. & 111. vbi ad c. ad Apostolicum, de Simon. & alia fundamenta respondet, quem videto.

7. Illud hic coronidis loco adiiciendum, quòd de Alphonso Arragonum Rege proditum est, eum pastorem pagi, per biduum, in fouea, ad lumbos vsq;, terra circumfusa detinuisse, quòd viduæ cuiusdam maritum sine pretij numeratione sepelire noluerit, vt refert Panormita. de dictis & factis Alfonsi. vnde id vsurpauit Ioach. Beust. in tract. de iureiur. pag. 483. §. vltimò circa sepulturam & id est notandum.

QVAESTIO VII.

An puniendi, vel supplicio destinati, etiam viui, Medicis ad Anatomiam sint concedendi?

HAEC quæstio inter Medicos controuerti solet, Nam qui rationalem medicinam profitebantur, non tantùm esse necessarium cognoscebant, incidere corpora mortuorum, eorumq; viscera atq;, intestina scrutari, sed etiam viuorum. Neq; esse crudele iudicabant, hominum nocentium siue piaculariũ, eorumq; paucorum, suppliciis, remedia populis innocentibus seculorum omnium quæri. Itaq; probabant Herophili & Erasistrati institutum, qui damnatos à Regibus, ex carcere acceptos, viuos incidebant, considerauri, etiam spiritu remanente, ea, quæ natura clausissset. Verùm Christiani, quibus religio est, admittere malum, vt eueniat bonum, id non permiserint, etsi publicè expediret. Et pœnæ executio spiculatori, siue carnifici, mandanda est, non Medico, cuius ars, ad salutem hominum pertinet, non ad perniciem l. 1. §. 1. de extraord. cognit.

Et in

2. Et in hac sententia negatiua etiam Empiricos veteres fuisse, refert Cornelius Celsus lib. 1. qui crudele existimârunt, viuorum hominum aluum atq; præcordia incîdi, & salutis humanæ præsidem artem, non solùm pestem alicui, sed hanc vel atrociſſimam, inferre. Cùm præsertim ex his, quæ tanta violentia quærantur, pleraq, non possint omninò cognosci: Licet enim mortui præcordia, & viscus omne, in cõspectum latrocinantis Medici detur, necessariò tamen fore, tale, quale mortui sit, non quale viui fuerit: Itaq; consequi Medicum, vt crudeliter hominem iugulet, non vt sciat, qualia viui viscera habeamus: si quid autem sit, quod spirante adhuc homine, conspectui subijciatur, id sæpè casum offerre, dum vel gladiator in harena, vel miles in acie, vel viator, à latronibus exceptus, sic vulneratur, vt interior pars eius aliqua aperiatur. Et hanc sententiam Empiricorum negatiuam, refert & sequitur Marquard. Freher. lib. 1. παρέργ. c. 25. & re

QVAESTIO VIII.

An punitorum, & maximè suspensorum, siue cruciariorum cadauera, Medicis ad anatomiam concedi debeant?

I.

ET negatiuam sententiam Empirici veteres secuti sunt qui, nedum viuorum, vt proximè præcedente quæstione ostensum fuit, sed etiam mortuorum lacerationem, reiecerunt, vtpote, quæ si non crudelis, tamen fœda sit, & nauseæ plena. Hinc Ammianus lib. 28. alij nauseam horridæ carnis despectantes, inquit, vt discissarum pecudum exta rimari cum Anatomicis Democritum putes, docentem, quibus modis posteritas mederi doloribus possit internis. In iure nostro quæstio hæc expresè decisa non est, Bart. quidem in l. vlt. de cadauer. punit. eam mouet, sed nihil determinat, & cogitandum relinquit.

2. Et

2. Et quidem præter fæditatem ab Empiricis consideratam, & alia, sententiæ negatiuæ, ratio, assignari potest, hæc videlicet, quòd corpora damnatorum dilaniari frustratim non possint, nisi in quibusdam casibus, propter atrocissimum facinus. Ripa in tract. pestis cap. de remed. præseruat. contr. pest. num. 142.

3. Verum hisce non obstantibus, affirmatiua sententia verior videtur, quã etiam vsu & consuetudine, receptam, & indies frequentari videmus, & communem attestantur, astruunt & defendunt, Fr. Ripa, in d. tract. pest. cap. de remed. præseruat. contra pest. nu. 142. Anton. Gomes. in comment. variar. resolu. iur. Tom. 3. c. 14. nu. 9. vbi refert in fine, quod de Anno 1550. Carolus 5. Imperator, consuluerit super hac re vniuersitatẽ Salmaticensem, & respondisse vniuersitatẽ, licere. Idẽ probat Iulius Clar. lib. 5. recept. sentent. §. fin. q. 100. num. 2.

Bertachin.in repertorio suo, verb. Cadauera, vers. 5. vbi quotidie ita practicari attestatur, ita tamen, vt eius rei licentia, à Principe vel magistratu, concedatur. Eandem sententiam sequuntur, magnus practicus Curt. Iun. nu. 38. Caspar Valasc. nu. 17. Sebastian. Sapia. nu. 11. Lancelot. Decius num 18. in l. imperium 3. de Iurisdict. sequitur item Eman. Soarez. in doctissimis suis additionibus ad Gomes. d. c. 14. num. 9. sub lit. C. Iacob. Menoch. de arbitrar. Iudic. quæst. Cas. 185. nu. 10. 11. 12. Et nouissimè Marquard. Freher. lib. 1. παρέργ. c. 25. §. Cæterum cadauera τῶν θανάτων.

4. Mouentur supradicti DD. ad astruendam hanc sententiam adfirmatiuam, per hæc fundamenta. Primò, quòd perfecta Medicinæ cognitio, non magis absq; anatomicis dissectionibus cõparari possit, quàm vera aliqua alterius artis scientia, absq; ipsiusmet proprij & genuini subiecti notione. Quanti autem ponderis ac momenti, medicina sit, & quantopere omni ratione, illis sit fauen-

fauendum, atq; auxilium omne lubentissimè suppeditandum, qui ad illam, non perfunctoriè, nec dicis causa, sed verè, & suis ex principiis, adipiscendam, contendunt, nemo profectò dubitabit, cui chara, vti debet, sua salus atq; incolumitas fuerit, qua, qui caret, nescio an vitam ipsam iure possit gratam existimare. Cum igitur Medicorum arti illa lacerorum corporum inspectio, summè necessaria sit, cadauera, ipsis petentibus, non sunt deneganda. Secundò mouentur, quòd dissectio illa, á Medicis, publici boni & vtilitatis gratia, suscipitur, vt scilicet Medici, hac consideratione & inspectione, in conseruandis & curandis corporibus viuorum, peritiores fiant. Sed quæ vtilitatis publicæ causa fiunt, licet in contumeliam alterius cedant, non sunt redarguenda, neq; iniuriarum, Magistratus, corpora punitorum petentibus, dantes, conueniri possunt l. quod Reipublicæ, de Iniur. Tertiò mouentur, cum nullus honos debeatur illorum cadaueribus, qui, an-

tequam necarentur, ſerui pœnæ erant, & inſepulta abiici, vel in furca, vel cruce relinqui poſſunt l. capitalium 28. §. famoſos, de pœn. nihil etiam referre, quid de iis fiat. Deniq; mouentur, cum cadauera punitorum, cuiuis petenti ad ſepulturã, cõçedi ſoleant, l. vlt. de cadauer. punit. Ideò vel maximè Medicis nõ eſſe deneganda, vt quorũ beneficio illis ſepultura, etiã honeſta, contingat. Hi enim, partiũ omniũ diſſectione & inſpectione explicata, λείψανα, ſiue reliquias hominis, non ſine funerali ꝓceſſu iuſtæ ſepulturæ tradere & cõdere ſolẽt, vt ſæpiꝯ ſe Papiæ vidiſſe atteſtatur. Fr. Rip d. antè loco, in fine. Et ego vidi Roſtochij, poſt habitã ſectionẽ mulieris ſubmerſæ, reliquias iſtas ad publicũ ſepulturæ locum cum honeſta deductione ac proceſſu eorum, tã Profeſſorum, q̃ ſtudioſorum, qui iſtius ſectionis inſpectores fuerant, transferri, & inter alia piè defunctorũ cadauera ſepeliri. Cui inſpectioni & deductioni ipſe etiam interfui.

§. Sed & σπέλεθρα quæ ex corporibus

bus istis reseruari solent, ossiumq; ista compago, & quotidiana eius inspectio, ad multa nobis conducit. Primò namque subiicit nobis miseram nostram conditionem, fragilitatem, & imbecillitatem, quòd scilicet nihil aliud, quam σκέλεθρα sumus, hoc est, mortuaria, res mortua, nugatoria & inanis. Vnde legimus Regem quendam ex cranio humano inaurato quotidie bibisse, vt humanam conditionem quotidie sibi in memoriam reuocaret. Secundò prodest nobis hæc inspectio ad considerationem admirandæ sapientiæ architecti & opificis, σοφῆ nimirum πνὸς δημιεργῆ huius structuræ & συσήματος opus esse. Tertiò ducit nos & inuitat hæc cõsideratio ad ardentem & seriam gratiarum actionem, quæ ipsi opifici debetur. Si enim singulis diebus pro vno articulo Deo gratias agamus, totus annus omnibus articulis non sufficiet.

6. Cæterùm Iacobus Menoch. d. supra Cas. 185. in fine, Iudicis arbitrio rem committendam censet, vt is pro sua pru-

prudentia consideret familiæ conditionem & dignitatem, an scilicet huiusmodi sit, vt illa reluctante, cadauer anatomiæ tradendum non sit, vel tradendum, si vilis sit familiæ, & deploratæ conditionis.

QVAESTIO IX.

An Cadauera suspensorum, rotæ impositorum, vel aliter punitorum, possint deponi, & sepulturæ mandari, an verò in patibulo vel rota relinquenda sint?

I.

ET quidem tolli ac sepulturæ mandari posse, si id cognati vel alij â Principe petant & impetrent, cautum est in l. 1. & 3 de cadauer. punitor. & in l. 11. C. de religios. & sumpt. funer. ibi Impp. Diocletianus & Maximianus Gaudentio cuidam in hæc verba rescripserunt: obnoxios criminum, digno supplicio subiectos,

iectos, sepulturæ tradi non vetamus. Referunt & sequuntur, Anton. Gomes. in comment. variar. resolut. tom. 3. c. 14. num. 8 Iul. Clar. lib. 5 recept. sent. §. fin. q. 100. nu. 1. Barthol. Chassan. in consuet. Ducat. Burgund. Rubric. 2 §. 1. verb. Il confisque les biens, mih. nu. 5.

2. Excipiuntur Maiestatis damnati, d. l. 1. de cadauer. punit. Quod iure Gallico seruari testatur Rebuffus in prooim. constit. Reg. Gal. nu. 54. 55.

3. Excipiuntur item aggressores publicarum viarum, qui suspensi, in patibulis relinquuntur, vt cæteris sint exemplo & terrori, Iul. Clar. d. modò loco. Qui licet ad hoc nihil alleget, tamen id probari videtur in l. capitalium 28. §. famosos 15. de pœn. Idq;, teste Igneo in l. 1. §. si sibi manus, post. nu. 49. ad SC. Silanian. vnde id refert Iul. Clar. d. modò nu. 1. Plerumq; Gallia obseruat, vt scilicet insignium latronum cadauera, membratim diuisa, in locis, vbi frequentius grassati sunt, pendêre permittantur.

4. Ac

4. Ac licet quidem iura Canonica, simpliciter & indistinctè loqui videantur, quod scilicet talibus, sepultura, etiam si hoc à Principe petitum non fuerit, deneganda non sit: c. quæsitum 13. q 2. & c. placuit, 23. q 5. & in clemen. 1. de pœn. & remiss. tamen ita ea intelligenda & exaudienda sunt, vt procedant secundum distinctionem iuris ciuilis, hoc est, vt aliter deponi non possint, aut sepulturæ tradi, nisi id à Principe, vel alio iudice seculari, qui sententiam tulit, petitum & impetratum fuerit, secundum l. 1. & vlt. de cadauer. punit. & d. l. obnoxios 11. C. de religios. & sumpt. funer.

5. Atq; ita supradicta iura Canonica intelligunt, & declarant glossæ ibi. Cui declarationi præter interpretes, subscribunt etiam Iul. Clar. d. nu. 1. Bart. Chass. d nu. 5. Hostiens. in Rubric. de sepultur. nu. 4. vers. quid de suspensis. Anton. Gomes. d. nu. 8., vbi practicam Regni Salmantini de indictione iudicis, ne quis sub certa pœna, corpus suspensi sine licentia

centia & conceſſu ſuo, auferre vel tollere audeat inde extructam ſcribit. Prout etiam ſeruatum fuiſſe in ſacratiſſimo corpore Saluatoris noſtri, quod licentia & permiſſu Pilati præſidis, à cruce ſublatum, & ſepulturæ mandatum, legimus apud Iohan. Euangeliſtam c. 19. verſ. 38.

6. Cæterùm VVeſenbec. in Oeconomia ſua, ad tit. de cadauer. punit. poſt Didac. Couarr. lib. 1 reſolut. c. 1. putat etiam abſq; cuiuſquam petitione, ex officio Magiſtratus, cadauera punitorum, ſub veſperam diei tollēda, & terræ mandanda eſſe. Quòd conprobari aiunt primum, legibus diuinis, Deut. c. 21. vbi terram pollui cadaueribus demonſtratur. Ioh. 8. vbi eius rei exemplum propo nitur, Apocalyp. c. 11. Pſa. 79. vbi propria quædā Antichriſtiani Regni nota videtur, cadauera punitorū inſepulta relinquere. Geneſ. 3. terra es, & in terrā, vnde ſumptus es, reuerteris. Quæ lex, vti antiquiſſima, de peccato primum lata, ita etiam non minus, quàm mors ipſa

ad

ad omnes homines pertinere videtur. Secundò id comprobari aiunt, legibus humanis, ciuilibus, & Canonicis, d. l. obnoxios 11. C. de religios & sumpt. funer. quæ cum simpliciter & indistincte, corpora punitorum, nulla habita petitionis mentione, sepulturæ mandari, permittat, etiam simpliciter eam sine petitione intelligendam putat. VVesenbec. d. mod. loco per d. c. quæsitum 13. q. 2. quod similiter sine distinctione VVesenbec. d. loco intelligit. Tertiò id comprobari aiunt, omnium gentiũ moribus, quibus inhumanum atq; impium habitum fuit, corpora defunctorum inhumata relinquere. vt ex Cicerone act. 5. in Verrem. Sophocle, Euripide. & aliis auctoribus constat. Qua de re plenius Couar. d loco. Deniq; & hoc incommodi, tetra illa spectacula secum adferunt, quòd grauidæ sæpius mulieres visu in ea incurrunt, dum ad vias potissimum patibula vel rotæ collocari soleant. VVesenb. d. modò loco.

7. Et

7. Et quamuis hæc ita verè dicantur, tamen hodie, secundum communem cõsuetudinem Germaniæ, suspensorum & rotæ impositorum cadauera, non sepeliri, sed ad exemplum, in furca, patibulo, vel rota relinqui cernimus, Glossa Germanica Landr. lib. 1. verb. Niemand wettet/ mih. nu. 7. & ibi quoq; Apostillator. Glossa, Weichb. art. 36. vers. Vnd man begrebet sie (die Diebe scilicet) selten / darumb das man andere damit erschreckt/ argumento §. planè & ibi glos. in verb. irrogauit, Instit. de iur. nat. gen. & ciuil. VVesenbec. ad Tit. de cadauer. punit. in parat. per d. l. capitalium 28. §. famosos 15. de pœn. Parid. de Put. in tract. Syndic. verb. mortuus, c. 1. nu. 3. & verb. furcarum erectio, num. 1. contra l. Mosis Deut. 21. in fine, aliaq; fundamenta, à VVesenbecio & Couarruuia ponderata, & paulò antè â me adducta.

8. Et tantum de hac quæstione. Cui affinis est & illa: nunquid Medici, in foro conscientiæ, possint sibi reseruare de pinguedine hominis ad sectionẽ con-

cessi, pro liberatione aliorum. Et licet etiam hic DD. subsistant, & nihil certi determinent, ego, quòd vnum, eundemq; cum hac nostra finem respiciat: nec decisionis diuersitate ab illa seiungendam puto. Vbi enim eadem ratio, idem quoq; ius statuendum, per iura vulgata &c.

QVAESTIO X.

Quæ reperiantur Remedia contra pestem in Iure nostro?

HANC quæstionem iuridicè discutit Iohan. Francisc. à Ripa, in tractat. pestis c. de præseruatiuis remediis contra pestem, & c. de Remediis ad curandam pestem: per tot. & in præludiis, vbi causæ pestis enumerantur. Cuius tractatus summam, in breuem quandam σύνοψιν καὶ ἀλοπίησιν concludere, operæ precium visum fuit.

1. Constituit Ripa, secundum Medicos,

cos, rectissimè duo pestis remediorum genera, προφυλακτικὰ, id est, præseruatiua, & θεραπευτικὰ, id est, curatiua. Remedia præseruatiua, consistunt in remotione causarum efficientium & procreantium pestem. Remota namque causa remouetur effectus, c. cum cessante, de appellat. c. cũ infirmitas, de pænit. & remiss. l. generaliter C. de Episc. & Cleric. l. adigere, §. quamuis de iur. patronat.

2. Causatur autem & procreatur pestis, vel ex aëris infectione & intẽperie: vel ex aqua putrida & corrupta: vel ex tristi imaginatione cõcomitata timore: vel ex fœtore, immũditiis, & coluuie: vel ex coitu immoderato: vel ex superfluo & immodico exercitio: vel ex alternata penuria & vbertate: vel deniq; si morbo pestilentiali infecti, ex loco infecto aduenientes, in vrbem vel locum non infectum, intromittantur.

3. Prima causa submoueri potest, si locum domicilij saluberrimum quæramus. Loci nanq; oportunitas, mirum

in modum ad ſanitatem corporis conſeruandam confert. l. 1. §. ſed ſi rem, ſi quid in fraud. patron. Locus autem ſalubris iudicatur, ſecũdum Vitruuium, ſi ſit excelſus, non nebuloſus, regiones cœli ſpectans, non æſtuoſus, non frigidus, cui nulla noceat paluſtris vicinitas. Nam auræ matutinæ, quæ ſole oriente, ex palude, ad oppidum, nebulis quibuſdam adiunctis, perueniunt, ſpiritus beſtiarum paluſtrium venenatos, cum nebula mixtos, in habitatorum corpora ſpargunt, ſicq; locum efficiunt peſtilentem.

4. Secundam cauſam remouebimus, ſi locum domicilij quæramus, vbi aquarum ſalubritas ſit & vbertas. Ad cognoſcendam autem aquæ puritatem & ſalubritatem, maiores noſtri inſpiciebant iecinora pecorum, quæ his locis paſcebantur, & pluries experti, ſi lucida vel vitioſa reperiebant, ex aqua & pabulo malignis id euenire arbitrantes, iudicio mutabant regiones, putantes, aquam illam humanis corporibus peſtilen-

stilentem futuram. Probatur etiam aquæ bonitas, ex habitu & aspectu incolarum, si sint corpore robusti, colore nitidi, non gibbosi, non strumosi, non viciati cruribus, non lippis oculis, non fatui. Probatur insuper aqua, si in vas æneum vel Corintheum sparsa, maculam non fecerit, neque in fundo vasis, arena limusue inueniatur, si legumina in eam coniecta, & ad ignẽ posita, celeriter percocta fuerint, & quocunq; profluxerit, locum ab omni inquinamẽto mundum reliquerit, neq; muscum, neq; iuncos produxerit. Atq; hæc sunt signa & argumenta bonæ & salubris aquæ. Interest igitur Reipublicæ, in ciuitate salubres & optimas esse aquas, cuius rei gratia plurima statuit legum veneranda maiestas. Hinc aquarum custodes, (Græcis ὑδροφυλάκες) diligenter cauere debent, ne in publico aquæ ductu, ad quem pro incolarum vsu necessariò aceditur, quis res immundas proiiciat, ne mulieres pannos, cæteraq; sordida, ne seruitores

mulas, equos, porcos, & reliqua huiusmodi lauent, ne quis in eo natet, vel se abluat, nisi fortè in inferiori parte, & secreto modo l. cum supra virentem, & ibi Bart. & Ioh. de Plat. C. de re milit. lib. 12. adeò, vt qui contrauenerit, & quouis modo aquas publicas spurcauerit, arbitrio iudicis grauiter sit puniendus l. 1. §. 1. de extraord. crimin. Hinc non licet habenti fontem seu aquam priuatam, eam aliquo modo spurcam reddere, si cũ eâdem spurcitie, in aquã vel fundum defluat alienum, l. apud Trebatium, in prin. de aq. plu. arc. Hinc contra artem cerdonum consuluit Angel. Aretin. cons. 30. viso themate, in primo dubio. Hinc etiam non licet lauare ventres & pannos in riuulo descẽdente ad conuicinos, secundum Barth. Cæpol. in Tract. seruit. de seruit. rustic. prædior. sub Rubr. de fõte 40. n. 4. Hinc si in puteum priuatum, vel in fontem quis aliquid immiserit, quo aqua deturpetur, deteriorue fiat, iniuriarũ, & ad interesse domus fontis & putei tenetur,

l. is qui

l. is qui in puteum, quod vi aut clàm, l. pen. de iniur. Erant & aliæ leges pœnales, antiquitus editæ contra corrumpétes aquas publicas, quas refert Frontinus libro, quem de aquis in vrbem influentibus eleganter scripsit.

5. Tertiam causam pestis, ex fœtore, immunditiis, & colluuie prouenire dixi. Contra hanc causam à iure proditum est, vt locus ab omni fœtore, immunditie, colluuie & putredine, mundus & purus conseruetur. Et ob id inuentus fuit Cloacarum vsus. Cloaca est locus concauus, per quem colluuies defluit l. 1. §. Cloaca, de cloac. Et donec Roma Cloacis vsa est, sanum fuit & salubre ibi habitare, secundum glos. in c. qualiter 7. q. 1. nunc autē, q eadē Cloacis caret, periculosum est ibi habitare, secundū glos. in c. si verò, de iureiur. Et antiquos Romanos, magnā cloacarum curā habuisse, testatur Bart. cæpol. tract. seruit. vrb. prædio. c. de Cloacis. vnde Francis. Ripa consulit Dominis suis Auemonensibus, vt in locis necessariis,

Cloacas publicas & priuatas fieri curent, quibus sordes seclariorum, in sorgiam deferantur, aliàs rarò eos sine peste futuros. Hinc etiam in iure cautum est, ne quid immunditiarum, in viã publicam immittatur l. ædiles, §. fin. de via public. refic. vbi dicitur, non permittant ædiles, in viis publicis stercora proiici, neq; morticinia, neq, coria iacêre. Hinc etiam illud est, quòd non liceat in domo propria lauare vegetes, in quibus fuerunt vina fœtida', & aquã illam in viam publicam profundere, Barth. Cæpol. in d. tract. seruit. vrban. prædio. sub Rubriç. de Cloacis, in 5. q. Hinc etiam illud est, quòd habens seruitutem proiiciendi, non possit vrinam, stercus & similia fœtentia proiicere, ne scilicet ex fœtore, domus, quæ seruitutem debet, reddatur pestilentiosa, secundum eundem Cæpol. sub Rubric. de seruit. proiiciendi, in 4. q. Hinc etiam illud est, quòd habens sterquilinium in domo propria, cuius humor & putredo noceat vicino, compellatur illud obli-

mare;

mare, secundum Ferrariens. practic. in form. libel. quo agitur pro hæreditate vel re singulari diuidenda in verb. & in futurum, vbi subiicit, etiam non licere sterquilinium facere in pariete communi, ne aliquo modo ex fœtore vicinus incommodetur. Hinc etiam illud est, quòd non liceat ex aquariolo seu seclario, immittere lauaturam ollarum & scutellarum, in viam publicam. Quia talis lauatura, illicò corrumpitur, & transeuntibus, propter fœtorem, stomachum mouet, locusq; ex tali odore efficitur pestilentiosus: Et maximè, quando aqua ipsa fœtida restagnat, per ea quæ scribit idem Cæpolla, in Rubric. de Aquæductu in 8. q. princ. vbi concludit, non licere in agro rustico retinere aquam, quæ ex restagnatione noceat vicinis. Minus ergò licebit in via publica, si restagnatio, & aqua ipsa noceat transeuntibus. Ripa in tract. de peste, c. de remediis præseruatiuis contra pest. num. 80. 81. per l. 2. §. proinde, ne quid in loc. publ. Hinc etiam illud est,

quod non liceat in via publica tenere fimum, vel iuxta murum communem, vel alienum, si fimi colluuies decurrat ad murum alienum vel communē. Rip. d.loc.nu.83.84. per d.l. ædiles §. fin. de via publ.refic.& per l.si quando §. fin. si seruit. vendic.& per l.fistulam, in princ. de seruit.vrban.prædior. Hinc etiam illud est, quòd non liceat ponere paleas in via publica, vt ibidem marcescant,& in fimum conuertantur, si ex hoc via publica lædatur. Ripa d. loc.nu. 85. per l.2.in princ.ne quid in loc. public. Hinc etiam illud est, pelliparios, sulphurarios, & similes posse prohiberi, ne in domo sua exerceant moltitiam sulphurariam, & cæteras huiusmodi fætentes artes,Rip.d. loc.nu.86.87.per glos.in d. l.ædiles §. fin.& Cæpol. in Rubric. de Aëre,& per l. æquissimum §. si tamen, de vsufr. per quam l. Albericus de Rosate ibi concludit, dominum proprietatis,posse prohibere vsufructuarium, ne faciat candelas, vel pelliparium, aliam-

aliamue artem fœtentem in domo sua. Hinc etiam illud est, quòd Magistri sanitatis, possint edicere, ne quis porcos, aliudue fœtidum aut venenosum animal, teneat in ciuitate, quòd eorum flatus, possint locum reddere pestilentem, Rip.d.loc.num.88.& nu.89.& 90. Huc etiam pertinet edictum, contra deiicientes & proiicientes res immundas in viam publicam, à prætore propositum in l.r. de his qui deiec. vel effuder. Rip.d. l.loc. nu.96.97. Ad remouendum etiam fætorem, ex cadaueribus prouenientem, à maioribus nostris adinuenta sunt sepulchra, non tàm defunctorum causa, quàm viuentium gratia, vt scilicet iis cadauera, naribus fætida, & oculis infesta, occultentur. Rip.d. loc. num. 98.99.100. Deniq;, quòd malè olentia sint nata ad generandam pestilentiam, ideò debet præfectus vrbis, quem Papiensis, iudicem victualium adpellant, sollicitè prouidere, ne vendantur putridæ carnes, pisces corrupti, aromata vetera, adulterina, vel mixta, &

cætera

cætera huiusmodi fætentia, vel noxia, quibus vel sanguis corrumpatur, stomachus laxetur, & consequenter pestilentiæ & variæ ægritudinum species generentur, Ripa d. loc. num. 146. 147. 148. 149. 150. 151.

6. Quartam pestis causam euitabimus, si omnem tristitiæ occasionem effugerimus, honestam lætitiam, quæ floridam ætatem facit, amplexati fuerimus, omnemq; mortis timorem, & tristem euentum, & melancholicas cogitationes, reiecerimus. Nam iuxta Catonis illud: Qui mortem metuit, quod viuit, perdit idipsum.

7. Quinta pestis causa, ex immoderato coitu proueniens, cessabit, si scelestos lenones, pestiferasq; lenas, & communes castitatis vastatores, extra vrbē eiecerimus, aliisq; meritis pœnis affecerimus. Item si mendicantes validos & forenses, ex vrbe eiecerimus. Hi enim sunt, qui morbum introducunt, introductumq; nutriunt, dum vagantur, dum singulos vrbis angulos circumeunt, dū

se in-

se ingurgitant, dum turpiter vitam agunt l. vnic. C. de mendicant. valid. quem text. notat ibi Iohan. de Platea, dicens, quòd si mora forensium mendicantium sit ciuitati damnosa, quia fortè vigeat caristia, & ipsi auferant victũ pauperibus & infirmis originariis & domesticis, vel si eorum mora ciuitati sit periculosa, vt quia pestis in vicina loca iam irrepserit, quòd tunc omnes expelli possint. Quinimò mendicantes validi, & corpore robusti, etiam, nulla existente peste, explodendi sunt, & ad publicum aliquod ministerium exercendum cogendi, puta, ad purgandas plateas, viasq; publicas, ſ. si verò, in Authent. de quæstore. Ideò autem, etiam cessante peste vel caristia, validi mendicantes excludi possunt, quòd, cum valeant sibi proprio sudore victum quærere, non sit meritorum, eis, indebitè petentibus, Eleẽmosynam facere, c. nõ omnes, 5. q. 5. Nam etiam filius, qui potest suo labore & industria victum quærere, non est à patre alendus, l. si quis à liberis,

liberis, §. Sed si filius, de liber. agnosc, Et non parum delinquit, qui potest ex labore suo vel aliunde viuere, si Eleëmosynas, pauperibus, inualidis, necessarias, sibi vsurpet, argumento c. ad aures de rescript. d. c. non omnes 5. q. 5. Et meritorium videtur, illis Eleëmosynam denegare, quos ab ignominiosa mendicitate conuenit auocare. Optimum enim Eleëmosynæ genus est, errantes reprehendere, c. tria sunt 45. distinct. Rip. d. loc. fol 18. nu. 165. cũ septem seq.

8. Sexta pestis causa, ex immodico & superfluo exercitio proueniens, cessabit, si colluctationes, bastiludia, coreas, pilæ ludos, & cætera huiusmodi, quibus corpus nimium fatigatur, quæ tempore pestis exerceri non conuenit, euitauerimus, vt à Cornelio Celso c. 10. sui operis eleganter traditum est, Refert & sequitur Ripa d. loc. pag. 18. num. 160.

9. Septima pestis causa, ex alternata penuria & vbertate proueniens, remo-

uebi-

uebitur, si Decuriones seu vrbis præfecti, statum Reipublicæ, & annonariam rationem, aliquando firmauerint, wan sie eine gute Marckordnung anrichten lassen. Tunc enim perpetuam ciuitati vbertatem & abundantiam comparabunt. Vberrima autem & abundans ciuitas esse potest, tàm ex publica, quàm ex priuata annona. Publica annona, vel ex publicis prædiis percipitur, vel ex pecunia publica comparatur, Quod si Respublica, neq; prædia possideat, neq; ærarium habeat, & vrgeat caristia, hic erit modus vbertatis habendus, vt indicatur collecta, à qua nemo, quantumcunq; priuilegiatus, excusatur, quo minus, secundū ratā patrimonii, cōferre teneatur. Et si in prouincia sit sterilitas vel caristia, poterūt præfecti annonæ eligere vnū vel plures discretos & expertos viros, qui pro frumento cōparando se cōferant ad alienas prouincias, & eis sine iussu Principis salariū constituere. Si verò ciuitas nolit collectā imponere, vt quia cognoscat,

apud

apud ciues locupletes esse sufficientem annonæ quantitatem, quam vendere differant, vel chariori pretio, quàm par sit, distrahere contendant, hic erit ordo habendus. Primò prouidendum erit, vt quilibet, secundum ratam facultatum & bladorum recollectorum, singulis diebus mittat in plateam ad vendendam, certam annonæ mensuram. Id quod contra regulam, quæ vult, vt nemo inuitus vendere cogatur, fauore publico, receptum est. Idq; non solùm in ciuibus, sed etiam in comitatensibus, locum habet. nam & hi, vt commeatum ad exercitum portare, sic etiã annonam & victualia, in ciuitatem deferre, arctari possunt. Minus tamen grauandi sunt remotiores propter expensas, quæ maiores fiunt ratione longioris itineris. Et si propinqui passibus viginti millibus possunt sufficienter prouidere de annona necessaria, nõ sunt remotiores vllo pacto vexandi. Et si comitatenses non possunt sufficere necessitatibus ciuitatis, tunc vicini etiã

alte-

alterius prouinciæ, possunt à superiore suo compelli, portare annonam ad ciuitatem egentem. Vt autem exteri & comitatenses alliciantur ad portandum victualia in ciuitatem, poterunt cauere præfecti vrbis, vt quicunq; portauerit frumentum, vinum, & similia ad vrbẽ, habeat pro labore suo duos grossos pro salmata. Item vbertatem procurabunt præfecti, si prouidebunt, vt deferentes annonam, & cætera ad victum necessaria, nullam ab incolis vim patiantur, neq; pro repressaliis capiantur, neque ratione delicti, vel contractus, conueniantur, neq; gabellis, portoriis, pedagiis, vllaue impositione, angarientur. Præterea, vbertatem procurabunt, & caristiam euitabunt, Præfecti annonæ, si Dardanarios impunè transire non patiantur. Sunt autem Dardanarij, emptores omnis annonæ, quam inueniunt in prouincia, ea ratione totum ementes, vt soli postea, precio quo velint, eam vendere possint. Curare etiam debent præfecti, ne fructus pendentes,

per incantatores & magos, arte damnata, vastentur, quod fiet, si capite mulctabuntur, vt merentur. Illud etiam, vel maximè, prouidebunt Præfecti, ne agrorum cultura deseratur, cum interfit Reipublicæ, vt Rustici agriculturæ sedulò vacent, vnde & plurima rusticis priuilegia indulta sunt, quæ ordine Ripa d. loc. fol. 19. nu. 208 cum multis seqq. enumerat. Item vbertatem promouebunt & cõseruabunt Præfecti annonæ, si idoneos, fideles, bonæ conscientiæ, & integros susceptores, qui annonam & pecuniam frumentariam suscipiant, eligant. Horum officio incumbit, vt in principio suscepti muneris, iurent, pro iustitiæ ratione, omni dolo & fraude remotis, iniunctam sibi solicitudinem pacturos: vt conficiant librum annonæ susceptæ, & pecuniæ frumentariæ, illumq; tradant decurionibus, qui ipsum reponant in archiuo publico, vt cum opus fuerit, quantitas annonæ reique frumentariæ, sciri possit. Insuper, pro conseruanda vbertate, præfecti annonæ, possunt, cum expedire videbitur,

mittere discussorem, qui prouinciam visitet, discutiat, & diligenter inquirat quantitatem annonæ, & singulorum capita numerumq; describat, vt sciant, num tantum annonæ sit in prouincia, quæ singulorũ necessitatibus sufficiat. Quam bladorum descriptionem facere debent absq; damno subditorum, nec quicquam pro eo debent extorquere. Vbi descriptione facta cognouerint, non plus annonæ in prouincia esse, quàm sit necessarium vsibus prouincialium, poterunt edictum proponere, ne quis extra prouinciam annonam deferat, sub pœna, quæ eis conuenire videbitur. Et tantum de acquirenda & conseruanda ciuitatis vbertate.

10. Vltima pestis causa, conuersatio & participatio morbosorum, remouebitur, si contagiosi & infecti, ab ingressu vrbis arceantur, q̃ fiet, si diligẽs portarũ custodia habebitur. In custodibus requiritur, vt sint discreti, induſtrij, & fideles, vt iurẽt in initio, se omnẽ diligẽtiã, omnẽq;, q̃ poterũt, solicitudinẽ, circa custo-

custodiam adhibituros, seque officium suum legaliter & fideliter exercituros. Quid autem custodes in hoc suo officio obseruare debeant, & num omnes indistinctè aduenientes, & forenses, ab ingressu loci arcere debeant, quæstione proximè sequenti, ne in infinitum hæc excrescat, expediam. Et hactenus de causis pestis, & earum remotione, siue remediis præseruatiuis. Restat nunc, vt paucis, etiam remedia curatiua, perstringamus.

11. Primum itaq; curatiuum remedium est, vt infesti extra locum reiiciantur, & in hospitale, vel nosocomium, à magistro sanitatis, includantur. Resecandæ namq; sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, corpora, pecora, ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant, secundum c. resecandæ 24. q. 3. Et iuxta Ouidium: Immedicabile vulnus, Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur. Quod si ciuitas hospitale non habeat, curet extrui vnum extra ciuitatem,

tem, ad cuius constructionem, vtpote publici operis, quilibet, nullo priuilegio obstante, pro rata patrimonij, conferre tenetur. Possent etiam huic fabricæ, vel vicesima, vel quinquagesima, legatorum & hæreditatum, extraneo delatarum, destinari & impendi. Sed & aliis modis, ad hanc constructionem, pecunia conquiri posset, vtputa, si statutum fieret, vt quinquagesima dotiũ, mulierum, extra territorium, vel forensium, in territorio nabentium, huic operi impenderetur: Item si quilibet artifex, in principio artis suæ, antequam eam exercere posset, ad solutionem vnius aurei, ex statuto damnaretur: Item si quilibet Doctorandus, certum quid, ad hanc constructionẽ tribueret. Possent etiam damnari vsurarij, omnesque alij, exoneraturi conscientias suas pro incertis malè ablatis, vel vouentes quid pro anima parentum & benefactorum, vt id omne huic fabricæ impenderetur. Ripa de remed. ad curand. pest. fol. 30. à num. 1. vsq; ad num. 44. in-

cluſiuè. Vbi etiam multas alias quæſtiones huc pertinentes, perſtringit.

12. Secundum curatiuum remedium ſuperiori proximum & adfine eſt, vt ſcilicet poſt eiectionem infectorum, ilicò eorum domus purgentur, & contagioſa & infecta bona mobilia, quæ aqua mundari nequeunt, vt ſunt pelles, lecti, & his ſimilia, comburantur. Idque ad exemplum patrum noſtrorum, qui, ſi de lepra perſpicuè conſtaret, leproſi veſtimenta comburebant, eiuſdem domum radebant intus & per circuitum, & puluerem raſuræ ſpargebant extra ciuitatem, in loco commodo, & luto nouo eandem domum liniebant. Quod ſi reuerſa fuiſſet lepra, tunc deſtruebant domum, ligna, lapides & cementa, extra vrbem, in locum immundum, proiiciebant, Vt habetur Daniel. 4. c. & Ionæ 3. & per gloſſ. in c. voluiſſent iniqui, verſ. lepra, de pœn. diſt. 1. An autem communitas hoc caſu noſtro, teneatur domino, ad precium bonorum, tempore peſtis, pro expurganda domo infecta, à magi-

magistro sanitatis, combustorum, peculiari quæstione infra expediam.

13. Tertium curatiuum remediū est, loci infecti mutatio. Cum & morbosus exercitus, nullo salubriori remedio vti possit, quam frequenti castrorum mutatione. Non autem fugiendum est in villas & castella vicina, sed ad loca aliquātò remotiora, secundum illud, quòd vulgò dicitur: Citò & longè, fugiendam esse pestem.

14. Quartum & vltimum remedium curatiuum est, vt ad Medicum, pro auxilio, accurramus. Quales autem Medici hoc casu, & aliàs in genere, pro curandis morbis quibusq; sint deligendi, & quibus virtutibus præditi esse debeant, peculiari quæstione inf. ostendam. Et hæc pro resolutione præsentis quæstionis suffecerint.

QVAESTIO XI.

Num custodes, tempore pestis, portis adpositi & destinati, possint ab ingressu loci arcere quoscunq;?

HVIVS etiam quæstionis resolutionem memini me promisisse supra quæst. proximè præcedente, ideò hic eam præstabo. Pro commodiori autem huius quæstionis discussione, post F. Rip. in tract. pestis. c. de remediis ad curand. pest. mih. fol. 28. num. 237. cum multis seqq. tres casus distinguemus. Aut enim constat ingressum petentes, non esse contagiosos, nec de contagione suspectos: Aut constat esse contagiosos: aut dubitatur de vtroq;.

1. Primo casu expeditum est, ingredi volentes, repelli non posse, quòd contra non suspectos, cesset causa custodiæ: adeò, vt si arceantur ab ingressu, eis cõpetat vel interdictum de locis & itineribus publicis, l. 1. de loc. & itiner. publ. l. 2. §. fin. ne quid in loc. public. fiat &c. vel actio iniuriarum l. iniuriarum 13. §. si quis me prohibeat 7. de iniur.

2. Secundo casu similiter expeditum est, tales admittendos non esse, cum horum arcendorum causa custodia adposita,

sita sit, adeò, vt si admissi fuerint, eiici rursus & expelli possint, vt alibi dictum fuit.

3. Tertio casu dicendum videtur, custodes, ingressum petentibus, denegare non debere: tum, quòd quilibet in dubio præsumatur sanus, l. semel C. de re milit. lib. 12. tùm etiam, quòd infirmitatem allegans, eam probare teneatur, secundum Bart. in l. quæsitum, de re iudic. Quibus tamen non obstantibus, contraria sententia verior, & hisce fundamentis sustineri posse videtur. Primò, cum sanitas sit fundamentum petentis ingressum, ideò eam asserenti, onus probandi incumbere, per l. ei qui, de probat. Secundò, quòd pro salute corporis, in dubio, tutior via eligenda sit, l. 2. §. si quis tamen, si quis caution. iudic. sist. caus. fact. non obtemper. l. imò 16. de liber. caus. l. continuus, §. cum ita, de verbor. obligat. Tertiò, quòd in dubio, ad prouidendum, semper in deteriorem partem, & sic pro ægritudine, inclinemus, secundum glos. in c. 1. de

scrutin. Et probatur in l. generaliter §. si homini libero, de fideicom. libertat. & in §. 1. Instit. de obli quæ ex delict. nasc. Quartò, quòd, quo periculum maiȝ, eò cautius sit agendum, l. 1. §. & si quis, de Carbon. Edict. c. vbi periculũ, de Elect. in 6. Viatori igitur, ingressum petenti, seq; sanum asserenti, probatio sanitatis incumbit, non etiam custodi, qui ingredi cupientem, infirmum vel contagiosum dicit.

4. Sed quomodo viator se sanum, & pestis contagio non infectum probabit? Respondetur, id duplici modo fieri posse: Et per iuramentum ipsius asserentis: & per scripturam siue literas dimissorias, quas vulgò Bulletum adpellant. Quando enim extraiudicialiter agitur, & controuersia, vt hoc casu, dilationem vel moram non patitur, iuramento ipsius asserentis standum est, vt in simili decidit Speculator, in Tit. de adpellat. §. nunc breuiter transcurrendum, vers. quid ergò si adpellator, vbi vult,

vult, quòd si quis non habeat testes paratos, quibus probare possit allegatam infirmitatem, tunc eius sacramento dari debeat plena fides, inspecta causæ & personæ qualitate, argumento c. fin. quod met. caus. Quid oberit, cur non etiam hoc casu, sanitas, per iuramentum asserentis eam, probari possit, maximè, cum sanitatis assertioni, iuris præsumptio adminiculetur. F. Ripa d. fol. 28. nu. 263. in fine. Secundò facit pro hac decisione, textus in l. thesaurus, ad exhibend. per quem concludunt DD. quòd in causis summariis sit quæstio decidenda iuramento, nisi persona eius, cui defertur, aliàs sit suspecta, secundum Bald. in l. eum qui C. de procurat. Quòd si suspecta sit, eius iuramento standum non est, l. non omnes §. à barbaris, de re milit. cum similibus. Tertiò facit huc exemplum eius, qui delato sibi iuramento, iurat, se res vsus sui causa in ciuitatem deferre, secundum gloss. Cardinal. & Imol. in Clement. religiosi, de decimis.

Quar-

Quartò, cum hoc iuramentum, videatur iuramentum purgationis, meritò ei deferendum, de cuius purgatione quæritur, l. præsenti §. sic vbi, C. de Episc. & Cleric. c. 1. de purgat. Canonica.

5. Quoniam verò experientiâ, (quæ omnium rerum magistra perhibetur c. quàm sit, de elect. in 6. Clem. dispendiosam, de iudic. c. multis dist. 44. & §. 1. C. de Iustinianeo C. confir.) compertum fuit, itinerantes & viatores, sæpè peierare, ne in campis pernoctent: ideò consuetudo, hoc casu, etiam alium probandi modum adinuênit, scripturam videlicet, siue literas dimissorias, quas vulgus bulletinum adpellat; quibus viatores, omnem pestis, vel contagionis suspicionem, à se declinare possunt, & sanitatem docere. Et huiusmodi consuetudinem valere, probant in simili Bart. & alij in l. 1. C. de litter. & itiner. Custod. lib. 12. vbi dicunt per istam l. quòd defferentes has dimissorias, cum frumento vel aliis rebus, aliàs deferri prohibitis, non sint à custodibus terri-

tori

torij vllo modo inquietandi. Sic in simili videmus, Clericos alienæ diecœseos, sine hisce literis dimissoriis ad ordines non admitti, c. primatus, dist. 71. c. nullus de tempor. ordinat. in 6. Valet igitur hæc consuetudo, & vsu passim obtinet, vt quicunque tempore pestilentiali, hasce literas secum non detulerit, ab ingressu loci repelli possit.

6. Dantur autem petentibus huiusmodi literæ, ab officiali ad hoc deputato, cui discedens debet denunciare discessum, & iter, quod facturus est, & locum ad quem tendit.

7. Et vt custodes scire possint, an verum sit vel suppositicium bulletinum, (eorũ namq; officio incumbit, diligenter attendere, ne qs sub fictitiis tractoriis & nimissoriis ingrediatur) ad tenorẽ & formam bulletini respicere debẽt, nũ scilicet cõtineat diem discessus à loco, nomẽ loci à quo & ad quem, horam discessus, nomen & cognomen discedentis, manum, vel saltem subscriptionem officialis, sigillum publicum, vnde

& bul-

& bulletinum, quòd bullatum esse debeat, adpellatum est.

8. Et hinc procautela notare possunt custodes, vt pro deprehendēda veritate vel falsitate bulletini, aduenientes ad portam cum bulletinis, ante inspectionem bulletini, de nominibus & cognominibus interrogent. Nam si in nomine vel cognomine variationem cognouerint, suspectum erit bulletinum, cum in nomine & cognomine, non sit verisimile, quenquam facilè errare. Vtq; hanc variationem rectius deprehendant, cum iam pedem intra portam intulerunt ingressuri, tunc demum de nomine & cognomine interrogabunt. Cum enim iam ingressi sunt portam, & de introitu amplius non dubitant, facilis erit lapsus & variatio. Similiter, datum, rasuram, sigillum, eius deprauationem, impressionem, & reliqua, quæ pro forma bulletini requiruntur, diligenter & attentè considerabūt, vt hac ratione, vel veritas, vel falsitas bulletini deprehendatur. Multæ enim falsitates quotidie in his admittuntur:

Et de consuetudine, malè, eius requisita seruantur à multis officialibus, qui literas istas nundinantur, & quæstum indè quærunt, vt in simili de rescriptis Papæ dicitur, in c. fin. de rescript.

9. Cæterùm, aliæ quæstiones huc pertinentes, num videlicet decretum ab ordine factum, vt nullus forensis recipiatur in locum, vsq; ad octo dies, valeat: Num domino loci, quem constat esse infectũ, custodes introitũ denegare possint: Nũ forensib9, à loco infecto, fugientibus, & petẽtibus, liceat facere casulas in territorio alterius: Quis sit Iudex competens inter viatores & custodes, de veritate vel falsitate bulletini, cõtendentes: Nũ á sentẽtia Iudicis pronunciantis, bulletinũ esse legitimũ, cũ esset suppositititiũ, liceat adpellare: Num sub edicto ordinis, phibitiuo, ne quisq; suspectus de peste, & præsertim Titius, intromittatur, sub pœna fustigationis, & centũ marcharũ auri, cõprehendatur Titius cũ bulletino à custodibus receptus: Quomodo puniẽdi sint custodes, qui

qui accepta pecunia, contra edictum, admiserunt venientes sine bulletino: Num custodes à pœna liberentur, si quis ingressus fuerit sine bulletino clam & insciis ipsis, fortè confabulantibus, vel aliud quid agentibus: Num excusentur à pœna, si quis ipsis inuitis sine bulletino intrauerit: An valeat statutum, ne quis exeat locum sine licentia deputatorum, vel sine bulletino: An sub edicto, ne quis castro vel loco receptet forensem compræhendatur recipiens forensem extra castrum, in sua cassina seu balista: Videantur apud P. Rip. d. c. de remed. ad curand. pest. mih. num. 239. cum aliquot seqq. item num. 248. cum 7. seqq. item nu. 256. cum trib. seqq. item nu. 287. item num. 288. 289. item nu. 290. cum trib. seqq. item num. 294. cum seq. item nu. 296. cum duob. seqq. item nu. 299. item num. 300. cum duob. seqq. item num. 303. Et hæc pro resolutione præsentis quæstionis sufficerint.

QVAE-

QVAESTIO XII.

An communitas teneatur domino ad precium bonorum, tempore pestis, pro expurganda domo infecta, à magistro sanitatis, combustorum?

HVius quæstionis resolutionem memini me promisisse supra, quæst. 10. in fine. ideo nunc eam præstabo.

1. Et quidem affirmatiua sententia, primò probari videtur per text. in l. venditor 13. §. si constat, commun. prædior. ibi Iureconsultus inquit: Si constat, in tuo agro lapidicinas esse, inuito te, nec priuato, nec publico nomine, quisquam lapidem cædere potest, cui id faciendi ius non est, nisi talis consuetudo in illis lapidicinis existat, vt si quis voluerit ex his cædere, non aliter hoc faciat, nisi prius solitum solarium pro hoc domino præstet. Secundò, probari videtur per illud, quòd Princeps, qui

ex causa potest alteri auferre rem suã, l. item si verberatum, de rei vindic. teneatur satisfacere domino de precio rei ablatæ, secundum Archidiac. in c. per venerabilem 9. q. 3. Bald. in l. serui. 2. C. pro quib. caus. ser. pro præm. libert. accip. & in d. l. item si verberatum. Angel. in l. fin. col. 2. de appellat. recip. Et sequuntur communiter DD. vt patet ex reductis per Felin. in c. quæ in Ecclesiarum, col. 8. vers. prima declaratio, de constitut.

2. Sed his fundamentis non obstantibus, contraria sententia negatiua, ex hoc firmari poterit, quòd vrbis præfectus, putridas carnes, & corruptos pisces, nullo precio persoluto, comburere, & in Rhodanum proiicere possit, etiam mulcta dominis indicta l. 1. §. cura carnis, de offic. præfect. vrb. Exurenda enim sunt contaminata bona, ne totum corpus, omnisue Respublica, pereat, c. resecandæ 24. q. 3. Ipsi igitur bonorum domini, cogi possunt propriis impensis comburere bona impurgabilia, & mun-

dare

dare purgabilia, propter periculũ mortis imminentis ex contagione ipsorum bonorum. Superioris siquidem officio incumbit, ne quis sibi ipsi mortem consciscat l. 1. & per tot. de his qui sib. mort. conscíu. Qui etiam potest prohibere, ne quis ingrediatur domum, in qua sunt bona contaminata, nisi prius mundata domo, & combustis bonis, quæ in ea sunt, vt est textus clarus in simili, in c. ipsa pietas 23. q. 4. Sic quilibet compelli potest, tenere aquam in domo, pro extinguendo igne, l. nam & salutem ff. fin. de offiic. præfect. vigil. Ergò multò magis, pro igne pestifero depellendo, quilibet cogi poterit, sordida bona lauare, & impurgabilia cõburere. Quo argumento vtitur F. Rip. in tract. pest. c. de remed. ad curan. pest. mih. fol. 11. nu. 51. 3. Nec obstãt iura pro sententia affirmatiua adducta, quoniam ea tunc demum locum habent, quando Princeps vult à Dominis auferre dominium rerum, quæ vtiles sunt ipsis Dominis, & eas sibi vel alteri adpropriare,

tunc enim tenetur ad precium. Aliud dicendum est, quando Princeps vult auferre dominium rerum, quæ ipsis dominis pernicioſæ ſunt, eaſq;, pro ſalute ſubditorum, vt hoc caſu noſtro, comburere: Tunc enim ad pretij ſolutionem dominis rerum combuſtarum non obſtringitur, d. l. nam & ſalutem, de offic præfect. vigil.

QVAESTIO XIII.

Quales Medici ab ægrotis ſint eligendi, & quibus virtutibus præditi eſſe debeant?

HANC quæſtionem, ſupra quæſt. 10. in fine promiſi. Ideo nunc eā hic præſtabo. 1. Principio igitur, ægroti, Medicum ad ſe accerſituri, diligenter curent, vt Medicum eligant ſenem & expertum, non iuuenem vel tironē ſecundum Angel. in l. 1. §. pueritiam, de poſtul. vbi dicit, non eſſe confidendum de Medico nouello, quia ſit occiſor parentum

rentum: nec de nouo aduocato, quia sit litium confusor. Tironem accipimus, secundùm Vegetium de re milit. quem libet inexpertũ. Miles namq; non exercitatus, semper tiro est. Et plus valet vmbra experti senis, quàm eloquentia iuuenis, secundũ Bald. in c. 1. de renunc. Possunt tamen, cum sene, & exercitato, & iuuenes rectissimè adhiberi. Quia iuuenes sunt cupidi gloriæ, proindeq; maiori diligentia, ægroti sanitatẽ procurabunt: Senes autem, vt plurimum sunt desides & remissi, quemadmodum de Aduocatis scripsit Speculat. in Tit. de Aduocato §. 9. vers. item cautus sit antiquus. Sunt etiam promptiores Doctores iuuenes, vtpote, ex studij fornace nouiter educti, argumento c. liquido, de consecrat. dist. 2. Solent etiam esse perspicaciores, quòd memoria in iuuene tenacior est. Sunt enim in iuuene sensus acutiores, & ad capiendum velociores, secũdum glos. in l. Gallus in prin. de liber. & posth. & in l. cum quid,

si cert. petat. Panor. in c. quoties, in tertio notab. de Testib.

2. Secundò attendere debent ægroti, vt Medicum accersant, in arte peritum. Debet namq; Medicus scientiam habere Medicinalem, l. 1. de decret. ab ordin. fac. Et in scrinio pectoris, tenere traditiones artis suæ, c. ad aures, de ætat. & qualit. Nam imperiti Medici, non minus, quàm sicarij, odio sunt habendi: Hi enim sunt, qui Rempublicam destruunt, l. illicitas §. siquidem, de offic. præsid. Hi sunt, qui vno collyrio, omnium oculos sanant c. fin. 29. dist. ad instar doctorum legistarum, qui vnica solutione, quæcunq; argumenta resoluũt, glos. in d. c. fin. 29. dist. Et medicus, qui se in Medicina peritum adfirmat, tria se in singulis morbis scire præsupponit: Præterita videlicet, id est, vnde morbus originem traxerit: Præsentia, id est, in quo statu & gradu existat morbus: Futura, id est, vtrum curabilis sit, an verò incurabilis, teste Cardin. Florent. in d. c. ad aures, de ætat. & qualit.

3. Co-

3. Cognoscitur autem Medici peritia, si morbi causas sciat exprimere, secundum Hippocrat. in prolog. prognostic. Item si oportuno tempore nouerit languentibus Medicinam præbere. Nam properata nimis, vel retardata remedia, non profutura præstantur c. absit 50. dist. Et secundum Poëtam: Temporibus medicina valet, data tempore, profunt. Et data non apto tempore vina, nocent. Et omnia tempus habent, & suo quoquo tempore sunt singula expedienda, c. quis ignoret, 32. q. 4. l. omnes iudices C. de fer. l. iustas, C. de iur. fisc. Probatur etiam Medici scientia, si nouis morbis, noua sciat antidota præparare, c. cæterùm, de Iur. calum. l. 1. de ventr. inspic. si contra quemlibet morbum, congruam inuenire Medicinam possit, c. qualiter & quando, §. verum, de accusat. Si in curando, qualitatem personæ, causam morbi, tempus, & locum, diligenter obseruare sciat.

4. Tertiò in Medico requiritur, vt sit diligens. Sola nanq, scientia non sufficit, si ea cum solertiâ non sit coniuncta, d. c. ad aures, de ætat. & qualit. &c. & ibi Panor. tria in perfecto Medico requirit, vt sit eruditus: vt habeat experientiam secundum artis traditiones: vt sit diligens in artis exercitio. Quæ tria etiam in Iureconsulto requiruntur, vt scilicet peritus sit in arte sua: vt consulat secundum communes opiniones, non secundum sophisticas: vt diligens sit in examinãdo facto. Quòd vltimum in Schurffio laudatur, qui consultores suos, antequam causam susciperet, factum aliquoties referre iussit. Medicus igitur, circa curam infirmi, omnem diligentiam adhibebit, c. tua nos, de homicid. Non itaq; sufficit, vt Medicus præparet bonam Medicinam, secundum canones physicales, sed oportet eum etiam aduertere, ne aromatarius, vel pharmacopœus, misceat quid pro quo, & ne conficiat pharmacum siue medicinam, ex corruptis & vetu-

vetustis speciebus, quæ magis nocere solent, quàm prodesse. Operæ precium igitur est, Medicum esse præsentem, cum pharmacopœus medicinam conficit.

5. Illud etiam diligentis Medici officio incumbit, ne à latere ægroti discedat, si morbum ingraueſcere animaduertat. Nec excusatur, si alium, minus idoneum, suo loco relinquat & substituat, secundum Hostiens. in summa sua, sub Tit. de ætat. & qualit. §. ordo, vers. ex postfacto, per text. in c. ea quæ, de offi. Archidiac. Quod si nullum mortis periculum subesse intelligat, non tenetur Medicus ad personalem ægroti custodiam, sed sufficit, si bis ægrotum in die visitet, eiq; regimen & diætam dictet & præscribat, Hostiens. & Cardina. Florent. in d. c. tua nos, de homicid.

6. Caueat ergò diligens Medicus, ne plures curas suscipiat, quàm quibus cõmodè vacare & sufficere possit. Nam, secundum Poëtam: Pluribus intentus, minor est ad singula sensus, c. diuersis

fallaciis, de cler. coniugat. Sic aduocatus, tempore aduocationis, ad nullum aliud officium adspirare potest, ne, dum in vtrumq; festinat, neutrum benè peragat, l. nemo C. de assessor.

7. Quartò requiritur in Medico, vt Christianæ sit religionis, vnde F. Ripa in tract. pestis c. de remed. ad curand. pest. fol. 32. mih. nu. 52. monet suos Auenionenses, ne se, suosq; liberos ægrotos, committant Medicis Iudæis, vti perfidis, & Christianorum inimicis. Sed hanc quæstionem, An Christianus ægrotus, se Medico Iudæo curandum committere debeat, quæstione proximè sequenti enucleabo.

8. Quintò requiritur in Medico, vt mansuetus sit, cum nulli magis conueniat mansuetudo, quàm Medico. Nam qui vulneribus sanandis præest, vino debet & oleo vti, exemplo Samaritani, qui in vino, morsum discretionis adhibuit, in oleo verò, molliciem pietatis. Per vinum, mundantur putrida,

per

per oleum, sananda fouentur c. disciplina 45. dist.

9. Sextò, pudicitia maximè Medicum commendat & exornat. Luxuriosus namq; Medicus, à populo habetur odio, pudicus autem omnibus charus existit, c. præter hæc, 32. dist. in fine. Non enim potest toto corde ægrotantibus medicari, qui fœminarum nexibus alligatur, c. hospitiolum tuum, d. 32. dist. Hinc F. Ripa d. c. de remed. ad curandam pestem, fol. 32. mih. num. 63. monet Medicos, vt sibi caueant, ne in cura formosæ mulieris, sese verbo aut actu, impudicos ostendant, nec causas morbi per candida brachia quærant.

10. Vltimò in Medico requiritur, vt ante omnia moneat & inducat ægrotũ, ad conuocandum Medicum animæ, vt, postquam fuerit infirmo de spirituali viatico prouisum, ad corporalis Medicinæ remedia, salubrius procedatur c. cũ infirmitas, de pæn. & remiss. F. Rip. d. modò fol. 32. num. 52 vers. Bonus Medicus.

Sum-

Summa Roſellæ de caſib. conſcientiæ, in verb. Medicus vel Chirurgicus.

QVAESTIO XIV.

An Chriſtianus ægrotus, ſe Medico Iudæo, curandum committere debeat?

HANC quæſtionem promiſi quæſtione proximè præcedẽti, num. 7. ideo hic eam præſtabo.

1. Et negatiuam ſententiam confirmat Franciſc Ripa. in tractat. peſtis, c. de remediis ad curandam peſtem, mih. fol. 32. à num. 52. vſq; ad num. 59. incluſiue, hiſce fundamentis & rationibus.

2. Primò, quòd mortem adpetere videatur, qui à Iudæo ſanitatem exquirit, quia ſine auxilio Chriſti, ſe ſanum fieri putat, c. qui ſine 26. q. 2.

3. Secundò, cum Medicus, ægrotum, ad implorationem auxilij Chriſti, ad confeſſionem, & pœnitentiam, inuitare debeat: vt ſupra quæſt. proximè præced. dictum fuit, nu. vltimo, quomodo id præ-

id præstabit Iudæus Medicus, nisi in contemptum Christianæ religionis? Prohibentur enim Iudæi nomen Christi inuocare, quoniam illum, quem inuocant, negligunt & contemnunt, secundū Bart. & DD. in procem. ff. suntq; inimici nostri, & crucis Christi, c. licet vniuersis, de testib. & fidei nostræ hostes, c. in ciuitatem, & ibi glos. de Iudæis: blasphemi nominis Christi, c. 1. c. cum sit nimis, eod. tit. de Iudæ. & peiores omnibus gentibus ac Sodomitis, c. nonne 1. q. 1. Rectè ergò Christianus, qui se Iudæo, inimico suo, committit, vitæ renunciare videtur, l. Princeps C. de princip. agent. in reb. lib. 12.

4. Tertiò, quòd lege ipsa, sub excommunicationis pœna, prohibitum sit Christianis, ne in suis infirmitatibus, alicuius Iudæi medici opera vtantur. Ita enim Synodus septima dispoſuit, his verbis: nullus eorum, qui in sacro sunt ordine, aut Laicus, azinia Iudæorum manducet, aut cum eis habitet, aut aliquem eorum in suis infirmitatibus vocet,

cet, aut medicinam ab eis percipiat, aut cum eis in balneo lauet. Si verò quisquam hoc fecerit, si Clericus sit, deponatur, Sin Laicus sit, excommunicetur, c. nullus 28. q. 1.

5. Et hæc conclusio nostra negatiua ampliatur, vt procedat etiam in perfido vel apostata Christiano. Perfidi nanq; Christiani, deteriores sunt, quàm Iudæi, cum minus peccet, qui viam Domini non agnoscit, quàm, qui post agnitam, retrocedit, c. quidam, de apostat. c. si refugientes, de pænit. dist. 4. Refert & sequitur Ripa d. fol. 32. nu. 58. 59.

6. Limitatur autem hæc conclusio nostra negatiua, vt non procedat, si medici Christiani haberi non possunt: tunc enim in subsidium, & propter necessitatem, excusatur infirmus, opem & auxilium Iudæi medici exquirens. Ita limitat Felin. in c. tua nos, de homicid. per c. discipulos, de consecrat. dist. 5. Et refert ac sequitur F. Ripa d. modò fol. 32. num. 57.

QVAE-

QVAESTIO XV.

Num Relegatio infamet?

HAE C quæstio dubitatione non caret: Bart. namq, in l. is cui 18. §. si quis ob carmē, nu. 1. de testament. simpliciter & indistinctè relegationem infamare scribit. Alii, inter relegationem perpetuam & temporalem distinguunt, vt illa semper infamiam importet, per l. capitalium 28. §. cæteræ pœnæ 1. de pœ. l. cognitionum 5. §. minuitur existimatio 2. de var. & extraord. cognit. hæc tamdiu tantum, donec relegatio durat, post tempus relegationis effluxum, infamiam quoq; cessare l. si Possidoniū 4. C. ex quib. caus. infam. irroget.

2. Sed hæc DD. distinctio confunditur per textum expressum in d. l. capitalium 28. §. cæteræ pœnæ 1. de pœ. qui inter relegationē perpetuā & temporalē hac in parte non distinguit; ita enim sonat: cæteræ pœnæ, ad existimationem, non ad capitis periculum, pertinent, veluti

veluti relegatio ad tempus, vel in perpetuum.

3. Verius igitur est, dicere, relegationem non aliter infamare, quàm si causa sit famosa, ob quam decernitur, l. ictus fustium 22. de his qui not. infam. Ictus fustium, inquit ibi Marcellus, infamiam non importat, sed causa, propter quam id pati meruit, si ea fuit, quæ infamiam damnato irrogat, l. nullam 14. C. eod. ex quib. caus. infam. irrog. Et quamuis textus isti, de ictu tantum fustium loquantur: tamen Bart. nu. 8. ibi, d. l. 22. etiam ad relegationem porrigit, vt & ipse textus in fine, ad alias quoque se pœnas extendit, dum ait: in cæteris quoque generibus pœnarum eadem forma statuta est. Vt igitur ictus fustiũ, per se infamiam non importat, d. l. 22. & d. l. 14. ita nec solus carcer, aut vincula, aut tortura, aut relegatio, l. 1. C. ex quib. caus. infam. irroget. VVesenbec. ad Tit. qui notant. infam. num. 5. in fine. & in cons. 19. in fin. vol. 1. Quoniam non sola pœna, aut cruciatus, sed causa, vt dictum

ctum est, infamem facit. VVesenbec. dictis modò locis.

4. In capitalibus igitur, publicis, vel aliis causis famosis, relegatio, vel similes pœnæ impositæ, infamiam ingerũt. VVesenbec.d.cons. 19. in fine, per d. l. capitalium 28. d. l. cognitionum 5. §. minuitur 2. de var. & extraord. cognit. ex aliis leuioribus criminib9 non item, VVesenbec.d.cons. 19. in fine, per l. ad tempus 5. de decur. qui in fine istius consilij, in facti specie proposita, decidit, ob homicidium culposum relegatum, infamem non fieri, sed saluam & integram existimationem retinere, per auctoritatem Angeli in §. suspectus, Instit.de suspect.tutor.Alex. in l.etsi seuerior 3.num.5.C.ex quib. caus. infam. irroget. Existimationem enim non lædi, quoties ex culpa reus damnatur, etiam lata,& in causa homicidij, VVesenbec. d.cons.19. num. 73. circ. fin. per auctoritates ibi adductas, quas videto. Quod notatu dignum est,cum sæpius id in praxi scrupulum inijcere soleat.

QVAESTIO XVI.

Num carcer, custodia publica, vel vincula, irrogent infamiam?

I.

OB id solum quod quis vincula vel carcerem passus est, famæ & existimationis detrimentum non patitur l. 1. C. ex quib. caus. infa. irroget. ibi Impp. Seuerus & Antoninus Manilio cuidam rescripserunt in hæc verba: Infamiæ detrimentum minimè tibi adfertur, ob id solum quod in carcerem coniectus es, vel vincula tibi iussu, legitimi iudicis, iniecta sunt. Idq; in liberis hominibus tantum ita procedit, l. mandatis principalibus 35. l. aut damnum 8. §. solent præsides 9. de pœnis l. incredibile est 6. C. eod. de pœn. Nam seruorum, qui ob delictum, pœnæ causa, vincti fuissent, libertati vincula nocebant, ex l. Aelia sentia, vt nec Latini, nec ciues Romani, manumissione fierent, sed dedititiorũ essent

essent numero, qui vilis propemodum, abiectus, & infamis numerus erat, maximè si soluerentur tantùm iis vincula, non etiam inciderentur, l. seruus 10. d. l. incredibile 6. C. de pœn. Quod latius ex Iosepho ostendit doctissimus Cuiac. lib. 15. obs. c. 7.

2. Causa autem huius decisionis ea est, quòd non carcer, sed causa, ob quã decernitur, infamiam damnato irroget, argumento l. ictus fustium 22. de his qui. not. infam. l. nullam 14. C. cod. ex quib. caus. infam. irroget. VVesenbec. ad Tit. de his qui not. infam. nu. 5. circ. fin. Repetantur huc ea quæ proximè præcedẽte q. dicta sunt de relegatione, quæ plurimum te ad pleniorem præsentis quæstionis intellectum iuuare poterunt.

QVAESTIO XVII.

Quæ sit optima cautela retinendi filium studentem in officio, & à luxuria, & inhonesta vita auocandi?

CVM hodie Scholares plerumq; magis comessationibus, nocturnis grassationibus & discursationibus, quã studiis inuigilent, & sumptus ad discendum necessarios ipsis transmissos, turpiter prodigant: Atq; ita suis se priuilegiis indignos reddant. (Scholaris namq; qui visitat Scholas & Academias, & tamen lectiones non audit, nec studet, non gaudet priuilegiis Scholarium. Ioh. de Ligna in proœ. Clement. quem sequitur Abbas in c. 1. nu. 39. ext. de iudic. per glos. l. vnic. §. sin autem ibi si aduersus cœlestia oracula facientes, deprehensi fuerint, nihil penitus ex illis priuilegiis consequantur quæ aliàs ipsis deferuntur C. de studiis liber. vrb. Rom. lib. 11. Facit l. si quis C. de domest. & protector. lib. 12. vbi habetur: etiam vagabundos perdere suum cingulum, cum indignum sit, desides, & à propriis muniis dum aberrantes, in numero priuilegiatorum censeri: vt nec ille qui inhonestè & luxuriosè viuit. Bal. in pœm.

D. nu.

D.num.3.& Ioh.Fr.Ripa in c.1. mih. nu. 95. Extr. de iudic:) Ideò parentibus contra filios ita à studiis aberrantes, & heluationibus, discursationibus & luxuriei indulgentes, optimam tradit cautelam, & salutare pharmacum & alexiterium Ripa, quo eos deuios, in viam reuocare, & in officio retinere possint, vt scilicet tenue ipsis mittant & assignent viaticum, cum pecunia plerumq; causam lasciuiæ præbeat, Ripa præcitato loco, mih. num. 49. in fine, allegando ad hoc. Fulgos. in l. cum filius-familias, si cert. petat. & glos. in c. prophetauit 1.q.1.

2. Et ego noui Rostochij Senatorij ordinis virum iam defunctum, qui hanc cautelam in administrandis sumptibus filio suo studenti, strictissimè obseruabat, & quidem non malo euentu, Nam filius iste in virum eminentissimũ euasit, & in Illustri Germaniæ Gymnasio, iuris antecessorem agit dignissimum.

QVAESTIO XVIII.

Quid venditor in venditione equi præstare debeat, & ex quibus causis equus venditus redhiberi possit?

I.

HAEC quæstio insignem inter Ius ciuile & Saxonicum differentiam recipit. Nam de Iure ciuili, emptor redhibitoria in factum actione, pro omnibus viciis equi internis, & non adparentibus, experiri potest, vtputa si calcitrosus sit, hoc est, pedibus feriat, Græcis λακτιστικός l. bouem qui cornu petit 43. in princ. iuncta glossa l. ob quæ 4. §. idem Pomponius ait, 3. vers. vnde quidam iumenta pauida & calcitrosa, de ædilit. edict. Item si lunaticus aut phreneticus sit, vulgò tollerendt/ l. 1. §. apud Viuianum 9. in fine, d. modò tit. de ædil. edict. Item, si ita pauidus sit, vt semetipsum turbet, & eripiat, vulgò schew/ d. l. bouem 43. in fine principii. Item si transiungi non possit l. ædiles aiunt 38.

§. quæ-

§. quæsitum est, 8. d. t. de ædilit. edict. Transiungere, est iugalium loca mutare, quadrigæ locum mutare, temonariũ facere, qui præcedere solitus sit, vel dextrum façere, qui siniſter esse solebat, vel contrà, vt rectè Dionys. Gothofred. & Iul. Pacius ad d. modò §. 8. exponunt. Item, si eo sit ingenio, aut corpore natus equus, vt vnum tantùm iugum patiatur d. l. ædiles aiunt 38. §. idem ait, 9. d. t. de ædilit. edict. Item si sit retrogradus, vulgò ſtetig. Speculat. in Tit. de rescind. vendit. §. & nunc dicendum n. 2. & Roffredus in formatione libelli, de redhibit. act. Aut deniq;, si habeat superossa vel gallas. Speculat. & Roffredus d. modò loc.

2. De iure igitur ciuili, equus ob omne vicium occultum redhiberi potest. Secus est de iure Saxonico, quo venditor equi, de tribus tantum viciis tenetur, vtputa, quòd non sit retrogradus, Das er nicht ſtetig ſey: quod cæcitate latente vel inuisibili non

laboret, das er nicht stärblind sey: & quòd non sit scabiosus, das er nicht härschlechtig sey / Weichbildt art. 97. Refert & sequitur Matthias Colerus in processib. execut. part. 2. c. 1. num. 71. 72. Auctor differ. Iur. ciuil. & Saxon. lib. 2. part. 6. differ. 56. in editione Anno 1586. Genæ impressa. Facit huc quod notauit de equo bulso Ioseph. Mascard. de probat. vol. 2. conclus. 635. nu. 5. & 6. quem etiam videto.

QVAESTIO XIX.

Quomodo definiatur Carcer ab interpretibus nostris, & quotuplex sit?

I.

BAldus in Tractatu de Carcere, num. 2. quem tamen aliqui Bartolo rectius asscribunt, cum & inter ipsius lecturas habeatur, definit carcerem, locum publicum, securum, horribilem, repertum non ad pœnam, sed ad facinorosorum custodiam. Dicitur in definitio-

nitione, esse locum publicum, ad differentiam scilicet priuatorum carcerum, qui regulariter sunt inhibiti l. vnic. C. de priuat. carcer. Additur, securum, quia inuentus est carcer pro assecuratione noxiorum, qui detinentur ex criminali causa, sanguinis puta, vel aliam corporis pœnam ingerente, argumento l. nemo carcerem, vers. carcer pœnalium C. de exactor. tribut. lib. 10. De quo in l. 1. & l. Diuus, de custod. reor. Additur præterea in definitione, horribilē, quoniam carcer delinquentium, vt plurimum, subterraneus est, & omni luce carens. Reliqua verba insinuant finem & effectum, quòd scilicet carcer iste facinorosorum, & capitaliter delinquentium, adinuentus sit, non ad pœnam, sed ad custodiam tantum.

2. Est autem carcer, secundum Ioh. de Imola in l. nemo carcerem num. 6. C. de exactor. tribut. lib. 10. in triplici differentia. Vnus est pœnæ, vt est damnatio in metallum, siue ad certum tempus, siue sine præfinito tempore, quo

posteriore casu condemnatio ad decẽdium intelligitur l. capitalium §. diuus, iuncta l. sine præfinito, de pœn. Item condemnatio serui delinquentis ad perpetua vincula, vel compedes, l. seruus C. eod. tit. de pœn. Alius carcer est custodiæ, qui tamen tendit ad faciendam tandem pœnæ executionem adversus carceratum d. l. diuus, & d. l. nemo carcerem, vers. carcer noxiorum C. de exactor. tribut. lib. 10. Tertius est carcer pœnitentiæ, c. quamuis, ibi: in perpetuum, vel ad tempus carceri mancipes, ad pœnitentiam peragendam de pœn. in 6. & c. fin. de hæretic. eod. lib. His addatur quartus carcer, debitorum videlicet, qui assignatur debitoribus pro custodia, donec soluant, qui nihil aut parum cum superioribus commune habet, quia nec subterraneus, nec opacus est, vt hominum noxiorum, neque vel ipse pœnæ loco imponitur, neque ad pœnam vel pœnitentiam tendit, sed eo tantum fine imponitur, vt tantisper hæreat reus in locis siue diuersoriis

riis pro carcere deputatis, donec satisfiat creditori. Doctores hunc carcerem vocant tædialem. Ioh. de Plat. in d. l. nemo carcerem in princ. vers. carcerem intelligo tàm pœnalem, quàm tædialem, propter molestiam videlicet & tædium, quod captiuo iniicit illa commoratio diutina in vno eodemq; loco.

QVAESTIO XX.

Quis sit vsus Carceris & num pœnæ vel supplicij loco irrogari possit?

I.

VLpianus ICtus in l. aut damnum 8. §. solent præsides 9. de pœnis: Carcer inquit, ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet. Idem Vlp. in l. si quis 6. §. eius 7. de iniust. rupt. & irrit. fact. test. diligentioris custodiæ causa, carcerem inuentum ait. Pœna igitur carceris Iure ciuili prohibita est d. l. 8. §. solent. 9. de pœn. Ludouic. Rom. sing. 711. Gail. lib. 1. pract. obseruat. obs. 26. nu. 8. Cuiac. lib. 14. obs. c. 34. vbi etiã de aliis quibusdã interdictarũ pœnarũ generibus agit.

2. Cæ-

2. Cæterùm Iure Pontificio, & perpetuus & temporalis carcer, ob scelera, in Ecclesiasticis, non etiam secularis fori homines, concessus est c. quamuis 3. de pœnis in 6. Iulius Clarus recept. sentent. §. fin. q. 70. num 4. Ludouic. Roma. d. sing. 711. Quoniam semper Ecclesia sperat conuersionem & pœnitentiam delinquentium, nec vult cum Principe suo Deo, mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Ezechiel. c. 18. c. hi qui 3. q. 4. c. hi à quibus, 23. q. 8. in Authen. vt non Luxu. contra natur. collat. 6. Cum itaq; Ecclesia', mortis temporalis supplicium non infligat, neque iudicium inferat sanguinis c. in archiepiscopatu, de raptor. c. clericis c. sententiam sanguinis, ne cleric. vel Monachi secul. negoc. se immisc. Ideò graue scelus perpetuo carcere plectit, ad agendam pœnitentiam reum includendo, pane doloris, & aqua angustiæ sustentandum, vt commissa defleat, & deflenda vlterius non committat c. nouimus 27. §. fin. de verbor. sig. Iul. Clar. d. q. 70. num.

num.4. Petr. Gregor. in Syntag.lib. 31. c.33.num. 24. & 25.

3. Et teſtatur Iulius Clarus d. modò num.4. hanc pœnam apud Venetos, & Regem Caſtellæ, in vſu eſſe frequentiſſimo, vt in multis Academiis inter ſtudioſos, non tamen perpetuam, ſed temporalem, hodie vſitatiſſimam videmus. Faciunt huc ea, quæ ſupra quæſt. proximè præcedente, de diuiſione carcerum quibus diuerſus carcerum vſus oſtenditur, & quæ infra q.98.num.14.notaui, quæ ibi videto.

QVAESTIO XXI.

Num debeatur Aduocato ſalarium ſiue Honorarium, qui in cauſa ſuccubuit?

I.

DEberi Aduocato ſalarium ſiue honorarium non ſolum tunc, cum vincit, & cauſam obtinet, verum etiam cum ſuccumbit & vincitur comprobatur argumento l. ſed an vltrò 10. §. 1. de

§.1.de nego.gest.in illo §. dicitur,quòd is, qui negotiorum gestorum agit, non solum si effectum habuit negotiũ quod gessit,actione ista vtatur: sed sufficere si vtiliter gesserit, etsi effectum non habuerit negotium. Proindeq; si insulam fullerit, vel seruum ægrum curauerit, etiamsi insula exusta sit, vel seruus abierit,nihilominus eum, ex Labeonis sententia,negotiorum gestorum agere. Itẽ comprobatur argumento eius quod dicit glossa in c.1.83.distinct. Medico scilicet esse mercedem soluendam,licet ægrotus moriatur.

2. Quinimò si Martiali credimus, amissa causa, plus debetur Aduocato, quàm si vicisset.Nã laus fuisset loco præmij cum victus pudorem ferat.Ita enim Martialis lib.8.Epig.27.ad Sextum ait:

Egi Sexte tuam pactus duo millia causam,
Misisti nummos quot mihi? mille, quid est.
Narrasti nihil inquis, & à te perdita causa est.
Tanto plus debes Sexte, quod erubuis.

Refert & sequitur post Tiraq.de nobilitate c.29.nu.55.Iohan. Borch. in Tract. de pact.c.5.nu. 87.

QVAE

QVAESTIO XXII.

An Doctores, qui ex rescripto, & bulla, gradum acceperunt, priuilegijs & insignijs Doctorum, solenniter promotorum, gaudere debeant?

I.

ET respondetur negatiuè. Nã priuilegia & insignia, quæ passim in iure nostro Doctoribus tribuuntur de Doctoribus ligitimè promotis accipiẽda sunt. Matth. Coler. de processib. execut. part. 2. c. 3. nu. 129. in princ. Guid. Papæ decis. mih. 388. nu. 11. per l. si ita quis 53. §. fin. de legat. 2.

2. Hinc decisum est, Doctores, qui ex rescripto, diplomate vel bulla, gradum adepti sunt, à collatione subsidiorũ Delphinaliũ (quod tamen in legitimè promotis secus est,) immunes non esse. Guid. Papæ decis. mih. 88. n. 3. per notata d. l. si ita quis §. 2. de legat. 2.

3. Et cũ Doctoribus legitimè promotis, in executionę facienda, & rep̃ssaliis exer-

exercendis, libri, lectisternia, & reliqua ipsorum supellex, auferri non debeāt, cum sine his commodè viuere, & aliis, quæ didicerant, communicare nequeant, per notata à Colero d. modò c. 3. num. 126. cum duobus seqq. eadem tamen in Doctoribus bullatis locum non habere, tradidit Coler. d. modò c. 3. nu. 129. per d. decis. Guid. Papæ 88. num. 3. & per not. Alexand. in l. centurio nu. 10. 20. & 21. de vulg. & pupil. substit.

4. Ratio huius decisionis ea est, quòd substantialia creationis requisita in Doctoribus bullatis deficiant, quæ sunt, 1. vt legitimè examinentur, & optimorum ordinis consensu & decreto conspirante, approbentur: 2. vt promotor & examinatores sub iuramento suo deponant, eos sufficientes esse: 3. vt croceus siue purpureus pileus, siue biretum, in signum splendoris, capiti eorū imponatur: 4. vt eis Cathedra, pro inuestitura possessionis, tradatur: 5. vt liber, tanquam materia Doctorandi, in qua se exerceant, ipsis aperiatur, &

rursus claudatur. Hæc requisita enumerat additionator ad Guid. Papæ d. decis. 388. nu. 11. Refert & sequitur Coler. d. c. 3. num. 123. Abbas Panormit. in cap. 1. num. 38. extra de iudic. per l. magistros C. de professor. & Medic. lib. 10. Idem Abbas in c. proposuisti nu. 13. extra de probat. per l. nemini C. de Aduoc. diuers. iudic.

5. Traditionem verò annuli, osculũ, & benedictionem, non esse de substantia Doctoratus, (cum & mulieres osculentur, desponsentur, & benedicantur, & tamen non Doctorentur,) à Baldo scriptum est, in procem. decretal. vnde id refert & notauit additionator ad Guid. Papæ d. decis. 388. num. 11.

QVAESTIO XXIII.

Num quis hospites inuitus recipere cogatur?

I.

NOS cum Vlpiano negatiuè respondemus sed potius in arbitrio cuiusque esse, ne quẽ recipiat hospitẽ l. 1. §. 1.

nautæ caupones ſtabularij vt recepta reſtituant.

2. Primò fallit ſupradicta Vlpiani deciſio, vt non procedat in caſu aduenientis multæ militiæ, Bart. in l. vnic. §. ſerui, furt. aduerſ. naut. caupon. ſtabul.

3. Secundò fallit, vt non procedat, ſi quis cauponam exerceat, eiuſq; ſigna oſtentet, Bart. in d. l. 1. §. 1. naut. caupon. ſtabul. vt recept. reſtit. per d. l. vnic. §. fi. verſ. nec repellere poteſt iter agentes, furt. aduerſ. naut. caup. ſtabul. ſcilicet vbi iam hoſpitari cæpit. Idq; optimè probatur, argumento l. in commodato 17. §. ſicut autem 3. commodat. ibi dicitur, quod commodatum, initio quidem ſit voluntatis magis & officij quam neceſſitatis, & licitum eſſe commodanti modum & finem commodato præſcribere: poſtquam autem iam commodatum eſt, vlum rei commodatæ, intempeſtiuè auferri non poſſe, & ideò inuicem propoſitas eſſe actiones, vt adpa-

reat,

reat, quòd initio beneficij ac nudæ voluntatis fuerat, postmodum conuerti in mutuas præstationes, actionesq; ciuiles. Idem probatur argumento negotiorum gestionis. Negotium enim vel mandatum suscipere, initio est voluntatis, semel verò susceptum, consummare, necessitatis d. l. in commodato 17. §. sicut autem 3. vers. vt accidit in eo, commodat.

4. Tertio fallit, vt non procedat in metatis, hoc est, hospitiis, quæ magistratibus, aliisue, à mensoribus præparantur, tt. C. de metàt. & spidemet.

5. Potest tamen hospes, etiam supra dictis casibus, propter multitudinem hospitum, ius hospitandi recusare. Idque exemplo tabellionum, siue notariorum, qui licet, vt instrumenta conficiant, cogi possint l. 4. Codic. de collatio. fundorum patrimonialium libro 11. tamen propter multitudinem

contractum, rectè excusantur, Nouella constit. 44. c. 1. nos autem credimus, §. & non fingant. Et tantum de hac quæstione.

QVAESTIO XXIV.

Quomodo puniendus sit Medicus, cuius imperitia mortuus est ægrotus?

I.

CIrca hanc quæstionem contrariæ & discrepantes Interpretum sententiæ & opiniones reperiuntur. Martinus siquidem Syluanus, & Albericus de Rosate, censent, hunc Medicum extra ordinem esse puniẽdum, argumento l. respiciendum §. delinquunt, cum ibi notatis, de pænis. Eandem quoq; sententiam sequitur Augustin. de Arim. in addit. ad Angel. tractat. malefic. verb. fama publica, in 7. q. vbi arguit de Iudice ad Medicum: Iudex namq;, si per imperitiam quempiam torqueri faciat, & tortus ex tortura moriatur, extra ordinem

nem punitur. In hanc quoq; sententiam inclinat Fr. Ripa. in tract. pestis. C. de remed. ad curand. pest. mihi fol. 33. num. 70. cum trib. seqq. per text. l. 3. §. 1. ad L. Cornel. de Sicar. vbi dicitur: qui poculum amatorium libidinis causa dedit, ex quo mulier, quæ illud bibit, decessit, relegetur, non igitur pœna legis Corneliæ ferietur. Idem igitur & in Medico statuendum, qui animo sanandi, non necandi, per imperitiam, malã medicinam propinauit. Secundò mouetur Ripa, quod pœna homicidij non teneatur, nisi qui illud dolo commisit, l. cum autem excipitur, de AEdilit. edict. Bar. in l. quid ergo §. pœna grauior. col. 4. de his qui not. infam. Ias. in l. 1. colu. pen. de legib. Idem Ias. in l. in actionib9, de in lit. iur. & in l. 3. §. quod prætor, ne quis eum. &c. Idẽ firmat Dec. cons. 9. per tot. Ast imperitia culpæ ascribitur, & non dolo l. si quis fundum, §. si quis vitulos, locat. Et pro hac sententia facit quod scribit Alberic. de Rosat. in l. 2. quod quisq; iur. &c. iudicem, qui vnum

vel plures decapitari fecit, non esse decapitandum, nisi probetur dolus: quòd in dubio potius ex imperitia, quàm ex dolo, iudicasse videatur. Si igitur Medicus per dolum, contraria medicamenta ægroto dederit, & sic causam mortis præbuerit, pœnam legis Corneliæ non euitabit, per l. 3. in princ. & l. lege Cornelia, ad l. Cornel. de Sicar. Et ita intelligenda quoq; est decisio Card. Alexandrini in c. absit, in fine dist. 50. vbi vult, Medicum de homicidio teneri, & vt homicidam puniri. Idem voluit Angel. in l. necessarios, §. fin. per illum text. ad SC. Sillanianum.

2. Contraria vero sententia, quod videlicet Medicus, ob cuius imperitiam ægrotus periit, homicidij pœna sit plectendus, comprobari videtur per hæc fundamenta & rationes. Primò, quòd Iudex de facto aliquem suspendi faciens, teneatur similitudine supplicij, secundum Baldum in Rubri. C. de pœn. iudic. qui mal. iudic. Secundò, quòd

quòd in dolo videatur Medicus, qui asseruit se peritum in arte, cum non esset: Tacitè enim se peritum adseuerat, qui se in Medicum eligi patitur, l. Iulianus §. quod tamen, de act. empt. l. si quis fundum §. si quis vitulos, locat. glos. in d. l. 2. quod quisque iur. Tertio huc facit, quòd Medicus, qui secuit per imperitiam, teneatur ex maleficio, non autem ex q. maleficio, vt tenetur iudex l. ex maleficiis in princ. & ibi glos. iuncto §. si tamen iudex, de obligat. & act. Quartò facit textus in l. idem iuris §. fin. ad L. Aquil. vbi dicitur: neminem debere affectare id, in quo scit, vel scire debet, imperitiam suam alteri nocituram. Quintò facit huc lex & consuetudo AEgyptiorum, quæ secundum Herodot. in Euterpe, Medicos imperitos, si causam mortis præbuerint ægrotis, capitemulctat. Verba legis hæc sunt: Medici ex publico victum sumant, ægros secundum legem curent, ab antiquis Medicis comprobatisque

scriptoribus traditam: Si quis normam sacri libri secutus, infirmum sanare nequiuerit, omni caret culpa. Si præter ea, quæ libris continentur, illum curauerit, morte puniatur.

3. Sed his non obstantibus, contraria sententia verior & æquior est. Et primo quidem non obstat decisio Baldi in Rubric. C. de pæn. iudic. qui mal. iudic. quia loquitur Baldus de iudice, qui de facto, & sine debito processu, suspendi fecit hominem, atq; ita in dolo iudicatur fuisse: non verò, in terminis imperitiæ loquimur, quæ nunquã in L. Cornelia dolo comparatur. Atq; ita, etiam reliqua fundamenta, supra in contrarium adducta, exaudienda sunt. Quod ad consuetudinem, vel legem AEgyptiorum attinet, ea, cum legibus Romanis contrarium statuat, nos non obligat. Atque ita etiam huic quæstioni satisfactum puto.

QVAESTIO XXV.

An

An Medico forensi, ad certum diurnum salarium conducto, etiam pro itinere salarium debeatur?

I.

ET quidem affirmatiuam astruit Bart. in l. quod nisi, §. ex prouincia, de oper. liber. per illum text. de quo magnum ibi festum facit, quem etiam ad hoc singularem reputat Ludouic. Roman. mihi sing. 390. Quem etiam sequũtur DD. allegati, à Nicol. Pignor. in addit. ad Hyppolit. d. sing. 390.

2. Et quod de Medico dicitur, idem etiam in aduocato locum habet, Bald. in l. 1. C. de suffrag. Felin. in c. 1. ad fin. de libel. oblat. Valet enim argumentum de Medicis ad Aduocatos, & econuerso. Medici namq;, Aduocati dicuntur Animarum, secundum glos. in c. cæterùm, & ibi Panor. de iuram. calum. Et vbiq; de Medico corporum, ad Medicum animarum, & econtrà, arguunt canones. Franciſc. Ripa. in tract. pest.

c. de remed. ad curand. peſt. mihi fol. 34. num. 128.

3. Quod tamen ita exaudiendum & declarandum eſt, vt tunc integrum ſalarium diurnum habere debeat Medicus vel Aduocatus, ſi totum diem in itinere conſumpſit, ſi non totum diem, pro rata tantum temporis, quo in itinere fuit, ſalarium habebit. Bald. in l. liberti Colum. 4. C. de oper. libert. per text. in l. 2. de annu. legat. Hanc tamen declarationem non admittunt illi, quos allegat Fr. Ripa. d. fol. 34. nu. 130. Sed prior ſententia æquitati magis conſona videtur, ideoq; retinenda. Ripa d. modò num. 130.

4. Fallit ſupradicta concluſio noſtra, vt non procedat in die feriata, in honorem Dei, pro ea enim Medicus & Aduocatus ſalarium petere non poteſt: tùm quod omnis Chriſti actio, noſtra debet eſſe inſtructio l. & hoc Tiberius, de hæred. inſtit. &. ſignificaſti, de Elect. Sed Chriſtus, verus Medicus, gratis curabat

Sab-

Sabbato. Ergò idem faciant Medici: tùm, quod petendo salarium die festo, tacitè asserit Medicus se propter præmium feciſſe die festo opus seruile, quod Leuit. 24. c. prohibitum est. Fr. Ripa d. fol 34 num. 132.

5. Sic aduocatus, siue Doctor Iurista, non licitè petit honorarium pro consilio, quod fecit diebus festis, quia studere & consulere propter lucrum diebus festis, opus est seruile, secundum Hostiens. Cardinal. Alexandr. Anton. de Butr. Panor. & alios in c. 1. de feriis. & Aluarot-in prælud. feudor. Sanctificent igitur Aduocati & Medici festa Dei cum omni veneratione. Ea autem sanctificabunt, si Deo vacabunt c. ieiunia, de consecrat. dist. 3. Deo autem vacabunt, si ægrotis sanum remediū, & quærentibus, iustum consiliū, ad gloriā altissimi, dabūt. Fr. Ripa d. fol. 34. n. 133.

6. Hæc tamen limitatio impugnatur hoc Syllogismo: Si opus medendi die dominico licitum & concessum est: licita etiam erit perceptio mercedis, quæ

quæ propter operas debetur. Sed verum prius, Ioh. 7. Iacob. Alauar. in prælud. feudor. D. Thomas q. 41. art. fin. ob. ſeruationem feſtorum non impedire ea, quæ ordinãtur ad hominis ſalutem, etiam corporalem. Verùm igitur & poſterius, argument. c. licet, de feriis, ibi ruricolis, qui feſtis diebus, vrgente neceſſitate agriculturæ, debita merces non denegatur. Idq; fundamentum, meo iudicio, contemnendum non eſt.

QVAESTIO XXVI.

Quando, num in principio, medio, vel fine curæ, ab ægroto, Medico ſalarium ſit exoluendum?

I.

CIrca hanc quæſtionem interpretes non ſatis conueniunt. Communis tamen opinio perhibetur, Medicum carentem publico ſalario, non poſſe ſalarium, vel vllum aliud præmium exigere,

exigere, antequam infirmus sanitati restitutus fuerit, & sic in fine curæ non in principio, vel medio, Atque ita sentiunt Speculat. in Rubric. de Salariis §. nunc de procuratorum 2. vers. fin. Bart. in l. 9. archiatri, per illum text. C. de profess. & Medic. lib. 10. vbi dicitur, Archiatros, ea tantùm accipere patimur, quæ sani offerunt pro obsequiis, non ea, quæ periclitantes pro salute promittunt. Innocent. Cardinal. Antonius de Butr. & communiter Canonistæ in c. propter de locat. Fr. Ripa. in tract. pestis c. de remed. ad curand. pest. mih. fol. 34. num. 127. Referunt & sequuntur Francisc. Viu. in thesau. com. opin. verb. Medicus carens publico salario. Emanuel Soarez in Thesaur. recept. sent. verb. Medicus num. 122. Eaq; sententia, vel ob id maximè sustineri potest, quòd Medici, expleto & accepto salario, ægrotos relinquere soleant l. Thais §. Lucius, de fideicom. libert. Quam tamen opinionem, licet communem, deridet Zas. in §. tripli, Instit. de action. in fine, dicens,

dicens, quod si verum esset, Medici non induerentur tàm splendidis, & purpureis vestibus, qui semper rubeas vestes habent, siue moriatur, siue sanetur infirmus, æqualiter triumphant.

2. Alij contrà sentiunt, semper, etiam in principio curæ, medicos salarium petere posse. Zas. d. modò loco. Hinc vulgatus ille medicorum Aphorismus circumfertur: Accipe dum dolet. quem tali versiculo vulgò efferunt: Dum dolet infirmus, Medicus sit pignore firmus. Italice ita: quia passato lo puncto Sabbato & lo Sancto. Fr. Ripa d. modo fol. 34. num. 127. Specul. sub d. Rubric. de Salariis §. postremo loco 4. num 3. argumento l. properandum §. pen. C. de iudic. Et quòd tutius sit pignori incumbere, quàm in personam agere. Specul. d. loc. per §. furti autem Instit. de obligat. quæ ex delict. nasc.

3. Cæterùm Franciscus Ripa d. modò loco num. 128. tutius esse existimat, in hoc DD. conflictu, ad consuetudinem

nem, si haberi possit, recurrendum esse. Ea verò cessante, distinguendum esse cum Bart. in l. 1. §. diuus 13. de Var. & extraord. cognit. vbi num. 16. de tempore soluendi Salarij legatis, aduocatis & similibus ita distinguit: Aut res locantur, aut operæ: Si res, vtputa, domus, habitatio, tunc locarium vel pensio debetur eo tempore, quo inter contrahentes conuentum est, de quo si non cõstet, mos regionis attẽdi debet, si nec de eo adpareat, quod minimum est, sequendum, hoc est, in fine anni soluendum, secundum glos. in l. ædem 3. verb. versatus es, C. de locat. & conduct. Si operæ, tunc attenditur, an pecunia detur pro sumptibus sustinendis, an pro mercede laboris, si pro sumptibus sustinendis, debetur in initio l. legatus §. 1. de legat. l. si verò non remunerandi, §. fi. mandat: si pro mercede laboris, aduertendũ est, an talis sit, qui non possit operas promissas exhibere, nisi mercede prius soluta, & initio soluẽda erit, l. semper in stipulationibus, de R. I. Quod si non adpa-

adpareat, tunc si loquimur in obligatione ex contractu descendente, salarium debetur in fine temporis, licet dies cedat in initio, d. l. ædem, 3. C. de locat. & conduct. Bart. in l. si seruus cõmunis Mæuij, §. fin. de stipulat. seruor. Sin verò in obligatione, ex legis dispositione descendente, tunc si vnum tantum salarium constitutum est, debetur ab initio, d. l. 1. §. diuus, 13. de var. & extraord. cognit. Si annuum salarium cõstitutum, debetur in initio cuiuslibet anni, l. post duos, C. de aduocat. diuers. iudic. Quæ Bartoli distinctio in praxi diligenter est notanda.

QVÆSTIO XXVII.

Quantum salarij nomine Medico sit dandum?

HAEc quæstio definiri videtur, in l. vlt. in princ. C. commun. de legat. vbi agitur de æstimatione seruorum relictorum. Et constituitur, vt serui maiores decem annis, viginti: minores decem

cem annis, viginti: minores decem annis, decem Notarij, quinquaginta: Medici & obstetrices, sexaginta: reliqui artifices, 30. Eunuchi minores decem annis, triginta: maiores annis decem sine artificio, quinquaginta, cum artificio septuaginta, solidis æstimentur. Hic Medici & obstetrices, (nam serui olim Medici erant, & obstetrices Medicinam profitebantur, vt alibi dicam) pari æstimatione, Sexaginta videlicet solidorum, coniunguntur. vnde concludit glossa, in c. non sanè, in verbo: nec medico, 14. q. 5. & Speculat. in Tit. de Salariis §. postremo loco, 4. in prin. & Ioh. Andr. in c. ad aures, de ætat. & qualit. ordinand. Ioh. de Anan. in c. 1. col. 2. de Iudæis. Refert & sequitur Tiraq. de nobilitate c. 31. num. 414. Medicos non esse maioris precii & auctoritatis, quàm obstetrices: Proindeq; Medico maius salarium, quàm obstetrici dandum non esse: Si enim tanti valoris est serua obstetrix, quanti seruus Medicus, non videtur plus lucrari Medicum,

quàm obstetricem, aliàs pluris quàm obstetrix, Medicus æstimatus fuisset. Atq; ita Speculatorem d. modò loco intelligit Fr. Ripa in tract. pestis c. de remediis ad curand. pest. mih. fol. 34. nu. 106. & 107.

2. Sed istis non obstantibus, dicendum videtur, textum d. l. vlt. in princ. C. commun. de legat. de Medico seruo, qui vnam tantùm morbi speciem curare nouit, vt sunt auricularij, ocularij, dentarij, & similes, qui etiam Medici nominantur in l. 1. §. 1. de Var. & extraord. cognit. intelligendum esse. In his enim rectè æquiparatio cum obstetricibus procedit, vtpote, quibus necessitatis atq; verecundiæ gratia Medicinæ vsus concessus est, vt grauidis, pro firmandis fœtibus, πέσσοις, (qui & πεσσοῖς, ἐγκόλπισμοι, & ἐμφάλια dicuntur) adponerent, & num mulier prægnans esset, iudicarent, vnde & Medicorum adpellatione indure nostro dignatæ, vt probat Dionys. Gothofred. ad prin. l. 9. Ad l. Aquil. Atq; ita vsus earum ad puerpe-

ras

ras tantùm, & grauidas, restrictus & limitatus est. Non igitur rectè Medici, qui omnium ægritudinum & morborum causas & remedia profitentur, cum obstetricibus conferuntur. Cum enim liberi hodie sint, æquiparantur professoribus liberalium artium, maximè quantum ad salarium d.l.1. §.1 de var.& extraord. cognit. Et eâdem gaudent immunitate, qua legum Doctores l. Medicos. de Professor. & Medic. Imò, Medicus Papæ vel Imperatoris, æquiparatur Duci, secundũ Bart. in l 1. C. de com.& Archi. sacri palatij. Et, si eiusdem dignitatis esset obstetrix, sequeretur, quòd obstetrix Reginæ, ducissæ æqparãda esset, q̃ nullibi legitur. Atq; ita rectissimè d. principiũ l. vlt. C. com. de leg. intelligit Ripa d. fol. 34 n. 108. & 109.

QVÆSTIO XXVIII.

Si medicus pro locorum distantia per triduũ in itinere commorari deberet, vsus felici diplomate, absoluat iter vno die a vnius, vel trium dierum salarium petere possit?

I.

HAnc quæstionem format R
Ripa in tract. pestis c. de re
med. ad curand. pest: mih
fol. 34. nu. 134. Et quidem
quòd pro vno die tantùm, Salarium pe
tere possit Medicus, non pro tribus
comprobari videtur ex eo, quòd sala
rium, tempore commensuratum fuit
ergò etiam vltra tempus non deberi l
Seio, de annuo legat. Per quem textum
dixit Baldus in l. Lucius §. à te peto, de
legat. 2. quod si Princeps dederit lega
to vel ambasiatori salarium pro vno
mense, & ipse reuersus fuerit in tribus
hebdomadis, teneatur restituere quar
tam partem. Quod ipsum quoque se
quitur Martinus Laudensis, in tract. de
Legatis Principum, vers. 15.

2. Contrarium verò, quòd totum sa
larium trium dierum petere possit, te
net expressè glossa in l. eos qui 27. §. fin.
ad L. Cornel. de falsi. per l. continuus §.
cum ita, de verb. obligat. vbi idem quo
que sequitur Imola.

3. Ca

3. Cæterùm Albericus de Rosate in d. l. Lucius §. à te peto, de legat. 2. has duas opiniones distinguendo, ita ad concordiam, reduci posse existimat, vt si laboris ratione tantum fuerit constitutum salarium ad numerum dierum, tunc, quia Medicus itinerando tantùm laborauerit vno die, quantum fecisset alius tribus diebus, etiam trium dierũ salarium eum rectè petere posse. Quòd si verò constitutum fuerit certum salarium ratione expensarum, in singulos dies faciendarum: tunc Medicum pro vno die tantum salarium conuentum petere posse. Et pro hac distinctione allegat textum in l. creditor 60. §. si inter maritum & socerum 3. Mandat. vel con. Sin verò neq; laboris, neq; expensarum respectu salarium constitutum, sed ad ratam mensis vnius restrictum & limitatum sit, tunc si infirmus citius liberetur, pro rata temporis salario decedere, & Medicum tantùm pro rata temporis salarium petere posse. Atq; ita intelligendam esse d. l. Lucius §. à te peto, de legat. 2.

QVAESTIO XXIX.

Quomodò puniendus sit Medicus protrahens curam, vt eò plus pecuniæ ab ægroto extorqueat, & bursam eius euacuet?

I.

SOlent auari Medici multas excogitare fraudes, vt ægros tantes excorient, & bursam eis euacuēt, qua de re Plin. Iun. in principio sui operis his verbis conqueritur: Frequenter mihi in peregrinationibus accidit, vt aut propter meam, aut meorum infirmitatem, varias medicorum fraudes, experirer, quibusdam viliſſima remedia, ingentibus preciis, vēdentibus: aliis, quæ curare neſciebant, cupiditatis cauſa ſuſcipientibus: Quoſdam verò comperi hoc genere graſſari, vt languores, qui pauciſſimis diebus, vel etiam horis, poſſent repelli, in longū tēpus extraherēt, vt ægros ſuos diu haberent in reditu, ſæuioresq; ipſis morbis exiſterent: Ideò tractatio huius quæſtionis ocioſa videri non debet. Pœ

2. Pœna autē hoc casu arbitrio Iudicis cōmittitur l. si Medic⁹ 3. ibi: Inciuile factū præses prouinciæ coherceat, de var. & ext. cog. Et potest à Iudice condēnari Medicus iste, vt pecunias extortas ægroto reddat, d. l. si Medic⁹ 3. vbi decidit, ægrotū, q̄ vendidit medico prædiū cōpulsus, propter medicamēta aduersa oculis adhibita, officio iudicis, rescissionē contractus petere & obtinere posse. Fr. Ripa in tr. pest. c. de rem. ad cur. pest. mihi pag. 33. n. 81. cum 4. seqq.

3. Quo casu ita contra Medicū libell⁹ formari poterit, ex d. l. si medicus. Corā vobis domine Iudex cōpareo, & cōqueror, de P. M. qui, cum paterer infirmitatem in oculis, propter aduersa medicamēta, quæ adposuit, compulit me. vineā meā sibi pro viginti vendere, & vendidi. vnde ago cont. eum officio iudicis. vt rescissa prædicta venditione, vineā meā mihi restituat, & ad hoc propono officiū vestrum. Spe. sub Rub. de Magistris, n. 3.

4. Quinimo tenetur etiam Medicus hoc casu, ad damna & interesse.

ex dilatione infirmitatis passa, Fr. Ripa d. modò num. 84. per l. idem Iuris 8. l. item si obstetrix 9. §. 1. ibi persuasum medicamentum infuderit ore, vel Clystere, ad L. Aquil.

QVAESTIO XXX.

An Medicus prænoscens mortem ægrotantis vicinam, cuius curam habet, teneatur ei denunciare?

I.

CIRca huius quæstionis resolutionem Iohannes de Neapolis tres casus distinguit. Aut enim credit Medicus verisimiliter talem mortis indicationem vel denunciationem vtilem fore ægroto, ad salutem animæ, & dispositionem siue ordinationem rerum suarũ rectius procurandam: Aut credit oppositum, scilicet talem denunciationem parum, vel nihil ægroto profuturam, quia credit eum esse in bono statu, cumq; res suas benè ordinasse: Aut nihil

nihil prædictorum credit, sed dubius est de vtroq;.

2. Primo casu vult Iohan. de Neapolis. teneri Medicum manifestare mortem vicinam ægroto, ex præcepto charitatis, quo iubemur, vt quod nobis fieri volumus, id etiam alteri faciamus.

3. Secundò verò casu, Medicum ad denunciationem quidem mortis non teneri, rectius tamen eum facturum, si prædicat vel denunciet, quoniam licet ægrotus credatur esse in bono statu animæ & rerum: tamen ad vtrunque denunciationem posse proficere, cum probabile sit, ægrotum, audita morte vicina, magis se dispositurum.

4. Vltimo casu, similiter teneri Medicum ad mortis denunciationem, quoniam in dubio, damnum notabile proximi sui quis præcauere, si possit, omnibus viribus debet.

5. Cum igitur hoc casu sequi damnũ æternæ damnationis, & rerum temporalium possit, consequens est, Medicum in dubio isto, ad denunciationem teneri. Atq;

ri. Atq; ita hos tres casus rectissimè distinguere videtur Nicol. de Neapolis, referente Rosella in summa sua de casibus conscientiæ in verb. Medicus, §. Vtrum autem Medicus prænoscens mortem.

QVAESTIO XXXI.

An medico, curato semel ægroto, & in pristinum morbum recidente, nouum salarium debeatur, an verò ægrotum recidiuantem pro eodem salario curare debeat?

I.

PEr one Medicus cum infirmo conuênit de certa mercede sibi, post liberationem & curam præstanda: vel conuênit cum Republica, curare infirmos tempore pestis: liberatur quidem infirmus, sed in pristinum morbum reincidit: vel cessat quidê pestis aliquandiu, sed postea reuertitur: dubitatur, num Medicus pro ea pacta semel mercede, iterũ curare teneatur. Hanc quæstionẽ originaliter

ter format glossa, in l. Martius 59. locati conduct. Et post glossam reassumunt summa Rosellæ de casibus conscientiæ, verb. Medicus, mihi nu. 6. Pone Medicus promisit curare infirmum: Spec. in Rub. de Salariis, §. postremo loco, nu. 1. Franc. Ripa, in tract. pest. c. de rem. ad cur. pest. mihi fol. 34. n. 138. cum 8. seqq. Pileus Modicensis, antiquus glossator, in quæstionibus suis iuridicis, q. 12. Sebast. Medi. in tract. reg. iur. reg. 4. Tiraq. in l. si vnquam, verb. susceperit nu. 180. C. de reuoc. donat. Ioh. Andr. in c. contractus de R. I. in 6. DD communiter in c. presbyterum de R. I. in 6.

2. Et quidem, quòd Medicus pro eodem salario iterum curare teneatur, per hæc fundamenta dicendum videtur. Primò, quòd non videatur ægritudo recessisse, & extincta, sed cessasse tantum, quæ paulò post rediit. Secundò, quòd non videatur plenè liberatus, qui totaliter non est liberatus. Tertiò, quòd non videatur curasse, q. viciosè curauit.

Quar-

Quartò, quòd non videatur curasse totaliter, qui morbum tantùm suspendit, & cessare fecit. Quintò, quòd recurrente ægroto infirmitate, recurrere quoq; debeat Medico, solicitudo denuò curandi, iuribus ibi pro singulis fundamentis firmandis adductis.

3. Sed pro contraria sententia, quòd scilicet Medicus, pro eodem salario iterum mederi non teneatur, hæc fundamenta adducuntur. Primò, quòd obligatio per liberationem semel extincta, amplius reuiuiscere non possit. Secundò, quòd infinitas in obligationibus sit vitanda, ne, qui semel curando liberatus est, iterum, & sic secundo, tertio, quarto, quinto, atq; adeò in infinitum, pro eodem solario obligatus videatur, quod in iure vetitum est. Tertiò, quòd de præsenti, & tempore contractus adparente ægritudine, Medicus cum ægroto conuenisse videatur, non etiam de postea contingente, vel ex postfacto superueniente. Quartò, quòd recursum morbi suspicari potuerit ægrotus,

grotus, ideo & in hunc casum paciscì cum Medico debuerit, iuribus ibi pro singulis fundamentis firmandis, adductis, quæ ad singula fundamenta apud allegatos supra DD. videantur.

4. Quid igitur in hac opinionum discrepantia dicendum? Distinguendũ est. Primò, Aut enim infirmitas ex iisdem humoribus, & pristina causa recurrit, aut ex noua causa. Primo casu, Medicus iterum curare pro eodem salario tenetur, quòd causam morbi non sustulerit totaliter, sed tantùm suspenderit, & cessare aliquandiu fecerit. Altero casu, non tenetur, nisi alio salario constituto. Ita distinguit Pileus d. modò q. 12. in fine, argumento l. qui res, ſ. aream, solut. matrim.

5. Secũdò potest distingui, vtrũ culpa ægroti, an culpa Medici morbus restauratꝰ sit: Si culpa ægroti, vt si fortè restitutꝰ sanitati, diætam in cõedendo & bibẽdo à Medico præscriptã, non seruauerit, vel si ad priorẽ vomitum, vt dici solet, h. e. ad priora peccata, puta vsuras,

con-

concubinatum, blasphemicas, redierit: tunc Medicus pro eodem salario, iterum mederi non tenetur, cum quis damnum, quod sua culpa sentit, suisque peccatis & sceleribus accersiuit, sibi, non alteri, imputare debeat: l. quod quis ex culpa, de R. I. argumento c. quæris, de consecrat dist. 4. Sic in simili, venditor non tenetur de equo mortuo, si constet ideo mortuum, quod herbas venenosas comederit, vel quòd nimia itineratione oppressus fuerit. Alex. in l. si quis cum aliter. de verbor. oblig. Similiter, non tenetur reædificare opꝰ promissor, quod constat terræmotu, & non vicio operis destructum d. l. Martius 59. locat. conduct: Si verò culpa Medici, ægrotum reincidisse constat, pro eodem salario iterum curare tenetur. Ita distinguit Pileus d. q. 12. in fine, Ripa d. fol. 34. nu. 142. in fine, cum duobus seqq. Spec. d. §. 4. nu. 1. in fine.

6. Tertio potest distingui, vtrum morbus ex continenti redierit, an verò ex interuallo: Si ex continenti rediit morbus

bus vel peſtis, tunc pro eodē ſalario mederi tenetur, quia nō dicitur infirmitas receſſiſſe, quæ citò rediit, ꝑ l. diuortiū, de diuort. quæ eſt canonizata in c. diuortiū, de pœnit. diſt. 1. Et reincidens in priſtinū morbum in continenti, præſumitur ex cauſa & radice præcedentis morbi reincidiſſe. Bart. in d. l. Martius 59. Locat. cond. & ibi etiam gloſſa, quæ vult, quòd, ſi podagra, à qua Medicus promiſerat patientē liberare, breui reuertatur, competat infirmo actio ex conducto aduerſꝰ Medicū, ad iterū curandū, quia Medicus nō extinxerit anguſtias priſtinæ infirmitatis, ſed eas ceſſare tantū fecerit, argum. l. qui tertiana aut quartana febre, de AEdil. Edict. vbi dicit Paul. de Caſtro, podagrā breui reuerſam, præſumi proceſſiſſe ex primis humoribus. Sic in ſimili, equus mortuꝰ intra triduum à tempore venditionis vel locationis, præſumitur morboſus fuiſſe, aliter, atq; ſi ex interuallo aliquo deceſſerit. Ioh. Andr. in addit. ad Spec. Tit. de Empt. & vendit. §. ſciendū, verſ. de illo.

de illo. Similiter, si vulneratus, post modicum, à tempore inflicti vulneris moriatur, præsumitur mortuus ex vulnere, secus si moriatur, longo interuallo post, secundum glos. l. 1. C. de emendat. seruor. cui similis est glos. in c. 2. de Cleric. percussor. Vbi Panormit. notabiliter dicit, hoc vltimum de interuallo tunc verum esse, si is qui ex interuallo occubuit, visus fuerit aliquando à vulnere conualuisse, Secus, si semper vulneratus in deterius processerit, & tandem mortuus sit. Quam rem Medicorum iudicio nostri subiiciunt, vt alibi dicam. Quod si verò ex interuallo redierit morbus vel pestis, non tenetur Medicus pro eodem salario mederi, sed nouum salarium constituendum erit. Ita distinguit Specul. d. supra nu. 1. in fine. Ripa d. fol. 34. num. 138. 139. 140. 141. 142.

7. Sed hic dubium oritur, quando ex continenti, & quando ex interuallo, morbum rediisse dicatur. Et breuiter respondendum est, de eo certam doctrinam

strinam dari non posse, sed totum id Iudicis arbitrio relinquendum Fr. Ripa d.c.de remed.ad curand. pest. mihi fol. 35.nu.145.vers.sed dubitatur, per l.1.de iur.delib.l.si ita quis §.Seia, de verbor. obligat.c.de causis,de offic.delegat. Panorm.in l.2.de cleric.percussor. Alex. l. si ita stipulatus essem abs te, in fine, vbi dicit,Iudicem,hoc casu à peritis informationem petere debere,de verborum obligat. Et quod totum hoc,quando in continenti quid fieri dicatur, vel non, iudicis arbitrio relinquendum sit,multis ostendit Ioseph. Mascard. de proba. conclus. 687. nu. 21. 22. Iacob. Menoch. de arbitrar. Iudic. quæst. lib. 2. cent. 1. cas.9.num. 5. & de recuperand. possess. remed. 1.num.259.cum seq. Et ego hac de re peculiari capite dicam alibi.

QVAESTIO XXXII.

An Medicus cogatur inuitus mederi?

I.

IT cogi verius est. Primò namq; tenetur mederi lege præcepti. Quia secundum Legem Dei & sacros canones, mortaliter peccat, mortemq; videtur languentibus infligere, qui eam, cum possit, non excludit, c. 1. 83. dist. Secundò medicandi officium, munus est publicum, quod quilibet, etiam inuitus, subire cogitur, l. munerum §. iudicandi, de muner. & honor. l. pen. §. duo, de vacat. muner.

2. Sic in simili Doctor siue Aduocatus, compelli potest patrocinari & consulere litigantibus, secundum glos. in l. 2. C. de proxim. sacr. scrin. & probatur in l. sancimus C. de aduocat. diuers. iud. vbi Bart. & Salic. notant. Quod etiam confirmat Gail. lib. 1. pract. obseruat. obs. 43. num. 1.

3. Et quamuis Bald. ibi contrarium teneat: tamen opinio glossæ & Bart. est verior, & magis communis, secundum Felin. in c. si pro debilitate de offic. delegat.

legat. & Parid. de Puteo in tract. Syndi. verb. potestas cum esset in officio. Quorum sententiæ etiam subscribit F. Ripa, in tractat. pestis c. de remed. ad curan. pest. mih. fol. 33. 88. 89.

4. Sed quomodo compellendus est? Et Ripa d. modo nu. 89. putat, cum cogi posse officio Iudicis, ad instar Aduocati, per iura ibi adducta. Idem tenet in Aduocato, Gail. d. modò nu. 1.

5. Et Medicus, qui semel officium medicandi assumpsit, in tantùm obstringitur ægroto, vt etiam propriis sumptibus & impensis, eum curare cogatur, c. 1. dist. 83. & ibi apostilla ad glos. sub. lit. F. adducit ad hoc bonum textum in l. non tantùm de appellat. l. at si quis, §. Labeo, de religios. & sumpt. funer. Speculat. Rubr. de Salar. §. postremo loco 4. num. 2. argumento c. Pasce, 86. dist. Et si conualuerit, repetit expensas, quia vtiliter gessit negocium eius, etiamsi

moriatur. Nec enim euentus mortalitatis, Medico imputari debet, cum penes ipsum non sit, ægrum semper releuari, secundum vulgatum illud: Non est in Medico, semper releuetur vt æger, Interdum docta, plus valet arte, malum. Nec semper sequitur laborem effectus, glossa in d.c.1. distinct. 83. verb. inferat. vers. dico quod tenetur eum curare suis impensis. Speculat. d. num. 2. Summa Rosellæ, de casibus conscientiæ, in verb. Medicus, mih. num. 7. in princ. per iura vbiq; allegata.

6. Item in tantum obstringitur ægroto, vt etiam inuito & reluctanti, mederi cogatur, glos. in d.c.1. dist. 83. verb. inferat. vers. sed quid si infirmus prohibet, ne aliquæ sibi medicinæ dentur. Speculat. d. Rubric. de Salar. d. num. 3. vers. Sed quid si infirmus prohibet, ne sibi aliqua medicina detur. Fr. Ripa in tract. pest. c. de remed. ad curand. pest. mih. pag. 53. num. 103. Summa Rosellæ d. num. 7. vers. & potest Medicus. vbi id probant per hæc fundamenta. Primò, quod

quod etiam in inuitum beneficium conferri possit, maximè si eius vtilitati consulitur, vt de eo, qui inuitus, ex domo ruitura, extrahitur. Secundò, quòd infirmo, recusans auxilium Medici, præsumatur furiosus. Furenti autem Medicum, vt & patrem, filio indisciplinato, teneri medendo, ligando, cædendo, succurrere. Et si negligant eos, huiusmodi falsam mansuetudinem, crudelitatē reputari: Idq; adeò verum est, vt etiam expensas hoc casu vtiliter à se factas, Medicus repetere possit, per notata glossæ, & Bartoli in l. Stichus, de pecul. legat. quæ refert & sequitur Summa Rosellæ, d. modò num. 7. vers. & per prædicta soluitur quæstio quotidiana: vbi omninò videto & per notata Ioh. glossatoris in §. cum in suo solo, Instit. de rer. diuis. quem ad hoc allegat Spec. d. num. 3. vers. sed nunquid poterit repetere quæ expendit? Nec potest ægrotus, medico impensas petenti, exceptionem donationis, quasi intuitu pietatis, & donandi animo, sumptus fe-

ciſſet, opponere: niſi fortè eſſet ægroto, conſanguinitate, vel cognatione, coniunctus, tunc enim, niſi proteſtatus fuerit, donandi animo impendiſſe præſumitur. gloſ. in d.c.1. diſt. §3. verb. inferat. verſ. nec poteſt ei obiici & ibi quoque apoſtilla. Speculat. d. verſ. Sed nunquid poterit repetere quæ expendit. Summa Roſellæ d. nu. 7. verſ. nec poteſt ei obiici.

7. Denique in tantum obſtringitur infirmo, vt, etiamſi de ſalute eius deſperetur, tamen ei mederi cogatur. Fr. Ripa d. fol. 33. nu. 91. Felin. in c. paſtoralis, colum. 3. in fine de iudic.

8. Nec obſtat, quod Doctor Iuriſta, non debeat, neque arctari poſſit ad ſuſcipiendum patrocinium cauſæ deſperatæ l. rem non nouam §. patroni, C. de iudic. c. ſi habes 24. q. 3. gloſ. in l. 1. §. diuus, de var. & extraordin. cognit. Quoniam Medicus, ſuſcipiendo curam deſperatam, neminem lædit, ſecus in Aduocato, qui protegendo cauſam iniuſtam,

iustam, lædit aduersarium. Pares ergò non sunt termini, nec hoc casu argumentum à Iureconsulto ad Medicum (licet aliàs regulariter validum sit, vt alibi dixi) procedit Fr. Ripa d. fol. 33. num. 92.

QVAESTIO XXXIII.

An medicus teneatur mederi gratis, an verò non nisi ob condignam mercedem?

1.

ET quod non gratis, sed condigna mercede præstita, mederi teneatur, ex his, quæ sequuntur, fundamentis, satis probari videtur.

2. Primò, quòd nemo de suo beneficium facere, nec suis stipendiis militare cogatur, maximè diuiti, glo. in c. 1. dist. 83. verb. inferat, vers. sed quid si infirmo

diues est. Speculat. Rubric. de salariis, §. postremo loco 4. num. 2. vers. quid si infirmus diues est, per iura vtrobiq; allegata.

3. Secundò, id comprobatur exemplo Iureconsultorum, qui iustum consilium & patrocinium, licitè vendere possunt, nec gratis consulere aut postulare tenentur. Francisc. Ripa in tract. pestis c. de remed. ad curand. pest. mih. fol. 33. num. 94. per c. non licet. 11. q. 3. l. vnic. C. de suffrag. l. 1. §. ait prætor, de postul. multò minus tenebitur Medicus gratis mederi, quoniam licet Iureconsultorum & Medicorum eadem causa videatur, iustior tamen est causa Medicorum, cum hi salutem hominum, illi studiorum curam agant, l. 1. §. medicorum, de var. & extraord. cognit. Fr. Ripa d. num. 94. per gloss. & Scribentes, in c. qui studet 1. q. 1. Panor. & alios in c. ad aures, de ætat. & qualitat. ordin.

4. Tertiò comprobatur ab effectu, siue ab inutili consequente, neglectu nimirum & contemptu Medicæ artis.

Si

Si enim nulla labori merces & præmiũ propositum esset, nemo studeret, cum etiam iustitia metu inopiæ deseratur. Nec facilè inuenies multis ex millibus vnum, virtutem precium, qui putet esse suum. Sed potius secundum vulgatum illud: Dat Galenus opes, & sanctio Iustiniana, ex aliis paleas, ex istis colligе grana. Francisc. Ripa d. modò nu. 49.

5. Nec obstat exemplum Giezi, qui, cum gratiam sanitatis, Naaman Syro vendidisset, eandemq; Eliseo vendicante, leprosus factus amiserit d. c. qui studet 1. q. 1. Et quod dicitur prouerb. 23. Noli vendere sapientiam, doctrinam & intelligentiam, gratis accepistis, gratis date: quoniam textus isti in contrarium adducti, volunt, Medicum nihil debere recipere pro sanitate restituenda infirmo, cum illa ex mera gratia procedat, non etiam prohibent Medicum vel alium professorem, pro labore suo, mercedem, salarium, præmium, vel recompensationem petere. Et ita respondet glossa in d. c. qui studet 1. q. 1.

Refert & sequitur Francisc. Ripa d. nu. 94. in fine.

6. Et hoc notent diligenter Medici arrogantes, qui superbè sanitatem pollicentur ægrotis, cum tamen sanitatem vel gratiam, (quod idem est) præstare ægroto non sit Medici, sed solius Dei, Fr. Ripa d. fol. 33. num. 95. per c. quoniam dist. 88. & c. paro, verb. hinc etiam, & verb. nunquid Medici resuscitabunt mortuos, de pœnit. dist. 1.

7. Notent quoq; idipsum consultores, & Aduocati, qui clientulis suis victoriam repromittunt, quæ tamen non est penes ipsos, sed penes iudicem, Fr. Ripa d. fol. 33. num. 96. per l. 1. de abolit. cum similib. ibi allegatis.

8. Potest & aliter responderi, secundum eandem glos. licet in effectu parum hæc solutio à superiore distet, quòd scilicet salarium, Medico, pro cura, debitum, non sit quasi præmium sanitatis, sed quasi honorarium, per text. in cap. non sanè, ibi, nec medico reddere volunt honorem suum. 14

quæst.

quæst.5. Sic in simili Propheta in signum honoris, munera recipit, c. iudices 1.quæst.1. Sic Deus in signum honoris recipit decimas,c. decimæ 16.q.1. Et hac de causa, quæ Doctoribus debentur præmia, honoraria dicuntur non mercedes l.1. ſ. proinde & ſ. in honorariis,de var.& extraord.cognit.

9. Ampliatur supradicta conclusio nostra, quæ habet, Medicum gratis ad medendum non astringi, vt procedat, etiamsi Medico, cura & infirmitas siue morbus,sine reuolutione librorum,nota sit. Fr. Ripa d. fol. 33. num. 98. vbi allegat ad hoc Speculat. in d. Rubric. de Salariis ſ. Sequitur de Aduocatorum salario videre, num. 1. vers. verumtamen si absque labore & reuolutione librorum, vbi loquitur de Aduocato siue consultore,& ibi Iohan. Andr. in Apostilla, ad verb. labore id suo exemplo comprobat. quod ad Medicū Ripa d.modò n. 98.rectissimè porrigit. Nā si aliter diceretur,sequeretur inde

inde illud absurdum, quòd deterioris essent conditionis, qui benè laborârũt in studio, quàm illi, qui parum in Scholis, & in studio insudârunt. Item deterioris conditionis esset vir practicus, promptus, resolutus, & ingeniosus, quàm grossus & inexpertus. Ripa d. mod. num. 98. Nec tàm præsentium, quàm præteritorum laborum ratio habenda erit. Et deniq; vt constat ex supradictis, non tàm pro labore, quàm pro honore, stipẽdia & honoraria, Professoribus & Medicis debentur. Ripa d. modò nu. 98.

10. Et quamuis glossa in c. non licet, 11. q. 3. vbi hanc dubitationem de resolutione librorum mouet in consultore, videatur tenere contrarium, vt & Speculat. d. modò nu. 1. vers. verumtamen si absq; labore & reuolutione librorum, per iura & fundamenta ibi adducta: tamen sententia contraria, & à nobis satis stabilita, præualuit, attestante Ripa d. modò nu. 98. Et ipse etiam Speculator in d. modò loco cum contrariam sen-

sententiam firmasset, subiicit: his verbis: Sed ego eum (Aduocatum scilicet) ad id (gratis scilicet patrocinandum vel consulendum) non cogerem. verius igitur est, nec Iureconsultum, nec Medicum, gratis consulere, vel mederi cogendum.

11. Fallit tamen hæc conclusio nostra, vt non procedat in pauperibus. His enim gratis mederi Medicus, & præmiũ à Deo expectare tenetur, glos. in c. 1. verb. inferat. in princ. dist. 83. Speculat. in Rubric. de Salariis, §. postremo loco, 4. num. 6. vers. ex præmissis autem patet, Fr. Ripa d. fol. 33. num. 99. Bart. in l. archiatri C. de Professor. & Medic. lib. 10. Felin. in c. 1. de offic. Iudic. vnde id refert & sequitur Andr. Gail. lib. 1. obs. camer. Imper. obs. 43. nu. 13. Et hanc communem opinionem attestantur Præpositus siue Cardinal. Alex. in d. c. 1. dist. 83. Panor. & alij, in d. c. ad aures de ætat. & qualit. ordin. Quoniam non debet apud Medicum plus valere pecunia vel bursa, quàm vita morituri c. non satis, 86. dist.

86. dist. Speculat. d. modò vers. Ripa d. modò loco, Nec debent Medici dedignari pauperibus succurrere, cum laudabilius sit obsequi tenuioribus, quàm turpiter seruire diuitibus d. l. archiatri C. de profess. & Medic. vbi Iohannes de Platea dicit, quòd cura pauperum honestissima, cura diuitum, spe præmij, omissis pauperibus. Medico turpissima sit. Et in Medico, vt & in Iudice, nulla debet esse personarum acceptio vel respectus §. Eos quoque, in Authen. vt Iudic. sine quoquo suffragio.

12. Sic in simili Doctores, Aduocati, procuratores, in camera, & alibi, gratis inseruire, patrocinari, & consulere tenentur pauperibus, Fr. Ripa d. mod. fol. 33. num. 100. Gail. d. obs. 43. num. 11. & 14. per iura vtrobiq; allegata.

13. Sic item iudex inferior, acta pauperibus gratis in camera, tanquam Iudicio superiori, edere tenetur, ne iustitia pereat. Gail. d. obs. 43. num. 15. & 16. in princ.

Sic

14. Sic item commissarius, ad recipiendum & examinandum testes, officium suum & laborem, gratis pauperibus impertiri debet. Gail. d. obs. 43. nu. 16. post. princ.

15. Sic deniq; processus ex Cancellaria, in camera, pauperibus gratis dantur & nuncij cameræ, eorum executionem, gratis facere tenentur, ita tamen, vt si causam obtinuerint, & ad pinguiorem fortunam venerint, sumptus, in executione factos, refundere, & resarcire debeant, ne cum alterius iactura locupletari videantur. Gail. d. mod. obs. 49. num. 19. vers. eâdem ratione, & num. 20.

16. Et hæc limitatio nostra vsque adeò vera est, vt si Medici & Aduocati, pauperibus gratis inseruire detrectẽt, sub pœna, non solùm pecuniaria, sed etiam priuationis officij, arctari & compelli possint. Franciſc. Ripa d. modo num. 100. Andr. Gail. d. mod. obs. 43. num. 11. & 12.

17. Item

17. Item vsque adeò vera est, vt procedat, etiamsi Aduocati iuramentum præstiterint, de non aduocando sine salario, nam id ad personas & causas pauperum non porrigetur, Gail. d. obs. 43. nu. 17. ex Felino in d. c. 1. de iudic. Quod, cur in Medico etiam obtinere non debeat, nullam diuersitatis rationem video. Puto igitur, rectè hoc ad Medicum quoque extendi posse, cum argumentum à Medico ad Aduocatum, & conuerso, nisi subsit diuersitatis ratio, rectè procedat, vt alibi dixi.

18. Item vsq; adeò procedit, vt contra facientes Medici & Aduocati, mortali se peccato polluant, Gail. d. obs. 43. num. 14. in fine.

19. Declaratur tamen hæc limitatio nostra, quo ad Aduocatos, (fortè etiam quoad Medicos) vt procedat tantùm in pauperibus, extrema paupertate laborantibus, & qui iuramentum paupertatis in camera præstiterunt Gail. d. obs. 43. num. 18. per text. & glos. in c. statutum, §. insuper, in verb. notabiliter, de re-

de rescript. in 6. & Felin. in d.c. 1. de offic. delegat.

QVÆSTIO XXXIV.

Num clientes contrahentes, cum Aduocatis vel consultoribus, ad numerum chartarum vel foliorum, paciſci debeant?

I.

ET quidem negatiua sentẽtia adstruitur his rationibus, quòd hac conuentione detur occasio consultoribus prorumpendi in multiloquium & verbositatem, quæ persæpè optimam causam & consultationem offuscat: Iudici Stomachum mouet: sensum onerat: & intellectum eorundem peruertit, secundum D. Hieronymum super Hieremiam. Facit huc l. vlt. §. in refutatoriis, 1. C. de appellat. vbi verbositas & superfluitas in libellis appellatoriis, sub pœna ibi proposita, prohibetur.

QVÆSTIO XXXV.

Num Iudex seu magistratus, inopi & pauperi sumptus litis subministrare debeat?

I.

ET quidem affirmativam sententiam tradidit, glossa in l. 1. §. ait Prætor, 4. in verb. nō habebunt, de postul. Cui adstipulantur Bartol. & DD. ibi. & glossa in c. si qui testium, 8. de testibus, quam sequitur ibi quoq; Panormit. Eandem quoq; sententiam firmat VVesenbec. ad d. tit. de postul. in parat. num. 3. vbi ait: Si tenuiores sint litigatores, quàm vt salarium præbere postulantibus suo nomine possint: non tamen debent magistratus pati causam eorū relinqui desertam, sed potius sumptum de publico, aut saltem ex ærario eleëmosynarū cōmuni suppeditare, per d. modò, gl. d. l. 1. §. ait prætor, verb. non habebunt, de postul. & Parid. de Put. in tract. Syndic. ad verb. carcer & carceratus,

ratus, cap. 4. num. 2. & 3. per. l. 2. & l. iudices 10. C. de Episc. audient. Species namq; eleemosynæ est, pauperibus præbere patronos, c. filius, c. definiuit, 17. quæst. vlt. Bald. in l. præsenti, in fin. C. de his qui ad Eccles. confug. Eandem quoque glossæ sententiam refert & sequitur Hartman. Pistor. lib. 1. quæst. Iur. quæst. 20. num. 6. Matthias Colerus de processib. execut. part. 1. cap. 2. nume. 90. per iura supra allegata, aliaque per eum adducta, quæ ibi videantur. Et multis eam confirmat Roland. à Valle, volum. 2. consil. 87. in fine, & quasi per totum, vbi multa paupertatis priuilegia recensetur. Eandem quoq; amplexi sunt Scabini Lipsenses, in materia productionis testium, inde respondentes, Iudicem, pauperi litiganti, sumptus suppeditare debere, vt is testes producere, & probationem sibi iniunctam, conficere possit, teste Hartman. Pistor. d. modò, quæstione 20. in fine. Eandem quoque pronuntiando secuti sunt Scabini Hallenses, in causa quadam

dam homicidij in hunc modum: Da aber Klegere Armuht halber dieſen Peinlichen Proces / wider Peinlich angeklagten / auß zuvben / vnvormügens / vnnd dieſe Sache gentzlich von ſich ſtellen / auch euch Amptshalber dieſelbige zuvorfüren / auffzutragen würden / auff ſolchen fall / weret jhr auff des Ampts vnkoſten / dieſen Peinlichen Proces / wider Peinlich angeklagten / außzufüren / pflichtigk / von Rechts wegen / etc.

2. Angelus Aretinus, in d. §. prætor ait, 4. de poſtul. dicit, ſuperiorem ſententiam, obtinuiſſe quidem tempore gloſſatoris, ſubiungens: Sed hodie væ pauperi, quia non habet ſubleuantem ſe.

3. Felinus quoq;, in d. c. ſi qui teſtiũ, num. 9. de teſtibus, ſuperiorem ſententiam in dubium vocat, & cum diſtinctione, in duobus ſcilicet caſibus ſaltem admittit. Primus caſus eſt cum priuatus intentat iudicium ad vtilitatem publicam: Vt cum Clericus pauper promouet cauſam ad vtilitatem Eccleſiæ. Secundus caſus eſt, quando per litigan-

tem

tem super bonis, quæ prætendit propria vel communia, est aliqua præsumptio, puta, si sit lata sententia, pauperem esse, tunc enim interim ex illis bonis sustentari debet. Ita distinguit Felinus, in d.c. si qui testium, num. 9. de testib. per iura & auctoritates ibi allegatas. Matthæus de Afflictis, siue potius additio ad eum, in d.c. si qui testium, distinguit inter operas, quas iudex gratis, & sine sportulis præstare debet, & inter expensas, quas eum subministrare non debere sentit.

4. Verùm, hisce distinctionibus non attentis, cum superiori Accursij glossatoris sententia communiter DD. transeunt, vt scilicet iudex, etiam expensas, pro paupere facere cogatur, vti constat ex auctoritatibus, per Rolan. in d. cons. 87. part. 2. congestis. Quam etiam hodie, vti humaniorem, vsu practico seruari videmus.

5. Sed huic quæstioni in plærisq; hodie curiis aliter prouideri solet, constitutis nimirum aliquot aduocatis publi-

co salario, qui causas egenorum agant & tueantur, vnde & pauperum procuratores adpellantur, V Vesenb. d. tit. de postul. nu. 3.

QVÆSTIO XXXVI.

Quid sit beneficium Retentionis, quod habet creditor in bonis debitoris sui, & qua ratione id sit introductum & receptum?

I.

REtentio siue detentio hæc, nihil est, quàm impedimentum legitimum rerum debitoris, quas tanquam in suis manibus hodie existentes, ex causis à iure determinatis & expressis, retinet ac firmiter capessit creditor, propria quasi auctoritate, non dimittendo eas ex sua possessione, donec sibi de credito satisfactum fuerit. Ita definit Matthias Colerus, in tract. de processib. execut. part. 1. c. 2. num. 184.

Ratio

2. Ratio autem huius beneficii in eo posita est, quòd plus cautionis & securitatis in rem sit, quàm in personam, l. plus cautionis, 25. de regul. iur. Et melius sit pignori incumbere, quàm in personam agere, §. furti 4 Institut. de obligat. quæ ex delict. nasc. Et minus sit actionem habere, quàm rem, l. minus 204. de reg. iur. Quo pertinet illud Martialis aduersus Thelesinum:

Cum rogo te nummos sine pignore, non habeo, inquis,
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quod mihi non credis, veteri, Thelesine, sodali,
Credis colliculis, arboribusq; meis.

3. Nec obstat, quod dicitur in l. 15. de regul. iur. Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur: Item quod dicitur, in l. 52. de acquir. rer. domin. Rem in bonis nostris habere intelligimur, quoties possidentes exceptionem; aut amittêtes, ad recuperandam eam, actionẽ habemus. Item quod dicitur in l. 143. de verb. sign. Id apud se quis habere videtur, de quo

habet actionem, habetur enim, quod peti potest. Item quod dicitur, in l. bonorum adpellatio, 49. in fine, de verbor. sign. æquè bonis adnumerabitur, etiâsi quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus, Nam hæc in bonis esse videntur. Item quod dicitur, in l. 21. de verbor. sign. Princeps bona concedendo, videtur etiam obligationes, siue actiones, concedere.

4. Deniq; non obstat, L. à Diuo Pio, 15. §. in venditione, 2. de re iudic. vbi etiam nomina debitorum, item iura, & actiones, veniunt in executione iudicati, Et sic includuntur bonis ipsius condemnati: Quoniam supradicta Iura, in contrarium adducta, loquũtur per verbum, videtur, item per verbum, intelligimur, & similia, Quæ omnia sunt denotatiua fictionis & improprietatis, Dec. in d. l. is qui actionem, 15. num. 3. de reg. iur.

5. Deinde actio competens nobis pro re nostri dominii, satis arguit, nos repræsentatione tantùm, & non reipsa ac re-

ac reuera, plena proprietate eius gaudere, cum frustra detur actio pro eo, quod quis antea possidet, §. sic itaq; discretis, ibiq; glossa, in verb. magis. Insti. de action. l. 3. §. ex pluribus, de acquir. vel amit. possess. §. sed etsi rem legatarii, Instit. de legat. l. si rem meam, de verbo. obligat. Quantumuis igitur quid & in nostris bonis censeatur, & pro eo competat actio, tamē, quia dominium est sine effectu, & repræsentatione ac fictione tantùm, cum possessio rei verè sit penes alium, nec possit actor, ea vti frui, vel de ea pro suo arbitrio disponere, argumento eius quod tradit Bart. in l. si quis vi §. differentia, de acquir. poss. per l. in re mandata, C. mandat. satis iam liquet, plus esse securitatis in rem, quàm in personam, d. l. plus cautionis 25. de R. I. & minus esse, re scilicet & effectu, actionem habere, quàm rem ipsam. Atque ita ad supradicta contraria rectè rectè respondet, Matth. Coler. d. part. 1. c. 2. num. 186. & 187.

QVÆSTIO XXXVII.

Quæ sint priuilegia, fauores, & commoda paupertatis. Et in quibus casibus pauperes, melioris sint conditionis, quàm diuites?

MVlta sparsim hinc inde paupertatis priuilegia ab interpretibus enumerantur, quorum præcipua, maximeque illustria, hoc capite comprehendere, & vna quasi σινόψει consp icienda exhibere, operæprecium visum facit.

1. Primum itaq; paupertatis priuilegium est, quòd pauperibus non currant fatalia introducendæ & prosequendæ appellationis, tùm, quòd impossibilium nulla sit obligatio: túm etiam, quòd difficultas à mora excuset, Mynsing. cent. 4. obser. 97. in princ. Gail. lib. 1. obs. 142. num. 1. & 2. vbi hanc communem opinionem ex Baldo asserit: Et subijcit, ex singulari Matheſilani vltimo, & Franciſci Cremonensis sing. 122. quendam

dam pauperem liberatum fuisse, à pœna furcarum, eò quod propter paupertatem appellationem debito tempore prosequi non potuisset, Rolan. à Valle cons. 87. nu. 51. vbi similiter communis hæc sententia perhibetur, vol. 2. Hippol. Marsil. in practic. crimin. §. ordine, mihi nu. 12. per infinita ibi allegata. Qui tamen limi.
num. 13. hoc limitat, vt non procedat, si quis propria culpa paupertatē sibi accersiuerit, tunc enim eum paupertatis prætextu non iuuari, quoniam beneficia data pauperibus, non cōpetant illis, qui ex culpa sua ad eam peruenerint.

2. Vtrum autē pauperes, si omninò adpellationē omiserint, & sic decendiū interponendæ adpellationis elabi passi fuerint, paupertatis prætextu excusentur, Interpretes inter se non satis cōueniunt. Nam Guid. Pap. decis. 436. n. 22. distinguit inter adpellationē ab interlocutoria vel diffinitiua, ex interuallo, in scriptis faciendā, & inter adpellationē, viua voce, à diffinitiva, in cōtinenti interponendā. Primo casu quia sumptus faci-

faciendi,& pro instrumento adpellationis aliquid expendendum paupertatẽ excusationem mereri: Altero verò casu,cum nihil erogandum sit, paupertatem à desertione non excusare. Quod ex Guidone refert Myn. d. cent. 4. obs. 97. vers. ita etiam, Gail. d. l. 1. obs. 142. n. 3.

3. Ias. verò in l. inuitus, num 8. C. de procurat. indistinctè concludit, pauperi hoc casu interponendæ adpellationis decendium currere, eò quòd minima sit illá impensa, quæ ad interponendam adpellationem requiritur, Gail. d. modò obs. 142. num. 4. vbi subijcit, hanc Iasonis opinionem, Cameram quoque approbasse, in causa Gerardi Rasch, cõtra Henricum Steurlender/ 29. Augusti Anno 67.

4. Putat tamen Gail. d. modò obser. 142. num. 5. hanc Guidonis & Iasonis discrepantiam, alia distinctionis via, cõciliari, & ad concordiam reduci posse. Vt si paupertas coram iudice primæ instantiæ, iam allegata & probata sit, Guidonis distinctio, vt benignior & verior,

rior, procedat: Sin verò paupértas post latam demum sententiam coràm Iudice adpellationis allegata sit, absq; differentia, intra decendium adpellandum, aut de paupertate docendum, aliàs sententiam transire in rem iudicatam. Atq; ita Iasonis opinionem procedere.

5. Secundum paupertatis priuilegium est, quòd furtum ob famis, & paupertatis necessitatem commissum excusationem mereatur, Gail. d. obs. 142. n. 8. ante fin. per iura ibi allegata.

6. Tertium paupertatis priuilegium est, quòd Medici, Aduocati procuratores & Doctores, gratis mederi, inseruire, patrocinari, & consulere pauperibus debent, Gail. lib. 1. obs. 43. num. 11. 12. 13. 14. Roland. à Valle, d. modò consil. 87. num. 25. 26. 27. 28. 29. 38. 39. 40.

7. Idem quoque in Iudicibus procedit, qui pauperum causas sine sportularum solutione audire cognoscereq; gratuitò tenentur, Mynsin. d. obser. 97. cent. 4. vers. Item causa paupertatis, Roland. à Valle cons. 87. num. 23. 24. vol. 2.

Tiraq.

Tiraq. de nobilitate, c. 29. nume. 40. per ibi allegata, Gail. lib. 1. obſ. 43. n. 15. & 16. in princ.

8. Idem quoque in commiſſariis locum habet, nam & hi ad recipiendum & examinandum teſtes, officium ſuum & laborem, gratis pauperibus impartiri debent, Gail. d. obſer. 43. num. 16. poſt princ.

9. Idem quoq; in nunciis Cameræ Imperialis procedit, qui & proceſſus gratis inſinuare, & executionem gratis facere pauperibus tenẽtur, Gail. d. obſ. 43. nume. 19. verſic. eadem ratione, & num. 20.

10. Idem quoq; in Notariis procedit, nam hi, pro inſtrumento, pauperi cõfecto, ſalarium ſiue mercedem flagitare nõ poſſunt, Rol. à Valle, d. conſ. 87. nu. 30. cum ſeptem ſeqq. vol. 2. Tiraq. d. c. 29. nu. 41.

11. Idem quoq; in Magiſtris & Præceptoribus locum habet, nam & hi gratuitò, & abſq; didactro ſiue collecta, diſcipulos pauperes docere, & inſtituere debent.

debent, Roland. à Valle, d. conſ. 87. nu. 41. Tiraq. d. c. 29. nu. 42. vbi refert exemplũ Damiani Sophiſtæ, qui egenis mercedem dimiſerit, ne pecuniarũ inopia, bona ingenia latêrent: Et Taberii Hieræ Grammatici, Bruti Caſſiiq; præceptoris, qui ea honeſtate fuerit, vt Syllanis temporibus, præſcriptorũ liberos, gratis & ſine mercede vlla, in diſciplinã receperit.

12 Idem deniq; in Epiſcopo, vel alio quocunq; Eccleſiarum, vel Clericorum viſitatore, locũ habet. Nam & hi à pauperibus clericis, procurationem exigere non poſſunt, Tiraq. d. c. 29. num. 42. Et omninò huc repetantur ea, quæ notaui ſupr. q. 33. à §. fallit tamen concluſio noſtra, vſq; ad finem quæſt.

13. Quartum paupertatis priuilegiũ eſt, quòd pauperes excuſantur à pœna æterna, quando non poſſunt reſtituere illicitè capta, ſi modò ſeriò pœniteant, Roland. à Valle, d. conſil. 87. nume. 42. 43.

14. Quintum paupertatis priuilegiũ eſt,

est, quòd liberat à solutione lucri cessantis,& mulctæ.Iudici, debitæ. Rolan. à Valle d.consil.87.nu. 44. 45.

15. Sextum paupertatis priuilegium est,quòd pauper, qui iurauit soluere in certo termino,nec postea id facere possit,quoad reatum,à periurio excusetur, Mynsing. d.cent. 4. obser. 97. versic. & scribit Innocentius, Gail.d. obser. 142. nume. 4. Roland. à Valle d. consil. 87. num.46.

16. Septimum paupertatis priuilegium est, quòd fideiussor, etiam absq; mandato, bona debitoris sui pauperis, vendere, & inde creditoribus eius satisfacere possit,Roland.à Valle,d. cons. 87.nu. 47.

17. Octauum paupertatis priuilegium est, quòd non teneantur ad hospitum receptionem, Roland. à Valle d. consil 87. num. 48. per c. de monachis. de præbend.

18. Nonum paupertatis priuilegiũ est, quòd non teneantur ad contributionem refectionis Ecclesiarum. Roland.

land à valle d. conſ. 87. num. 49. per c. de his, de ædific. Eccleſ.

19. Decimum paupertatis priuilegium eſt, quòd pauperibus, per officialem, collecta remitti poſſit. Roland. à valle d. conſ. 87. n. 50. per ibi allegata.

20. Vndecimum paupertatis priuilegium eſt, quòd excuſationem à tutela & cura præbeat, §. ſed & propter paupertatem, Inſtit. de excuſat. tutor. vel curat. l. paupertas 8. l. poſt ſuſceptam 40. §. fin. D. eod. Requiritur autem, vt talis ſit paupertas, quæ faciat illum imparem oneri iniuncto, vt ſcilicet pupilli rebus, & negotiis propriis, intereſſe non poſſit, vt quia fortè cogatur ex propriis operis, & artificio, ſibi victum quærere, d. l. paupertas 8. & d. l. poſt ſuſceptam 40. §. fin. d. §. ſed & per paupertatem & ibi gloſ. in verb. imparem, Inſtit. de excuſat. tutor. Tunc enim iniquum eſſet, vt poſthabitis ſuis, aliena negocia tractare cogeretur, Et crudelitati eſt proximum, alterius cauſa, ſeipſum deſerere, cum ordinata, charitas

incipiat à seipso l. præses C. de seruit. & aq. Neq; etiam vtile esset pupillo, habere tutorem pauperem, qui vel negligenter, vel non fideliter, res pupillares propter inopiam, administraret, Quod si tutor possit gerere negocia pupilli, & etiam propria, & fidelis sit, vtiq;, propter solam paupertatem, non excusatur, sed adiungitur ei curator, ne substantia pupilli periclitetur l. pietatis C. de suspect. tutor. Sneid. ad d. §. sed & propter paupertatem, Instit. de excusat. tutor.

21. Duodecimum paupertatis priuilegium est, quòd excusset à muneribus patrimonialibus & personalibus, Iohan. de Plat. in l. vlt. vers. tertio nota, per ibi allegata C. de his qui mun. liber. vel paupert. excusat. mer. lib. 10. cum distinctione tamen ibi proposita. Et exempla huius priuilegij, de remissione tutelæ, collectarum & mulctarum, referuntur supra priuileg. quinto, decimo, & vndecimo.

22. Decimum tertium paupertatis priui-

priuilegium est, quòd excusetpatrem, diminuentem dotem filiæ secundò nubentis. Ioh. de Plat. in d. l. vlt. per Auth. sed quamuis C. de rei vxor. act.

23. Decimum quartum paupertatis priuilegium est, quòd excusetdominũ, non defendentem seruum in causa criminali. Ioh. de Plat. d. l. vlt. per l. si quis seruus, de custod. reor.

24. Decimum quintum paupertatis priuilegium est, quòd pauperes, in irroganda pœna pecuniaria, extraordinaria siue arbitraria, mitius puniantur, quàm diuites, l. illicitas §. fin. & ibi Bar. de offic. præsid. Bald. in l. acceptam q. 23. C. de vsur.

25. Decimum sextum paupertatis priuilegium est, quòd excusetà satisdatione, Speculat. in Rubric. de secundo decreto §. 3. nu. 8.

26. Decimum septimum priuilegiũ est, quòd causa paupertatis ius commune limitetur.

27. Decimum octauum paupertatis priuilegium est, quòd in concursu multarum

multarum causarum, causa pauperis prius debeat examinari & terminari, q̃ diuitis, c. delapsis 16. q. 6. gl. in c. primis, 1. q. 1. l. non obstante, de iur. fisc. l. si quis ad declinandam C. de Episc. & Cleric. 28. Et his igitur casibus, & si qui sunt similes, paupertas prodesse, & melioris cõditionis pauperes, quàm diuites, esse videntur. Quod tamen prodesse, sibi Cynus non optat, dum ait: Ab hoc prodesse, liberet nos Deus. Cyn. in d. l. si quis ad declinandam, C. de Episc. & Cleric.

QVÆSTIO XXXVIII.

Quomodo paupertas, siue qualitas ista, pauperem quem esse, vel non esse, probanda sit?

I.

DAupertatem, vt & diuitias alleganti, & super ijs se fundanti, ad aliquid obtinendum vel consequendum, onus probandi incumbere multis probat Ioseph. Mascard. in tract. de pro-

de probat. Concluſ. 1154. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.

2. Quis autem vel pauper, vel diues dicatur, (cum paupertas vel diuitiæ, ex diuerſarum regionum, perſonarum, & temporum qualitate æſtimentur,) certò ac definitè conſtitui non poteſt: Proindeq; communiter DD. cenſuerunt, id totum Iudicis arbitrio relinquendum eſſe, vt multis traditum eſt, à Iacobo Menochio, de arbitrar. Iudic. quæſt. lib. 2. caſ. 65. num. 8. 9. 10. 11. 12. & 13. Vbi id exemplis comprobat. Ioſeph. Maſc. d. concluſ. 1154. num. 8 Mynſing. Cent. 4. obſ. 97. in fine. Sneid. in princ. num. 12. Inſtit. quib. ex cauſ. manumit. non lic. & in §. ſed & propter paupertatem num. 2. Inſtit. de Excuſat. tutor. vel curat.

3. Quod tamen tunc demum verum eſt, ſi non lege aliqua vel ſtatuto, in certis caſibus, quis pauper vel diues dicatur, iam conſtitutum & diffinitum ſit, tunc enim arbitrium Iudicis ceſſat. Ioſeph. Maſcard. d. concluſ. 1154. nu. 12. vbi

hanc communem dicit Iacob. Menoch. d caſ. 65. num. 2.

4. Operæ pretium igitur me facturum exiſtimo, ſi ad informandum Iudicis arbitrium, caſus præcipuos, quibus paupertas probetur & diiudicetur, ſparſim ab auctoribus Iuris in variis locis relatos, in vnum quaſi faſciculum collegero, & Iudici vna veluti σωόψει, inſpiciendos, exhibuero.

5. Primo itaq; pauper dicitur, perhibetur & probatur is, qui non habet tantum in bonis, vnde, ſecũdum dignitatem, conditionem, & gradum ſuum, honeſtè viuere poſſit. Vnde vir nobilis & primarius, etiamſi ducenta aut quadringenta habeat in bonis, non tamen, pro dignitate & qualitate perſonæ ſuæ, diues rectè dici poteſt, cum ex fructib9 & reditu iſtius ſummæ, ſatis honeſtè ſe exhibere non poſſit: Ruſticus tamen, ſi tantũ poſſideat, diues habebitur & reputabitur. Maſcar. d. cõcluſ. 1154. n. 13. & 14. Iacob. Menoch. d. caſ. 65. n. 8. in fine.

6. Secundò pauper dicitur & perhibetur,

betur, qui non habet in bonis centũ aureos, vel ad minus, quinquaginta. Masc. d. concluſ. 1156. nu. 15. Menoch. d. caſ. 65. num. 2. & 3. Mynſing. d. cent. 4. obſ. 97. circ. finem. Sneid. in d. prin. nu. 12. Inſtit. quib. ex cauſ. manumit. non lic.

7. Tertiò, pauper dicitur & perhibetur, qui non habet, vnde ſoluat certũ debitum, cuius reſpectu conteditur. Maſcard. d. concluſ. 1154. num. 16.

8. Quartò, pauper dicitur & perhibetur, qui oſtiatim victum quæritat, & diſcalceatus, ſquallidus, pãniſq; obſitq, incedit. Masc. d. concluſ. 1154. n. 17. & 18.

9. Quintò, pauper dicitur, perhibetur, & probatur, qui cõmuniter, & ex cõmuni fama, ꝓ paupere reputatur. Masc. d. concluſ. 1154. n. 19. Quod tamen ſecũdũ cõmunẽ opinionẽ, tũc demũ verum eſt, ſi de modico tantũ præiudicio agatur. Nam ſi de magno præiudicio agatur, fama cõmunis non faciet plenã pauꝓpertatis probationẽ, ſed tantũ ꝓbationis adminiculũ, proindeq; Iudicis arbitrio, vt is diiudicet, quatenus hoc caſu

paupertas probata sit, nec ne, indiget. Mascard. d. concluſ. 1154. num. 20. Item, tunc demum verum est, secundum communem opinionem, si fama, de qua testes attestãtur, sit coniuncta cum credulitate, hoc est, scientia attestantium. Veluti si testes dicant, Titium, non solum esse pauperem, sed etiam manifestè & euidentissimè pauperẽ. Masc. d. concluſ. 1154. num. 21. & 22.

10. Sextò pauper dicitur, perhibetur, & probatur, ex testimonio vicinorum. Cum vicinus regulariter præsumatur scire facta vicini, Veluti, si testis deponat, Titium esse pauperem, quia non habeat, nisi viginti in bonis, & si plus haberet, sibi, propter vicinitatem, incognitum esse non posse. Mascard. d. concluſ. 1154. nu. 23. 24. 25. 26. Gail. lib. 1. obser. practic. obs. 142. nu. 6. in princ.

11. Septimò, pauper dicitur & perhibetur, qui confugit ad hospitale. Masc. d. concluſ. 1154. nu. 27.

12. Octauò, pauper dicitur & perhibetur, qui decoxit, & fugam ob id capessit.

pessit. Quem vulgò fallitum (Germanicè der bamcorrupt gespielet hat) vocamus, Mascard.d.conclus.1154. nu.28.

13. Nonò, pauper dicitur & perhibetur, qui bonis cedit, Mascard.d. conclus.1154.nu.29.

14. Decimò, pauper dicitur & perhibetur, qui solitus est in magna summa, non etiam in minima, pro aliis fideiubere, Mascard.d.conclus.1154. nu. 30. 31. & 32.

15. Vndecimò, pauper dicitur & perhibetur, qui pecunias mutuatas, sub vsuris retinet. Mascard. d. conclus. 1154. num. 33.

16. Duodecimò, pauper dicitur, perhibetur, & probatur, qui excussionem bonorum, ad mandatum Iudicis, passus est, Mascard.d.conclus.1154. nu. 34.

17. Decimo tertiò, pauper dicitur & perhibetur, qui non habet, nec bona, nec artem, nec diuites consanguineos & propinquos, vnde se alere, quiq; ipsi sumptus subministrare & suggerere possint, Mascard.d.conclus.1154. nu. 35.

36.37. Puellæ tamen etiamsi ex artificio viuere possint, si tamen non habeant vnde dotentur, pauperes nihilominus dicuntur: proindeq;, legata dote pauperibus puellis, ipsæ quoq; dotem habebunt, Mascard. d. conclus. 1154. nu. 28.

18. Decimo quartò, pauper dicitur, perhibetur, & probatur ex tali testiū depositione: Titius habet, tot bona, puta decem aureos, & si plura haberet, ipsi scirēt, nec vllo modo ignorare possent, propter maximam & peculiarem patrimonij ipsius notitiam. Mascard. d. conclus. 1154. num. 39.

19. Decimo quintò, pauper dicitur, perhibetur, & probatur, q̄ asserit se tantū bona aliqua, puta domū, vel fundum possidere, maximè, si pro asserente militet aliqua præsumptio, veluti Inuentarij, vel alia, Quo casu contrariū asserenti, probatio incumbet. Masc. d. concluſ. 1154. n. 40. 41. 42. vbi hanc communem. nec vllū habere cōtradictorē perhibet.

20. Decimo sextò, pauper dicitur, & perhibetur, qui non possidet tot bona, quot

quot ea sunt, de quibus litigatur & controuertitur. Mascard. d. concluſ. 1154. n. 43. Quod tamen ad arbitrium Iudicis, reiicit idem Masc. d. concluſ. 1154. n. 44.

21. Decimo ſeptimò, pauper dicitur & perhibetur, qui pro qualitate rei & facti, de quo agitur, ſatis non habet. Masc. d. concluſ. 1154. n. 8. in fin. Mynſ. d. cent. 4. obſ. 97. circ. finem. Vnde, licet Scholaris habeat centum in bonis, non tamen hæc ſumma putatur ſufficiens, ad inſtituendum & proſequendum ſtudium. Quapropter, legatis alimentis Scholari pauperi, etiam huic alimenta debentur. Item, licet puella ex artificio ſuo ſibi victum comparare poſſit, non tamen dicetur dives, proindeque dotem legatam pauperibus puellis, habebit. Masc. d. concluſ. 1154. nu. 9. & 10.

22. Decimo octauo, pauper dicitur, qui teſtimonio Magiſtratus eius loci, vbi is domicilium habet, talis perhibetur & aſſeritur. Gail. d. obſ. 142. n. 6. ante finem, per gloſ. Bart. & alios in l. ſi verò §. qui pro rei, in verb. dubitetur, qui ſatisd. cogant.

23. De-

23. Decimo nonò, pauper dicitur, perhibetur & probatur, qui iuramentum paupertatis præstitit. Gail. d. modò nu. 6. ante finem, per glos. Bart. & alios, in d. §. qui pro rei. Idem Gail. lib. 1 obs. 43. nu. 18. per iura & auctoritates ibi allegatas.

24. Vicesimò, ad declinandam & excusandam tutelam Accursio pauper dicitur, qui asserit se oneri iuncto imparem, nec enim posse se, & pupilli rebus, & propriis negociis sufficere, quòd cogatur ex propriis operis & artificio sibi victum quærere. Accurs in §. sed & propter paupertatem, verb. imparem. Inst. de excusat. tutor. & curat. Refert & sequitur Sneid. ad d. modò §. sed & propter paupertatem nu. 1. Refert item Menoch. d. cas. 65. nu. 10. vbi tamen hoc ad arbitrium & æstimationem Iudicis reiicit, per text. d. §. sed & propter paupertatem. & §. paupertas, Instit. d. modò tit. de excusat. tutor.

25. Vicesimo primo, quoad testimonium perhibendum, & accusationem per-

perferendam, pauper dicitur, qui quinquaginta aureos in bonis non habet, l. nonnulli 10. de accusat. cui concinit Constantinus Harmenopulus, Græcus paraphrastes, & Iudex Thessalonicensis, lib. 1. Epit. Tit. 6. mihi. §. 44. & 45. his verbis, οἱ πένητες ἔ μαρτυρεῖσι. πένης δὲ ἐστὶν, ὁ μὴ ἐχων πεντήκοντα χρυσία, hoc est, Pauperes testimonium non dicunt. Est autem pauper, qui in bonis quinquaginta aureos non habet. Cuius tamen rei diffinitionem, similiter Menochius iudicis arbitrio & æstimationi committit: d. cas. 65. nu. 11. & 12. Et testium fides, non tàm ex facultatibus, quàm proba, integra, honesta vita, & bonis moribus, æstimanda erit, §. fin. Instit. de suspect. tutor. Menoch. d. modò nu. 12. in princ. vbi hanc sententiam, veriorem, & crebiorem, adfirmat.

26. Deniq; pauper est, qui malis moribus præditus est, & econtrà diues, qui bonis moribus est imbutus. Menoch. d. cas. 65. num. 13. in fine, per auctoritatem Baldi & Mantuæ in locis ibi allegatis.

Qui

Qui verò & quibus, diuites dicantur, docet Menoch. d.caſ.65. nu.1.2.3.4.5.6. vbi videto.

27. Illud hic coronidis & auctarij vice adiiciendum, quod DD. noſtri diſtinguunt inter pauperem, inopem, mendicum, & miſerabilem, vt nimirum Pauper ſit, qui centum, vel quinquaginta ad minus in bonis non habet: Inops, qui minus, quàm pauper: Mendicus, qui minus, quàm inops: Miſerabilis, qui nihil omninò in bonis habeat, Gail.d.obſ.142. num. 8. verſ. differentiam DD. faciunt. Menoch. de arbitrar. Iudic. quæſt. lib. 2. caſ. 66. perſonas quaſdam miſerabiles recenſet, & totum hoc, qui miſerabiles dicantur, Iudicis arbitrio committit.

QVAESTIO XXXIX.

Quæ ſint odia & incommoda paupertatis, Et in quibus caſibus, pauperes, deterioris ſint conditionis, quàm diuites?

Supra

SVpra quæstione 37. diximus, de priuilegiis & commodis paupertatis, hic de odiis & incommodis eiusdem, pauca subiiciemus.

1. Primum itaq; & quidem non minimum, paupertatis incommodum est, quòd pauperes regulariter à testimonio repellantur, propterea quòd pauperes facilè patiantur se corrumpi pecunia. Nam in paupertate & inopia constituti, facilè quæq; facere præsumuntur, vt ab ea, vel in totum liberentur, vel saltem aliqua ex parte subleuentur, vt multis auctoritatibus, comprobat Ioseph. Masc. in tract. suo de proconcl. 1155. n. 1. 2. 3. 4. vol. 3. vnde semper in examine testiũ, inter cætera, testis de diuitiis interrogari solet, wie Reich er sey/h. e. quantum habeat in bonis, vt an notauit Sneid. Inst. ex quib. caus. manumit. non licet, in princ. n. 11. Et vsu practico comprobatum est. Idque, vel maximè, procedit in causis criminalibus, in quibus pauperes omninò

à testi-

à testimonio sine tortura repelluntur, quòd in criminalibus, luce meridiana clariores probationes requirãtur, quæ à testibus pauperibus, quòd omni exceptione maiores non sint, præstari nõ possunt. Ioseph. Mascard. d. modò concluſ. 1155. num. 11. & 12. vbi subiicit, hanc esse communem opinionem. Anton. Gabriel. Roman. lib. 1. Rubric. de testibus, concluſ. 18. num. 5.

2. Nec obstat, quòd quidam in contrarium sentiunt, qui volunt, testes pauperes in causis criminalibus, etiam sine tortura, ad dicendum testimonium admitti, quos refert Ioseph. Mascard. d. modò concluſ. 1155. num. 13. Nam hæ opiniones, distinguendo conciliari possunt, vt prior obtineat & procedat in testibus ignotis, obscuris, vacillantibus, de mendacio conuictis, vel ad testificandum se offerentibus: Posterior verò, in testibus, quibus aliud nihil, quàm sola paupertãs obiici potest. Hinamque ad testimonium dicendum, etiam in causis criminalibus, admittuntur, licet

minor

minor ipsis fides, quàm diuitibus, adhibenda sit. Atq; ita has opiniones distinguendo, conciliant Bart. Hippolit. Marsil. Ruin. Socin. & Felin. in locis, per Mascard. allegatis, in d. concluſ. 1155. num. 14.

3. Et non solum in causis criminalibus, sed etiam in causis ciuilibus, arduis, & magnis, testes pauperes repudiantur: Idq; multò magis, quàm in ciuilibus causis vilioribus. Ioseph. Mascard. d. concluſ. 1155. num. 16. Anto. Gabriel. Roman. d. concluſ. 18. num. 8.

4. Et cum causæ matrimoniales, criminalibus causis, quò ad probationem, æquiparentur, consequens est, vt in criminalibus, sic etiam in matrimonialibus, testes pauperes, maximè inhonestos, ignotos obscuros & vacillantes, ad dicendum testimonium, non admitti, Ioseph. Mascard. d. concluſ. 1155. nu. 17. 18. 19. 20. 21. Anton. Gabriel. Roman. d. concluſ. 18. num. 7. In confectione quoq; Inuentarij, testes pauperes rectè adhiberi non possunt, Ioseph. Mascard.

d. concluſ.1155. nu. 23. Anton. Gabriel. Roman.d.concluſ.18. num.13.

5. Et hoc quod dicimus, teſtes pauperes, ad dicendum teſtimonium non admitti, tunc vel maximè procedit, quando ob proprium vicium vel culpam, puta prodigalitatis, in paupertatem inciderunt, Ioſep.Maſcard. d. concluſ.1155.nu.22.Anton.Gabriel. Roma. d.concluſ.18.nu. 10.

6. Cæterùm, ſupradicta concluſio noſtra, quæteſtes pauperes à teſtimonio dicendo repellit, tunc demum procedit,ſi turpis,inhoneſtæ, ac improbatæ vitæ, ac opinionis ſunt teſtes, ſecus verò ſi honeſtæ ac integræ vitæ ſint,bonæq; opinionis,exiſtimationis,ac famæ cum paupertas per ſe,non ſit de genere malorum. Idq; primælimitationis locò notandum eſt, Ioſeph. Maſc.d.concluſ. 1155.nu.24.25.vbi hanc cõmunem atteſtatur.Gail.lib.2.obſeruat.practicar. obſer.95.nũ.19.& 20. Dummodò aliquid tamen, vel quinquaginta ſaltem,in bonis habeant. Nam qui nihil in bonis habent,

bent, neq; ad testimonium dicendum, neq; ad accusandum, admittuntur. Mascard. d. conclus. 1155. nu. 26.

7. Secundò fallit supradicta conclusio, vt non procedat, in pauperibus, in dignitate aliqua constitutis. Hi namque, cum omnis corruptionis suspicio in ijs cesset, rectè ad testificandum admittuntur. Mascard. d. conclus. 1155. num. 27.

8. Tertiò fallit supradicta conclusio, vt non procedat, si plures testes. partim integri, & idonei, partim pauperes, & minus idonei, producti fuerint: Tunc enim, fides pauperum, & minus idoneorum, suppletur per fidem cæterorum. Mascard. d. conclus. 1155. nu. 28.

9. Quartò limitatur supradicta conclusio, vt non procedat, si concurrant plures testes pauperes, non tamen infames. Hi enim probationem facient. Mascard. d. conclus. 1155. nu. 29. Anton. Gabriel. Roman. d. conclus. 18. nu. 11.

10. Quintò limitatur supradicta con-

concluſio, vt non procedat, in proban-
da innocentia alicuius. Hîc enim, cum
domeſtici, familiares, conſanguinei ad-
mittuntur, multò magis, pauperes ad-
mittendos dicendum erit, Maſcard. d.
concluſ. 1155. num. 30. 31.

11. Et quamuis paupertas, de genere
malorum non ſit, & pauperes nonnun-
quam veritatem magis dicant, quàm di-
uites: tamen, cum ſæpius, & facilius, &
veriſimilius, pauperes, quàm diuites, ſe
corrumpi patiantur, proindeq; certa
regula diffiniri non poſſit, quando, &
quanta, pauperibus in dicendo teſtimo-
nio fides adhibenda ſit, vel non ſit: Ideo
DD. vnanimiter, totum id Iudicis ar-
bitrio relinquendum putârunt. Maſcar.
d. concluſ. 1155. num. 32. 33. Iacob. Me-
noch. de arbitr. Iudic. quæſt. lib. 2. caſ.
65. num. 11. 12.

12. Et quod dicimus, pauperi minus
credi quàm diuiti, quòd pauper præſu-
matur, vel quicquid facere, vt à pau-
pertate ſubleuetur. Maſcard. d. con-
cluſ. 1155. num. 2. cum octo ſeqq. Id ele-
ganter

ganter & notabiliter, declarat & intelligit, Cynus, verum esse, si diuitiæ sint honestè partæ. Quod si fraudibus, vsuris, rapinis, & periuriis, vel aliis inhonestis & prohibitis artibus acquisitæ fuerint, tantum ponderis eis non inesse, vt maiorem fidem, diuiti, eas possidenti, quàm pauperi, eas non possidenti, conciliare possint. Nam quemadmodum diues, qui per periuria, fraudes, vsuras, vel alias illicitas artes, diuitias corradit, ostendit se, ipso facto, esse nequam: Sic etiam præsumitur in iudicio futurus nequam. Cynus ad l. in bonæ fidei 3. C. de reb. credit. & iureiur. Quod ibidem refert & sequitur Ioh. Sichard. num. 52. Et tantum de primo paupertatis incommodo.

13. Secundum paupertatis incommodum est, quòd pauperes, grauius puniantur, quàm diuites. l. Pedius, de incend. ruin. naufrag. l. nemo C. de sum. trinit. & fid. Catholic. Quod tamen sine distinctione nō procedit, cum enim quæritur, an pauper vel ignobilis grauius

uius puniatur, quàm diues & nobilis, ita distinguendum est: Aut loquimur de pœna pecuniaria, aut de pœna corporali. Primo casu subdistinguitur. Aut enim pœna ordinaria irroganda est, Et pauper grauius punietur, quàm diues, Quod enim non habet in ære, luit in corpore: aut pœna extraordinaria irroganda venit, Et mitius punietur pauper, quàm diues, quòd mulcta pauperi sit remittenda. Secundo casu, quando loquimur de pœna corporali irroganda grauior imponi solet ignobili & pauperi, quàm nobili & diuiti. Quod tamen in pœna difformi intelligẽdum est, hoc est, quando à lege pœna non est determinata, sed committitur arbitrio Iudicis, vt communiter fit in omnibus criminalibus extraordinariis, Secus autem in pœna vniformi, hoc est, vbi delicti pœna est expressa à Iure, tunc enim citra vllum personarum respectum, nobiles & ignobiles, pauperes & diuites, ex æquo puniuntur. Sic hodie, sine vlla consideratione nobilitatis vel ignobilitatis, homicidiam, gladio puniri vi-

demus. Ita post Bald. & communiter DD. in l. 3. C. de sum. trinit. & fid. Catholic. distinguit Sneid. in §. pœnales quoque actiones, nu. 61. cum trib. seqq. Instit. de action. & in princ. nu. 11. Instit. quib. ex caus. manumit. non lic.

14. Tertium paupertatis incommodum est, quòd ab accusando repellat, ne scilicet propter paupertatem accepta pecunia, quis indebitè ad accusandum procedat. Hippolit. Marsyl. in practic. crim. §. diligēter, mihi n. 206 per allega.

15. Quartū paupertatis incōmodum est, quòd ea sordescimꝰ, deprimimur, vilescimus. Alex. de Imola cons. 52. vol. 4.

16. Insignes gnomæ ac flosculi, diuersorū auctorū, de vituperio, itē laude paupertatis & diuitiarū, itē de cōparatione vtriusq;, hic repeti nō incōmodè possunt, ex Gnomologia Stobæi, Serm. 235. 236. 237. 238. 233. Ioach. Beust. in tract. de iureiur. pag. 313. 314. 315. Si qua præterea sunt alia paupertatis incommoda, diligens lector, priuato studio facile, nulloque labore, his aggregare & adiicere poterit.

QVAESTIO XL.

Regula illa trita & vulgata: Qui non habet in ære, luat in corpore, quomodo & in quibus casibus, procedat, vel non procedat?

I.

HAnc Regulam Zasius in §. pœnales quoq; actiones 12. Instit. de action. ita effert: Subsidiarium tergum præbeat, cui non suppetit pecunia, Qua docemur, pœnam pecuniariam, ob crimen impositam, egentibus, in corporalem pœnam, committendam esse.

2. Fundatur autem & exemplificatur hæc regula, in l. 7. §. 3. de iurisdict. l. vlt. in fine, de in ius vocand. l. 9. de incend. ruin. naufrag. l. 6. in fine C. de mod. mulctar. l. 4. vers. quod si, C. de ser. fugit. & lib. 2. Feudor. Tit. 53.

3. Non tamen generaliter & indistinctè procedit, sed notabiles quasdam declarationes siue limitationes recipit, quas

quas post Ias. in d. l. si quis id quod 7. num. 28. de iurisdict. & in d. §. pœnales quoq; actiones 12. num. 43. Sneid. ibid. num. 57. cum quatuor seqq. Instit. de action. Abbat. Panor. in c. 2. de maledic. referam.

4. Primo itaq; declaratur, & limitatur hæc regula nostra, vt procedat in obligato ex delicto, non etiam ex contractu. Nam hoc vltimo casu, conuersione pœnarum opus non est, cum debitor, cessione bonorum, carcerem effugere possit, donec ad pinguiorem fortunam peruenerit, c. Odoardus, de Solut. l. 1. C. qui bon. ceder. poss.

5. Secundò limitatur & declaratur, vt procedat tantum in personis vilibus, vt puta seruis, & aliis infimæ conditionis hominibus, non etiam in nobilibus, aliisque honestis personis, secundum Ias. d. loc. per l. capitalium, §. non omnes, de pœnis.

6. Nec obstat l. in seruorum 10. §. fin. de pœn. vnde colligitur, pœnæ pecuniariæ commutationem, in corporalē,

iniquam videri, cum quælibet pœna corporalis, vel etiam minima, sit maior qualibet pœna pecuniaria, vel etiam maxima. Frideric. Pruckman in Tract. de Regalib. §. venatio, num. 58. cum ibi allegatis. Nam respondendum est, secũdum Bart. in d. l. 1. §. fin. de pœn. Legem in contrarium adductam, non procedere in personis vilibus, vtpote, in quibus possit pecuniaria pœna esse grauior, quàm corporalis, tales enim personas, aliquando ita inducatas esse ad pœnas, vt propter vilitatem famæ & vitæ, plagas sæpius contemnant.

7. Tertiò limitatur & declaratur hæc regula nostra, vt procedat demum, volente illo, cui pœna pecuniaria adplicãda est. Iudex enim, parte non petente, cui pecuniaria pœna debetur, non potest pœnã pecuniariã, in corporalẽ conuertere, d. l. fin. ibi, ex querela patroni, de in ius voc.

8. Quartò limitatur hæc regula nostra, vt non procedat in minimis & leuibus delictis & transgressionibus, secundũ Bald. in l. quicunq; C. de seru. fugit.

Facit huc humaniſſimus textus in l. reſpiciendū. de pœn. vbi dicitur. Reſpiciēdū eſt Iudici, ne quid aut durius, aut remiſſiꝰ conſtituatur, quā cauſa depoſcit. Nec enim ſeueritatis, aut clementiæ gloria adfectanda eſt, ſed perpenſo iudicio, prout quæq; res expoſtulat, ſtatuendum eſt. Planè in leuioribus cauſis proniores ad leuitatem Iudices eſſe debent: In grauioribus verò, ſeueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis, ſubſequi debent.

9. Quinto limitatur & declaratur hæc regula noſtra, vt locū tantùm habeat in pœna ordinaria, & à lege conſtituta, ordinata, & expreſſa, non etiā in pœna extraordinaria, vt puta, mulcta, tunc enim egentibus, pœna remittēda eſt, l. illicitas, §. fi. & ibi Bart. de off. præſid. Qua de re fuſius dixi ſupra q. proximè præcedente vbi videto. Ec tantum de hac regula, & quinq; eius limitationibus.

QVAESTIO XLI.

An Typographus ſiue librarius, auctori ſiue compoſitori, vltra conſtitutum precium, ad dationem aliquot exemplorum libri impreſſi, honorarij, auctarij vel corollarij loco, teneatur?

Quod

I.

QVod non teneatur, hoc fundamento sustineri posse videtur. Illud tantùm deberi quod in contrahendo nominatim conuentum est, sed honorariæ illius accessionis, nullam fuisse inter compositorem & librarium, mentionem interpositam.

2. Verùm hoc fundamento non obstante, pro compositore pronunciandum est, ex hisce fundamentis. Primò, quòd consuetudine per vniuersum orbem (ac proinde gentium iure) inter literatos receptum, solenne, ac vsitatũ sit, vt Typographi vel librarij, iis, à quibus libros imprimendos acceperunt, præter precium constitutum, honorariæ accessionis causa, codices aliquot insuper præstent, quibus illi, cui librum inscripserunt, aliosq; amicos suos, munerentur. Ast ea, quæ sunt moris & consuetudinis, in bonæ fidei iudiciis venire, licet expressa nõ fuerint, l. quod si nolit 31. §. qui assidua 17. de ædilit. edict.

edict. l. si prius 17. §. 1. de aq. plu. arc.

3. Item in emptis & venditis, potius id quod actum est, quàm id, quod dictum, sequendum esse l. 6. §-1. de contr. empt.

4. Item, Tantundem in bonæ fidei iudiciis, iudicis, siue boni viri officium valere, quantum in stipulationibus, eius rei factam mentionem l. quia tantundem 7. de negoc. gest. L. Lucius 17. depos.

5. Item, in contrahendo, quod agitur, pro cauto haberi, l. 3. de reb. credit. Item, in omnibus contractibus, si non adpareat, quid actum sit, tum id sequendum, quod in ea regione frequentatur l. semper in stipulationibus 34. de R. I. l. si fundus, 6. de euict.

6. Item in bonæ fidei iudiciis, recipi præstationes, quæ sunt secundum bonos mores, easq; accessiones, pars emptionis, & venditionis esse intelligi. Quapropter honorarium illud, quod præstat Typographus siue librarius authori pars precij esse videtur, d. l. quod

si no-

si nolit, de AEdilit. edict. l. seruus 10. pro empt. Eaq; honesta interpretatio appellatur, quæ non inhonestum quæstum, sed honorarium potius adfert l. si possessor 52. de petit. hæred. quale est, quod auctor petit, qui numerum illum codicum non postulat, quæstus faciendi, & eos vendendi, sed munerandi causa, & ex illo munerum genere, in quo necessitatem inesse constat l. munus 214. §. cum tutor, de verbor. sig. quæ solennia munera dicuntur in l. cum plures 12. §. cum tutor, de administrat. tutor. Itaque hæc literatorum hominum honoraria, per librariorum sordes minui non debent.

7. Imò, quod maius est, dicendum videtur, in istis conuentionibus, inter literatos viros & librarios, neq; emptionem, neq; locationem videri: ac proinde neq; mercedem, neq; precium propriè dici, sed potius honorarium d. l. 1. de extraord. cog. l. 3. de postul. l. 12. de legat. l. 3. C. de postul. l. 1. si mens. falsi. mod. dix. Et quoniam honoraria hæc sunt, & adpel-

adpellantur, sordidis mercatorum parsimoniis, locum non esse, sed ius illud ad honestam interpretationem reuocandum esse, d. l. si possessor, de petit. hæredit. Atq; ita Fr. Hotoman. consulendo decidit. cons. 104.

QVAESTIO XLII.

Quomodo Homicidium, à pluribus commissum, sit puniendum?

I.

CIrca hanc quæstionem manifesta deprehenditur differentia inter ius ciuile & Saxonicum. Ius ciuile, & eius interpretes, rursus duos præcipuos casus distinguunt.

2. Aut enim deliberato, & communicato consilio, & ex proposito, & destinata volũtate, plures aliquẽ interficiunt: & tunc absolutè dicẽdum est, õnes, tanq̃ homicidas, gladio puniendos esse, eò quòd õnes animũ occidendi habuerint. Et animꝰ & intentio delinquentiũ distinguunt maleficia. Andr. Gail. lib. 2. obs.

obſ. practic. obſ. 109. num. 10. Iul. Clar. lib. 5. recept. ſent. §. homicidium nu. 37. verſ. tu igitur pro veriori reſolutione fac tres caſus, Ioachim. Beuſt. ad l. admonendi, de iureiur. pag. 535. circa finem. Roland. à valle conſ. 63. num. 17. vol. 2.

3. Nec refert hoc caſu, ſiue defunctus ex vnico vulnere, ſiue ex pluribus, deceſſerit: ſiue vnum vulnus fuerit tantum lethale, cætera verò non lethalia: ſiue adpareat, omnes vulneraſſe, ſiue contrà, non omnes vulneraſſe: ſiue ſit dubium, quinam vulnerauerint, vel non vulnerauerint, vt ex communi, & frequentiori DD. calculo receptum, teſtatur Iul. Clar. d. §. Homicidium, num. 37. verſ. & tunc abſolutè facienda eſt concluſio: Ioachim Beuſt. d. modò pag. 535. circ. finem, iuncto princ. paginæ ſequentis.

4. Et hæc ſententia, etiam approbatur in conſt. Caroli 5. art. 148. in prin. vbi dicitur: So etliche Perſonen mit fürgeſetztem vnnd vereinigtem willen vnnd muth/

muth/jemand böslich zuermorden einander hülff vnd beystandt thun/ dieselbigen Thäter alle/ haben das leben verwircket.

5. Aut enim citra deliberationem, obscura nocte, vel loco obscuro, incalescentibus vtrinq; animis, in turba, rixa, & tumultu plurium, homicidium factum fuit, & scitur auctor homicidij, is ex casu, ordinaria pœna legis Corneliæ, solus puniri debet, d. modò constit. Carol. 5. art. 148. vers. So aber etliche Personen/ vbi dicitur: So aber etliche vngeschickt in einem schlagen oder gefecht/bey einander werē/ einander helffen/ vnd jemand also ohne genugsam vrsach erschlagen wird: So man dan den rechten Thäter weis/ von des handt die entleibūg geschehen ist/ der sol als ein Todtschleger mit dem Schwert zum Todt gestraffet werden.

6. Si verò occisor ignoratur, volunt quidam in hac incertitudine, omnes pugnantes, pœna ordinaria homicidii, hoc est, capitali, puniri, quorum fundamenta adducunt Andr. Gail. d. obs. 109.

in princ. Roland. à valle d. conſ. 63. vol. 2. nu. 2. vbi ea ſententia confirmatur per text. in l. item Mela, §. ſed ſi plures, l. ita vulneratus, §. rurſus, ad L. Aquil. vbi plures percutientes hominem, qui mortuus ſit, tenentur de occiſo, quamuis ignoretur, cuius ictu perierit. Et per text. in l. 1. §. fin. cum duabus ll. ſeqq de his qui deiecer. vel effud. Vbi ſi plures in eodem cœnaculo habitent, vnde aliquid deiectum eſt, in quemuis illa actio dabitur, cum impoſſibile ſit, ſcire quis deiecerit, vel effuderit: Et per text. in l. ſi verò §. quod ſi ex mediario, eod. Tit. ad L. Aquil. vbi ſi ex mediario cœnaculo quid deiectum eſt, verius eſt, omnes teneri. Et per gloſ. l. ſi in rixa, fin. verb. ſi in rixa, & ibi quoq; Bar. verſ. quandoq; non poteſt. ad L. Cornel. de Sicar. Et per auctoritatem Grammatici, conſ. 4. colum. 2. Et in hanc quoque ſententiam inclinare videtur Reinhart. lib. 2. differ. Iur. ciuil. & Sax. part. 5. de pœnalibus c. 21. Quæ quidem fundamenta, licet prima facie hanc ſen-

sententiã comprobare videantur, tamẽ si penitius introspiciantur, parũ, aut nihil probant, quod est demonstrandum.

7. Et primò hanc sententiam non probat §. sed si plures, cum aliis duobus iuribus modò adductis, quoniam loquuntur, quando actio ciuiliter intentata est, & sic in actione L. Aquiliæ pro damno, dato ob seruum occisum, vbi ex præsumptione habita cõtra eos, quilibet in solidum, ad damnum emendandum condemnatur. Casus verò noster loquitur in actione criminaliter intentata. Sed inter ciuilia & criminalia iudicia magna est differentia. Quoniam in criminalibus nemo ex præsumptionibus, aut mendicatis suffragiis, condemnãdus est, sed requruntur probationes liquidissimæ, & luce meridiana clariores. A separatis igitur siue diuersis nulla fit illatio. l. Papinian. exuli, de minorib. l. pen. de calum. Atq; ita ad tria ista fundamenta rectissimè respondet Roland. à Valle, d. cons. 63. vol. 2. n. 14. 15. 16. per iura & auctoritates ibi adductas.

8. Secundò ſupradictam ſententiam non iuuat Gloſſa in l. ſi in rixa, ad L. Cornel. de Sicar. quæ vult, quod ſi non adpareat, cuius ictu vulneratus deceſſerit, omnes confligentes teneri, & puniendos eſſe: Quoniam reſtringenda & exaudienda eſt, de pœna tantùm pecuniaria, non etiam capitali L. Corneliæ. Atq; hunc verum & genuinum gloſſæ iſtius intellectum eſſe eleganter firmat Roland. à valle in d. modo conſ. 63. vol. 2. num. 16. verſ. Secundò non obſtat.

9. Deniq; ſupradictam ſententiam parum iuuat conſ. Grammatici 4. quoniam loquitur in caſu, in quo delinquentes deſtinata voluntate, & ex propoſito, ad homicidium perpetrandum proceſſerunt. Atq; ita conſilium Grammatici intelligit Roland. à Valle d. modò conſ. 63. num. 17. Et nullum hoc caſu teneri, multis aſtruit & confirm. Tiraq. in Tract. de pœn. cauſ. 63. per tot.

10. Hæc igitur ſententia non obſtante, in ardua iſta quæſtione, & in qua pauci ſine periculo nauigauerunt, vt Placa dicit

dicit lib.1.delictor. c.12. ita pro maiori euidentia in hac incertitudine distinguendum est. Aut enim vnicum vulnus est illatum, ex quo vulneratus decessit, sed ignoratur, quis ex pluribus illud inflixerit: Et tunc omnes puniuntur de occiso, non tamen pœna ordinaria homicidij, sed tantùm pœna extraordinaria, arbitrio iudicis imponenda. Iul. Clar. in d. §. Homicidium, num. 38. vbi hanc sententiam communem asserit. Ioachim. Beust. in d.l. admonendi pag. 536. §. Si verò in rixâ, vers. idem esset si occisus. Et hunc casum constitutio criminalis Carol. 5. d. art. 148. vers. auch so einer in einer auffruhr/ deuoluit ad iudicium & discretionem sapientum. Aut verò plura sunt illata vulnera lethalia, & certi sunt vulneratores, & certa etiam vulnera à singulis illata, sed ignoratur ex quo vulnere in specie vulneratus mortuus sit: Et tunc omnes pœna L. Corneliæ tenentur. Iul. Clar. d. §. Homicidium num. 41. in prin. vbi subiicit, hunc casum nullum habere

dubium. Sequitur & probat constitu. crimin. Carol. 5. in d. art. 148. vers. Wer aber der entleibte vbi dicitur: wer aber der entleibte/ durch mehr dan einen/ die man wisset/ gefehrlicher weise tödtlich geschlagen/ geworffen/ vnnd gewundet wurden/ vnd man kunte nicht beweißlich machen/ von welcher sonderlichen handt vnnd that er gestorben were/ so sein dieselben/ so die vorletzung/ wie obstehet/ gethan haben/ alle/ als Todtschleger vorgemelter massen/ zu dem Todt zustraffen. Aut verò plura vulnera inflicta, partim sunt lethalia, partim non lethalia: tunc illli tantùm, qui certò intulerunt lethalia, tenentur de occiso pœna ordinaria, alij verò, qui occisum vulnerârunt, sed non lethaliter, extra ordinem, pro vulneribus tantùm, puniuntur, Iul. Clar. d. §. Homicidium num. 41. vers. aut verò vnum, vbi dicit, hanc sententiã omnium consensu receptam & approbatam esse. Cui etiã accipulatur Ioachim. Beust. in d. §. Si verò in rixa vel tumultu: Et constitut. Criminalis Carol. 5. d. art. 148. vers.

148. vers. aber der ander beyſtender/deuol uit ad iudicium ſapientum. Aut verò omnia quidem vulnera ſunt lethalia, omnes etiam vulneratores certi, ſed incertum, quæ vulnera à ſingulis inflicta ſint, Et tunc omnes etiam de occiſo, vt ſupra ad ſecundum caſum dictum eſt, tenentur. Iul. Clar. d. §. Homicidium, num. 41. verſ. aut verò ſunt certi vulneratores. Aut deniq;, ex multis vulneribus, vnum tantum eſt lethale: Et tunc omnes quidem de occiſo tenentur, ſed propter incertitudinem, non pœna ordinaria, ſed extra ordinem, iudicis arbitrio, puniendi ſunt. Iul. Clar. d. modò num. 41. verſ. aut erat vnum tantùm vulnus lethale, vbi communem teſtatur. Et ſubiicit in fine: hæc omnia benè eſſe notãda, quòd quotidie in practica occurrant. Idem tenet Ioachim. Beuſt. d. pag. 536. §. At ſi non conſtaret. vbi allegat ad hoc Alex. & Couar. in locis ibi adductis.

11. Cæterũ Gail. in hac incertitudine,

vbi auctor homicidij, multis pugnantibus & confligentibus, ignoratur, constituit hanc conclusionem generalem, quam veram & magis communem adpellat, quòd hoc casu pœna ordinaria locum non habeat, sed omnes extra ordinem sint puniendi: eò quòd in dubio melius sit nocentes absoluere, quàm innocentes condemnare: & quòd incertitudo regulariter omnes actus & dispositiones vitiet, Gail. d. obs. 109. num. 1. & 2. in princ. per iura & auctoritates ibi adductas.

12. Limitat tamen Gail. hanc communem conclusionem. Primò, vt non procedat in auctore siue inceptore rixæ. Eum namque iuris præsumptione, pro homicida haberi, proindeq;, vel solum de homicidio, vel vulnere, & pro omnibus excessibus perpetratis, pœna ordinaria, puniri posse, ne scilicet delicta maneant impunita, Gail. de obs. 109. num. 3. per iura & auctoritates ibi allegatas. Et hanc limitationem multis comprobat Roland. à valle d. cons. 63.

num. 2.

num. 2. vers. secundò dicitur, cum sex numer. seqq. vbi ita à legum verticibus receptum esse dicit. Iul. Clar. tamen in d. §. Homicidium num. 39. licet de iuris rigore hanc limitationem fortè procedere dicat, subiicit tamen, eam in Regno Hispaniæ non seruari, rarò enim ibi propter homicidium in rixa commissum, aliquem ad pœnã mortis condemnari.

13. Secundò limitat Gail. supradictã conclusionem, vt non procedat in homine natura contentioso, malæ frugi, & qui communiter rixas excitare, & ad pugnam alios prouocare consueuerit, quiq; aliàs simile delictum commiserit: tunc enim, incertitudine pugnantium non obstante, talem peruersum, ad eruendam veritatem, quæstionibus subiici posse: idq; per regulam, quòd semel malus, semper præsumatus malus in eodẽ genere delicti. Gail. d. obs. 109. n. 4. & 5.

14. Tertiò limitat Gail. vt non procedat, in eo, qui statim post commissum homicidium, & ante in quisitionem

institutam aufugit: Nam & hunc conscientia sceleris suspectum effici, & indicium ad torturam facere, maximè si sit homo nihili, & improbatæ vitæ. Gail.d.obs.109. nú.6.

15. Hæc tamen limitatio fallit, si talis metu carceris, post factam inquisitionem, vel accusationem intentatam, aufugiat, tunc enim sola fuga indicium ad torturam sufficiens non faciet, cum vnicuiq; licitum sit, sanguinem suum, quomodocunq; potest, redimere. Gail. d. obs.109.num. 7. Imò, fuga sola, non facit indicium ad torturam, etiam eo casu, quo accusatio vel inquisitio nondum instituta est, dummodò subsit iustus timor, vel suspicio vehemens, futuræ accusationis, vel inquisitionis: cum nemo teneatur se periculo exponere, & ex carcere innocentiam suam probare. Gail.d.sæpius obs 109.num.8.& 9.

16. Quartò & vltimò limitat Gail. vt non procedat, si omnes destinata voluntate, & ex proposito, ad occidendū alios, cōueniissent: tunc enim omnes

pœna

pœna ordinaria homicidij puniendos esse, cũ animo & intentione delinquentis, maleficia distinguantur, Gail. d. obs. 109. n. 10. 11. Quod idem Gail. sub nu. 12. duob9 exẽplis declarat. Ego tamẽ tuti9 esse puto, si in dubio hoc casu, distinctionem Iul. Clari Iudices maleficiorum sequantur. Et hactenus de distinctione Iuris ciuilis.

17. Cæterùm, quod ius Saxonicum attinet, in hac incertitudine consligentium, quando scilicet de certo cædis auctore non constat, non vno eodemque semper modo pronunciatum fuit, vnde diuersæ & contrariæ hoc casu, sententiæ reperiuntur. Nam in sentent. post Landtrecht/ sub Rubric. wen jhr viel einen erschlagen/ mihi fol. in noua editione, 531. pronunciatur, quòd delinquentes debeant amissione manus puniri, si criminaliter, pœna verò pecuniaria, si ciuiliter actũ fuerit: his verbis: Hat sich bey euch in einem Schenckhause ein auffruhr vnd schlagen erhoben/ dardurch einer darunter vom leben zum Todte kommen.

Vnd

vnd Theter vnd folger sein derhalbē vorm Gerichte peinlich angenommen/ wo dann einer vnter den gefangenen bekandt/ das er dem verstorben ein wunden in seinen Kopff gehawen/ daruon er hirnwundt geworden/ also/ das offentlich vnd gewiß were/ das der verwundete/ von solcher wunden vorstorben/ vnd die andern bekandten/ das sie auff den ermordten geworffen vnd geschlagen hetten/ also dz nicht gewiß were/ das der Ermordte von jhren schlagen vnd werffen gestorben/ so mochten dieselben folger vmb solch jhr zuwerffen vnnd schlagen/ nicht zum Todte gerichtet vnnd gestrafft werden/ sondern ein jglicher wurde peinlich vmb die fordere handt/ oder vmb ein Gelt busse/ so man die sache wolte bürglich werden lassen/ gestrafft vnnd gebüsset.

18. Et ibid. sub Rubric. Von Busse der wunden/ §. wen viel leute einen Man/ mih. fol. 524. pronunciatur, delinqntes posse se liberare vno VVerigeldo, his verbis: Wen viel leute einen Man Todtschlagen/ also das nicht erscheinet/ von wes

wes schlegen er gestorben/so ledigen sie sich alle mit einem vollen wehrgelte.

19. In sentent. verò post Weichbildt vnd Lehnrecht/sub Rubric. wen jhr viel einen zu Todtschlagen/§. aber auff den andern fall/mihi in Edit. Lipſ. sub Anno 39. fol. 131. pronũciatur, quòd omnes debeant affici vltimo supplicio, nisi magistratus ipsis velit gratiam facere, & eam pœnam in mitiorem vertere, his verbis: aber auff den andern fall/dieweil jhr zwene bekennen/das sie den entleibten an sein Heupt geschlagen/vnnd auff den Bauch gestossen haben/jnhalts eines jglichen bekentnus/wo sie nun auff demselben jhrem bekentnus beharren wurden/dieweil euch dan nicht wissentlich/von welches schlegen oder stossen der entleibte gestorben/so mügt jhr die beyde darumb wol zugleich Peinlich straffen/vnnd mit dem Schwert richten lassen/jhr woltet jhnen den gnade erzeigen/vnnd jhnen solche straffe/in eine andere leichtere peine wandeln/deßhalben das solche that in einem auffrhur geschehen/vnd das man nicht eigenlich

gentlich wissen mag/ von welchen schlegen oder stössen er vorstorben / welchs jhr denn in diesem falle zuthun auch gute macht hettet.

20. In hac igitur sententiandi & pronunciandi diuersitate, quæstio ista, hodie determinata est, per Elect. Saxon. in nouis constit. part. 4. c. 7. Wan jhr viel einen im aufflauff vnd hader zu Todtschlagen / wie es mit der straffe zuhalten/ vbi deciditur, vt si contra vnũ sint indicia sufficiẽtia ad torturam, talis pro eruenda veritate subiiciatur torturæ: Sin autem non sint contra vnum sufficientia indicia ad torturam, in dubio non omnes torturæ subiiciantur, nec vltimo supplicio, sed extraordinariè, puta mulcta, carcere, aut relegatione, cũ solutione VVerigeldi, & expensarum litis, puniantur. verba constitutionis hæc sunt: Wenn jhr viel auff einen zu/ vnnd denselben zu Todtschlagen / vnnd man nicht wisse kan / aus welches vorwundung der vorstorben vmbkommen/ So sol diesesfals fleissige erkündigung des Theters

ters halben genommen/ vnd do wieder einen indicia, die zur scharffen fragen genugsam/ vorhanden/ auff denselben die tortur gesprochen werden/ do es aber an dem entstünde/ so sollen sie alle in zweifel/ mit der tortur nicht beleget/ noch auch am leben gestrafft/ sondern in wilkührliche Geltbusse/ gefengknus/ oder vorweisung/ neben erlegung des wehrgelts/ vnd erstatung der Gerichts kosten vorteilet werden.

21. De hac sententiarum diuersitate apud Saxones, videatur Beust. ad l. admonendi, de iureiur. pag. 536. §. verum de iure Saxonum & Reinhard. lib. 2. differ. Iur. ciuil. & Sax. part. 5. de pœnalibus, differ. 21.

QVAESTIO XLIII.

Quando quis ob rationis vel iudicij defectum, intestabilis esse, vel non esse, hoc est, testamenti factionem actiuam, habere, vel non habere dicatur?

CIrca

I.

CIrca huius quæstionis decisionem distinguunt DD. ita, vt dicant, quosdam omni omninò sensu & intellectu carere, ita vt sint perpetuo furiosi, nihilq; omninò intelligant, & ad pecudum naturam, quàm proximè accedãt: & hos intestabiles esse: Quosdam, mente quidem & intellectu omni interdum carere, habere tamen dilucida interualla: Et hos eo tempore rectè testari posse: Quosdam non omni mente carere, sed eam non integram habere, & sic esse grossi, simplicis, hebitioris atq; stupidioris ingenij, Ita vt neq; sapientes, neque omninò mente capti sint, sed quodammodo medium locum obtineant, die nicht gar spitzsinnig / sondern etwas vnuorstendig / blöde / simpel / einfaltig / vnd albern sein: Hos dicunt omnes interpretes, & matrimoniis contrahendis & testamentis conficiendis, idoneos esse. Ita maximo omnium consensu docuêre, Faber, Angel. Mynsing. & re-

& reliqui, in §. præterea, Instit. quib. non est permiss. fac. testam. Alex. in l. si frater, num. 4. Castrens. num. 2. Dec. nu. 3. C. qui testam. fac. poss. vbi regula traditur, Quòd puella post 12. annos, & masculus post 14. annos testari possint, etiamsi naturalis intellectus ea ætate non vsque adeo in hominibus vigeat. Ias. in l. ex facto, num. 41. Ripa num. 82. de vulgar. & pupillar. substit. Idem Ias. in l. furiosum num. 2. limitat. 3. C. qui testam. fac. poss. Dec. in c. pastoralis num. 3. in tertio notab. extra de iudic. vbi dixit: licet persona indiscreta, non videatur habere personam integram in iudicio, ex quo indiget supplemento, in extraiudicialibus tamen eam videri habere integram personam, vt testari, & matrimonium contrahere possit. Et Anton. Gomes. in Tractat. variar. resolut. part. 1. c. 6. num. 2. notanter scriptum reliquit: Fatuum, qui omni sensu caret & intellectu, non posse testari, cum nihil differat à mente capto: Si verò habeat aliquem sensum, licet non perfectum &

integrum, benè posse eum testari. Et addit, hoc probari per textum & glossam ordinariam, in l. 2. de postuland. & DD. communiter ibidem.

2. Et hoc etiam ex eo confirmari DD. dicunt, quòd licet pubes vel adultus post. 14. annos, non habeat perfectum & integrum iudicium, & non possit alienare, nec esse in iudicio: tamen rectè testari possit: Cum sufficiat habere sensum & intellectum, licet non ita plenũ & integrum, sicut alij sagaces & maiores, vt l. qua ætate, de testam. & d. l. si frater, & ibi Soarez. in additione C. qui testam. fac. poss. Francisc. Mantuan. de coniectur. vltimar. volunt. lib. 2. dub. 1. fol. 4. num. 21. 22. Grass. in tractat. recept. sentent. §. testamentum q. 21. nu. 7. Dec. consil. 112. num. 1. & cons. 448. nu. 21. 22. Corn. cons. 91. nu. 23. lib. 4. Cuius præclaram doctrinam huc referre operæ precium est, cum valdè singularis sit & ab alijs plurimum commendetur. Multi sunt, inquit, qui tenent medium, qui non sunt sapientes vel furiosi, vel similes,

miles,& tamen testari possunt. Videmus quod puellæ 12. & pueri 14. annorū, non habeant plenum sensum, & plerumq; faciunt puerilia & derisoria, & non conuenientia viro prudenti, & tamen non sunt intestabiles. Et semimortuus, & consequenter semialienatus à mente testatur l. quoniam indignum C. de testamentis. Et ex his deprehenditur, quòd, licet quis in aliquibus patiatur defectum cerebri, & in aliquibus sit insipiens, non tamen sit intestabilis. Nam, vt fertur, multa sunt genera Melancholiæ, id est, fatuitatis, Et nullus sine crimine viuit, nec sine aliquo defectu prudentiæ, & per consequens sine aliqua particula dementiæ, Et tamen communiter omnes puberes sui iuris sunt, & testabiles. Hæc Corn. qui ibi porrò infert: Licet is testator, de quo constiterat, nōnullos actus alienos à viris prudentibus fecerit, illum tamen pro fatuo intestabili non habendū. Idē luculentissimè repetiit cons. 261. nu. 19.

& 20. eod. lib. vbi disertè, ex receptissima omnium DD. sententia tradit, ad testandum, perfectum sensum non requiri. Socin. cons. 47. num. 11. lib. 3. Paris. amplè cons. 88. num. 37. vsq; ad num. 44. lib. 3. Cephal. cons. 546. num. 49. & 50. & amplissimè cons. 753. per tot. maximè nu. 50. 51. Tiber. Decianus cons. 127. num. 29. cum. seqq. lib. 3.

3. Ergò ad hoc, vt quis propter rationis & iudicij defectum intestabilis esse dicatur, non sufficit probari, quod simplicis, imbecillioris, & grossioris fuerit mentis & intellectus, & quòd nó ita omnia perceperit, prout alii acuti & perspicaces, sed oportet docere, quòd prorsus caruerit intellectu, ratione & iudicio, vt Corneus, Paris. & Decian. locis præcitatis luculentissimè hunc punctum tradiderunt. Et hæc quidem sententia non modò notabilis, & singularis est, Ias. in l. ex facto, num. 41. de vulg. & pupil. substit. sed etiam communis, Gomes. d. c. 6. num. 2. Grass. d. q. 21. num. 7. nullum omninò habens contradi-

tradictorem, vt disertè testati sunt, Ias. in d.l.furiosum num 2. limitat. 3. C. qui testament fac.poss.Paris.d.cons. 88. nu. 40.Tyber.Decian. d. cons.127. num.22. lib. 3.

QVAESTIO XLIV.

Quot sint gradus ætatis in iure nostro?

I.

IN l.vnic.C.Theodos.de his qui ven.ætat.impetr.quinque ætatis gradus numerantur:pueritia, adolescentia, firmata ætas, perfecta ætas, & senectus.

2. Pueritia, quæ aliàs pupillaris ætas dicitur, secundùm Theophili distinctionem in §.pupillus 9.Instit.de inutil. stipulat.tres habet gradus. Alij enim pupilli, infantes sunt, alij, proximi infantiæ,alij, pubertati proximi.

3. Infantes dicuntur vsque ad annum septimum,siue qui septem annis minores sunt. Eo enim inchoato, infantia finitur, l. 1. §. 2. vers. ita tamen, de ad-

ministr. tutor. l. si infanti 18. in princ. C. de iur. delib. l. 14. de sponsal. Eoq; modo infantis ætas exaudienda est, in l. si infantis 55. de vsufr. Hinc Græci, infantem, ἑπταετῆ vertunt. Constant. Harmenop. lib. 6. Epit. Tit. 6. §. 7. Et interpretes βασιλικῶν, in Synopsi lib. 7. Tit. 8. de his qui in ius voc. pos. vel non pos. c. 2. Theophilus in d. §. pupillus 9. infantes, ait dici, τοὺς ἔτι θηλάζοντας, καὶ τοὺς μικρῷ μείζονας, .i. qui adhuc lactant, & lactantibus paulò maiores sunt. Hi fari non posse dicuntur in l. 1. §. sufficit 2. de administrat. tutor. l. sancimus 7. in princ. C. ad SC. Trebell. l. si quis 26. C. de donat. vnde & infantes, quasi fandi impotes: absentum loco habentur d. modò l. 7. consensum non habent l. iubemus 5. prorsus in fine C. de emancipat. liber. Affectum non habent d. modò, l. si quis 26. C. de donat. mentis non sunt compotes l. 5. §. 2. ad L. Aquil. Proindeque à pœna homicidij, innocentiâ consilij excusantur, l. infans 12. ad

L. Cor-

L. Cornel. de Sicar. Constant. Harmenop. d. lib. 6. Epit. Tit. 6. §. 7. Vnde Arnobius lib. 8. aduersus gentes in princ. visendi mei causa, inquit, Romam contenderat, relictis liberis, & (quod in illis est amabilius) adhuc annis innocentibus, & adhuc dimidiata verba tentantibus. Et Marcianus, in paruulis, nullam deprehendi culpam, ait, in l. sed etsi, 55. in fine, de fideicom. libert. Item si damnum dederint, Aquilia non tenentur l. 5. §. 2. ad l. Aquil. Si quid perdiderint, vel corruperint, impunitum est l. quod infans 60. de rei vendic. Alias adpellationes infantum videte apud Menoch. de arbitr. iudic. quæst. c. 57. num. 8. & Spigel. in Lexico suo verb. infans, vbi peculiarem infantis significationem tradit.

4. Proximos infantiæ Theophilus in supradicto loco accipit, τοῦ ἀρξαμένους λαλεῖν καλῶς, ὁποῖοι οἱ ἕβδομον ἢ ὄγδοον ἄγοντες

ἐνιαυσίον, h.e. qui rectè loqui incipiunt, & iã vel septimum vel octauũ annũ agunt hoc est, vt Iacobus Menochius interpretatur, de arbitr. Iudic. quæst. d. Cas. 57. nu. 17. qui septimum & octauum annum absoluerunt. Sunt igitur proximi infantiæ, qui egressi sunt infantiam, & linguæ gnari sunt, rerum verò ignari, hoc est, quod dicitur, eos fari posse, sed non intelligere, quid agant, l. seruum pupilli 6. rem pupilli sal. for. l. in negociis 5. de reg. iur. l. 9. de acquir. hæredit. vnde Theophilus in d. loco, verba quidem proferre posse ait, non tamen diiudicare posse, quid sibi velint ea quæ dicuntur.

5. Proximi pubertati Theophilo d. loco dicuntur, οἱ πλησιάζοντες τῇ ἡβῇ, qui ad pubertatem proximè accedunt, nec dum tamen eam ingressi sunt. Eos Iustinianus aliquem intellectum habere ait, in d. §. pupillus 9. Instit. de inutil. stipulat. & Iureconsultus, rerum intellectum capere posse, quamobrem in delictis vix eis parci oportere, l. excipiuntur 14.

tur 14. ad SC. Syllan. l. 1. §. 3. vers. quæ sententia, de acquir. possess.

6. Sed quæritur à nostris, quantum hi à pubertate absint, siue qui propriè pubertati proximi dicantur. Qua in re variis opinionibus certatum est.

7. Accursius, & sequaces, quos ordine enumerat Iacob. Menoch. de arbitr. iúdic. quæst. cas. 57. nu. 20. cum quinq; seqq. pubertati proximum dicunt eum, qui annum decimũ & dimidiatum expleuit, vel, vt Corras. lib. 6. Miscel. c. 23. num. 5. distinctius ait: cum mas dimidiatum annum supra decimum excessit, fœmina verò quæ nouem annos cum dimidio egressa est.

8. Alij, quos recenset idem Menoch. d. modò casu: 57. nu. 26. cum octo seqq. & Corras. d. c. 23. num. 5. & 6. pubertati proximum eum asserunt, qui sex mensibus plus minus à pubertate distat.

9. Hostiensis in c. continebatur, de desponsat. impub. illum dici proximum pubertati asserit, qui per tres dies à pubertate abest Iacob. Menoch. d. c. 57. nu. 35. cum trib. seqq.

10. Eguinarius Baro, in d. §. pupillus 9. Instit. de inutil. stipulat. proximum pubertati dici putat, qui in vndecimo anno est. Menoch. d. c. 57. nu. 39.

11. Iacob. Menoch d. c. 57. nu. 40. 41. 42. olim cum Papiæ Anno 57. explicaret d. §. pupillus, Instit. de inutil. stipulat. in ea fuit opinione, vt putaret, proximum pubertati illum dici, qui annum septimum iam expleuisset, vt ipse huius suæ opinationis fundamenta refert, d. cas. 57. num. 40 cum duob. seqq.

12. Sed his opinionibus omnibus explosis, rectius & verius dicendum videtur, huius controuersiæ decisionem, ad generalem consequentiam, aut regulam trahi non posse, cum & delictorum mille sint formæ & ingeniorum, idcircò rem totam, expressa lege non diffinitam, iudicis arbitrio meritò relinquendam.

13. Debet igitur Iudex expendere, non tàm annorum numerum, quàm criminis qualitatem, personæ conditionem, & ætatis doli capacis malitiam.

Plerique

Plerique; enim, vt Iohan. Fab. ait, maioris industriæ malitiæque, in decimo anno visuntur, quàm cæteri in quarto decimo. 14. Debet etiam Iudex considerare qualitatem regionis, vnde quis oriundus est. Nam vna regio altera callidiores habet pueros. Quemadmodum de pueris Normannis & Longobardis notauit glossa in l. sequitur §. pupillus, de vsuc. Idem de Hispanis dicendum est, quos versutos & callidos esse, censet glossa in l. dolum C. de dol. mal. Idque maximè dicendum est de Sclauonibus, quos omnium mortalium nequiores Odofredus prodidit, in l. Iulianus, de act. empt. & Gomezius in §. sic itaque discretis, num. 18. Instit. de act. Et summatim, quædam gentes & populi, ita è cœlo formati sunt, vt propria sint morum vnitate perspicui: Scythæ, immanis crudelitatis feritate grassantur: Itali fiunt regali nobilitate præfulgidi: Galli stolidi, simplices & barbari: auari Syri: acuti Siculi: Luxuriosi semper Asiatici, & voluptatibus occu-

occupati: Hiſpani, elati, ſuperbi & iactabundi: Cathelani, fædifragi. Bald. in c. 1. de pact. vnde id refert Gomez. d. §. Sic itaque diſcretis, n. 18. Inſtit. de act. Petr. Crinit. lib. 4. de honeſt. diſcip. c. 14.

15. Illud deniq; obſeruabit Iudex, vt ſi puerum, qui nondum exceſſit decimum & dimidiatum annum, proximũ pubertati iudicare velit, ſecundum opinionem Accurſij, & aliorum, primo loco relatam, id non faciat, niſi maximis coniecturis inductus, & cautiſſimè id agat & tandem rarò. Poſt illam verò ætatem, non exigit iudicis arbitrium tàm vrgentes coniecturas: Sat enim erit, aliquot mediocria ſigna perpendere, ex quibus arbitretur, puerum eſſe proximum pubertati. Et cui ſex tantùm menſes, ad ætatem perfectam deerunt, eum poterit iudex, audacius, ac leuioribus argumentis, pubertati proximum iudicare.

16. Hæ obſeruationes in perpendenda & diiudicanda hac ætate, præſcribunt Iudici, Ioh. Corraſ. d. lib. 6.

Miſcel-

Miscel.c.23.nu.7.& 8.D.Couar.in tract. de Sponsal.c.5.& Iacob.Menoch. d. sæpius cas. 57. num. 45. cum seqq. Qui etiam hanc vltimam opinionem, vt magis hodie receptam, superioribus opinionibus, quarum fundamentis Menochius copiosè respondet, præferendam existimant.

17. Cæterùm in pubertate definienda, diuersæ Scholæ authores, hoc est, Cassiani & Proculiani inter se dissenserunt. Nam Cassiani eos puberes esse volebant, qui habitu corporis puberes esse adparêrent, hoc est, qui possent generare: Proculiani verò eos, qui quatuordecim annos expleuissent: Priscus quidam Iabolenus, eos, in quos vtrumque concurreret, & habitus corporis, & numerus annorũ, Vlpian. in frag. Tit. 11. §. vlt. Atq; ita, tres diuersæ in hoc passu Iureconsultorum opiniones reperiuntur. Sic alibi Gallus, Labeo, & Tubero, dissentiunt, in l. 32. §. 1. de aur. & arg leg.

18. Cæterùm Iustinianus hanc rixam composuit, & constituit, vt masculi sint pube-

puberes anno 14. fœminæ vero anno 12. §. 1. Instit. quib. mod. tut. finit. l. fin quando tutor. vel curat. esse desin. quia mutatio ætatis in masculo, regulariter fit per septenarium, in fœmina, per senarium, vt Clemens Alexand. in Solone notauit, in 6. στρωματέων.

19. Et à pubertate, id est, ab anno 14. vel 12. incipit adolescentia, eaq; in annum 25. extenditur. Pars eius est plena pubertas, quæ in masculo incipit anno 18. in fœmina, anno 16. §. minorem 4. Instit. de adopt. l. arrogato 40. §. 1. cod. Græcis ἀκροπάτη ἥβη, vt notauit Cuiac. in posterioribus notis Instit. d. §. minorem. Et dicitur plena, quòd sit ea maximè ætate, vt Mæcenas apud Dionem ait: ἥπερ τῶν σωμάτων εὐεξία, καὶ ἡ τῶν ψυχῶν ἀπτοηδείοτης, i.e. quod ea valeant maximè, & sint habiles, tã corpore quàm animo.

20. Firmata ætas, incipit ab anno 20. vel 18. Eaq; ætate, ex venia Principis, ante 25. annum minoribus, rerum suarũ administratio permittitur. l. 2. C. de his qui ven. ætat. impetr. Quam impetrationem

nem, eleganter describit Constant. Harmenop. lib. 2. Epit. Tit. 12. num. 22. & post eum Barnab. Briss. in Lexico suo, lib. 1. verb. ætatis venia, vbi vide.

21. Perfecta ætas, quæ etiã iuuentus dicitur, est viridis & florens illa ætas, ab anno 25. in annum 46. Gell. lib. 10. c. 28.

22. Exinde, senectus incipit, quæ variè à Iureconsultis, Medicis & Philosophis diffinitur. cõmunius tamẽ, secundũ Iureconsultos, placuit, senectutis diffinitionẽ, in casibus dubiis, iudicis arbitrio relinquendã esse. vbi igitur senectꝰ certò diffinita est, id seruabitur. Sic in excusatione tutelæ & curæ, senex dicitur, qui annũ agit septuagesimũ l. 3. de iur. immunit ſ. item maior. Instit. de excusat. tutor. sic, vt quis à muneribus personalibus excusetur, Senex is dicitur, qui annum agit quintũ & quinquagesimũ. l. vlt. C. qui ætat. se excus. lib. 10. Ita in dominio Mediolani senex dicitur, qui annũ agit sexagesimum, vt ad æternã rei memoriã examinari possit, ex constit. Mediol. in tit. de prob. c. 1. vbi verò nulla clara

clara & expressa iuris constitutio extat, ibi iudicis arbitrio res committenda erit. Et ita, post alios, sentit Iacob. Menoch. de arbitr. Iud. q. cas. 59. n. 3. 4. 5. 6. 23. Cæterùm, de tota hac ætatum materia, & distinctionibus, videantur omninò Iacob. Menoch. de arbitr. iud. quæst. cas. 57. & 59. Ioach. Beust. ad l. 15. de Iureiur. à num. 14. vsque ad num. 24. inclusiuè. Cuiac. ad l. 2. de excusat. & post eum Borcholt. in Tract. de feud. c. 5. num. 46. & Hort. Oddi. in tractatu de in integr. restit. part. 1. quæst. 2. art. 2. Vbi sex gradus, secundum sex mundi ætates constituit.

QVAESTIO XLV.

An hæredis institutio, vel legati relictum, blandis, amicis, & delenificis verbis causatum, captatum, ambitum vel prouocatum, validum sit?

I.

ET quidem affirmatiua sententia his fundamentis probatur. Primò, per textum l. vlt.

l.vlt. C. si quis aliq. testari prohibuer. vbi Impp. in hæc verba rescripserunt: Iudicium vxoris postremum, in se prouocare, maritali sermone, non est criminosum. Secundò per textum l. vlt. ff. eod. tit. ibi Papinianus respondit, virum, qui non per vim, nec dolum, quominus vxor contra eum, mutata voluntate, codicillos faceret, intercesserat, sed vt fieri adsolet, offensam ægræ mulieris, maritali sermone placauerat, in crimen non incidisse respondi: nec ei, quod testamento fuerat datum, auferendum. Tertiò, per textum l. 70. de hæred. instit. ibi idem Papinianus, in hæc verba respondet: Captatorias institutiones non eas senatus improbauit, quæ mutuis affectionibus iudicia prouocauerunt, sed quarum conditio confertur ad secretum alienæ voluntatis.

2. Limitatur tamen hæc affirmatiua sententia, Primò, vt non procedat, si prius, vel verberibus, vel minis, coniunx metum intulerit coniugi, deinde

S verò

verò blandiendo, eum ad relinquendū adduxerit. Eo namq; casu, non libero animo, sed metus causa reliquisse intelligetur. Nam metus semel per atrocitatem incussus, perpetuus censetur, & inter coniuges tam diu permanere, quā matrimonium constat. Petr. Peccius in Tractat. de testamentis coniugum, lib. 1. c. 9. num. 2. & 3. per notata Bartoli in l. pen. circ. fin. per illum textum, de condict. ob turp. caus. Ang. ad l. ad inuidiam C. quod met. caus. Alex. cons. 1. lib. 3. & cons. 47. lib. 4. & in l. si cum dotem, §. eo autem tempore, solut. matrim. Ias. in §. quadrupli, num. 66. Instit. de act.

3. Sicut autem ad probandum metum, sufficit probare verbera, etiamsi non probetur, verberantem solitum sæuire: ita probatis minis, verius est, non requiri probationem eius, quòd coniunx soleat quoque minas exequi, Petr. Peccius d. c. 9. nu. 3. & 4. vbi multa ad hoc allegat.

Si igi-

4. Si igitur probari possit, maritum, verberibus excepisse suam vxorem, quia nollet in rem aliquam consentire, ex interuallo autem consenserit, creditur metu fecisse. Petr. Pec. d. c. 9. nu. 3. per ibi allegata.

5. Idem est, si maritus crudelia vxori minatus sit. Petr. Pec. d. num. 3. per notata Castrens. Saliceti & Ias. in d. l. vlt. C. si quis aliq. test. prohib.

6. Idem quoq; dicendum est, si mulier, ægrotanti marito, nec Medicum adhibeat, nec ipsa, nisi prorsus neglectè, operam suam ipsi accommodet, atq; interim eius hæreditatem, aut legatum, blando sermone ambiat. Nam si maritus hac arte victus, leget, aut instituat, non tàm blanditiis adductus, quàm malæ curationis metu impulsus fuisse videbitur. Petr. Pec. d. c. 9. num. 5.

7. Sed & metus reuerentialis vxoris, legatum invalidum reddit: veluti si maritus ab vxore, lachrymabundus, miseris precibus & obtestationibus legatum impetret, quia reuerentia

mariti, pro iusto metu habetur. Petr. Pec.d.c.9.num.7.

8. Quod adeò verum est, vt huiusmodi testamentum, reuerentia mariti factum, non quidem per actionem, quod metus causa, quæ tunc demum competit, quando interuenit metus mortis, aut cruciatus corporis, sed officio iudicis, retractari possit. Petr. Pec.d. c.9.num. 7. per notata Bartoli in l.1. §. quæ onerandæ, quar. rer.act. non dat.

9. Secundò limitatur supra dicta sententia adfirmatiua, vt non procedat, si coniunx, non solum delenificis & modestè conceptis verbis à coniuge aliquid eblanditur, sed dolosa, mendaci, assidua, importuna, ac improba petitione quid extundat & extorqueat. Petr. Pec.d.c.9.num.8.& 9. Hartman. Pistor. lib.1.quæst.Iur.Rom. & Sax.q.29. nu.3. & 4. per l.fin.ibi, qui non per vim & dolum, si quis aliq. testar. prohib.l.1. C. de petit.bon.or. sublat.lib.10. Ex quo textu probat Peccius, d. modò num. 9. concessionem, quam Princeps, ad improbam

bam petitionem alicuius fecit, non esse obseruandam, nec enim videri à libero Principis animo profectum, quod semel & iterum recusatum, petendi importunitate, tandem peruictus Princeps, annuerit.

10. Sic in simili Pontifex, ambitiosas indulgentias, precum importunitate exortas, reuocat, eumq;, qui huiusmodi improbitate oppressus, concedit, inuitum concedere præsumi. Petr. Pec. d.c.9. num.9. per c. vlt. de rescript. & alias auctoritates ibi adductas.

11. Similiter, electio, ad importunum populi clamorem facta, irrita est, c. Ossius, de elect. c. miramur, 61. dist.

12. Sententia item, ob importunam populi petitionem lata, retractatur, l. decurionem C. de pœn.

13. Et bona eius, quem monasterium importuna persuasione ad religionem induxit, apud Monasterium non manent, sed reuertuntur ad consanguineos inducti, c. fin. 20. q. 3. Panormit. ad c. præterea, de offic. delegat.

importunitate petentium, gesta irrita sunt.

14. Sic item tractus per importunitatem ad ludendum, si lucratur, non tenetur ad restitutionem, Innoc. in c. quia plæriq;, de immunit. Eccles. & ad c. Clerici, de vit. & honest. Cleric.

15. Deniq;, cum institutio hæredis, & legatum, sint veræ libertatis, & liberalis animi, & blanditiæ instantissimæ habeant vim minarum, & extorsio, importunaque flagitatio, æquiparentur, cum in eadem causa sint, obtenta per importunitatem, & obtēta per metum, consequens est, ita obtentum & extortum, nullum & inualidum esse. Per. Pec. d. c. 9. num. 9. in princ.

16. Et hanc limitationem in facti contingentia, consulti Scabini Lipsenses, pronunciando secuti sunt, his verbis: **Jhr möchtet dann / wie recht / erweisen / das obgedachte ewere Stieffmutter / ewren Vater / in seiner obliegenden grossen schwacheit / gefehrlicher weise / durch vngestewme Suggestion, vnnd eingeben / jhr vnnd jhren Kindern zu gute / dergestalt zu testieren / vnnd sein voriges Testa-**

ment zuwiderruffen oder zu endern vermocht/vnd vberredet hette/damit wurdet jhr billich gehort. Hartman. Pistor. d. q. 29. num. 4. in fine.

17. Tertiò limitatur supra dicta sententia adfirmatiua, vt non procedat, si cum coniunx prius facto testamento, alium instituisset hæredem, vel instituere voluisset, ab alio prohibitus, & ad sibi relinquendum inductus fuisset: Tunc enim, licet quidem prius testamentum validum fuerit, prior tamen institutus poterit, vel actione de dolo, vel actione in factum subsidiaria, hæreditatem vel legatum sibi relictum, ab eo, cuius solicitudine vel suggestione id impeditum fuit, reuocare. Atque ita limitat Cæpolla cautela 36. allegans ad hoc doctrinam Angeli in d. l. fin. C. si quis aliq. test. prohib. qui ait, se vidisse & practicasse hoc de facto, in quibusdam agnatis, qui testatori persuaserant, vt bona sua, quæ pauperibus distribuenda legauerat, sibi relinqueret. Quod referūt, licet non sequantur,

Hart. Pistor. d. q. 29. num. 2. & Petr. Pec. d. c. 9. num. 9. §. tertiò temperant, vbi plures, eandem limitationem tenentes, memorat.

18. Verùm, hanc limitationem, rectè reprobant modò dicti duo interpretes, Pistoris & Peccius, post glos. & Cyn. in l. quicquid C. arbitr. tutel. Ias. in d. l. fin. num. 5. C. si quis aliq. test. prohib. vbi existimat textum illum procedere, etiam in præiudicium hæredis antea instituti. Tùm, quòd si aliter dicatur, nunquam ferè locum habeat legis permissio, vt coniunx blando sermone ad legandum vel instituendum coniugem inducat, quod ferè semper fieri debet cum detrimento eorum, qui ab intestato erant successuri: tùm, quòd, qui procurat vtilitatem propriam etiamsi per indirectum, & veluti per consequentiã alteri noceat, non præsumatur facere animo nocendi: tùm quod is, qui suo iure vtitur, nulli faciat iniuriam: tùm deniq;, quòd lex, eiusmodi industriam non damnet. vti has rationes refert & pon-

ponderat Petr. Peccius d. c. 9. num. 10. & 11.

19. Nec obstat supra dicta Angeli doctrina. Ea namq; intelligenda est de falsis sugillationibus, prout ipsemet se declarat in l. non est enim, de inoffic. testamento, vbi eandem doctrinam repetens, disertè loquitur de eo, qui falsas causas suggerit, Quo casu non mirum, cur suggerens teneatur, cum mendax suggillator, siquidem mendacium in suum commodum redundet, dolo non careat. Atq; ita Angeli doctrinam post Ruin. in cons. 2. num. 11. vol. 2. interpretatur Hart. Pistor. d. q. 29. num. 2. in fine.

20. Aliud erit dicendum, si is, qui nec hæreditatem, nec legatum ambit, testatori persuadeat, vt alium hæredem faciat, vel alij leget. Nam is inuidus, iniquus, & iniurius est, qui, cum sibi prospectum non cupit, inuidet aliis, quominus beneuolentia defuncti fruantur vtantur. Petr. Peccius d. c. 9. num. 11. in fine.

21. Licet igitur, non obstante supra

dicta Angeli doctrina, blando sermone inuitare testatorem, ad sibi relinquendum, licet blanditiæ illæ tendant in præiudicium alterius, cui vel testamento prius confecto aliquid relictum fuerat, vel testator aliquid relinquere voluerat. Et hæc pro resolutione huius quæstionis suffecerint.

QVAESTIO XLVI.

Cui Iuramentum Suppletorium sit deferendum, Actorine, an verò Reo?

CIrca huius quæstionis diffinitionem Doctores non satis conueniunt: Et tres diuersæ circa eam opiniones inueniuntur.

1. Prima est Azonis in sum. C. de reb. credit. & iureiur. num. 10. vbi vult, reo id deferendum esse. Quam opinionem sequitur Accurs. in L. admonendi, verb. exacto, sub fin. de iureiur. & in l. in bonæ fidei, verb. decidi, C. eod. & in l. maritus, verb. absente, de quæst.

2. Secun-

2. Secunda opinio est Hugolini Glossatoris in d.l. in bonæ fidei, verb. decidi C. de reb. credit. & iureiur. vbi vult, actori semiplenè probanti id deferendum esse. Quam sequitur Bart. in d. l. admonendi num. 57. 58. Et communem, & communi practica seruari, testatur Salic. allegata l. in bonæ fidei nu. 26. vers. septimo confirmo. Et ita se in aliquibus ciuitatibus, seruatum vidisse scribit Alberic. de Rosate, in d. l. admonendi, col. 2. vers. vltimo oppono, vt glossa opponit. Ergò standum hoc casu videtur dicto Doctoris de cõmuni consuetudine attestantis, per doctrinam Bart. in l. de quibus, in 2. lectur. num. 21. de legib. Eam quoq; firmat Iaf. in d. l. admonendi in 1. lectur. num. 118. per text. in c. 1. §. sacramentum, iuncta ibi gloss. in verb. iudicem, de consuet. rect. feud. in vsib. feudor. Et multis eandem confirmat Ludouic. Roman. in d. l. admonendi, num. 106. vbi simul ad fundamenta, pro prima opinione, ab Azone adducta, respondet.

Et se-

Et secundum hanc opinionem, in terris Electoris Saxonici, communiter pronunciari, testatur Ioachim. Beust. ad d.l. admonendi, pag. 286. num. 170.

3. Tertia opinio, est Speculatoris, qui huius rei disceptationem, ad arbitrium Iudicis reiicit, in Rubric. de iuram. delat. num. 8. in fine. Eaque Speculatoris opinio, confirmatur per textum notabilem, in d.l. admonendi 31. verb. solent enim sæpè iudices, vbi Iurisconsultus non adstringit iudicem in dubiis causis, magis vni, quàm alteri hoc iuramentum deferre. Relinquitur ergò ipsius arbitrio, secundum regulam l. 1. vers. ait Prætor, de iur. delib. confirmatur item per d.l. in bonæ fidei 3. vbi quo ad hoc iuramentum, iudici causæ, cognitio permittitur, cuius cognitionis & arbitrij casus proponitur in c. vlt. §. fi. de iureiur. extra, & in c. vlt. de Testib. in 6. Et hanc opinionem, in puncto iuris, veriorem esse, adfirmat Ludouic. Roma. in d.l. admonendi num. 109. & Ias. ibid.

in 1. le-

in l. lectur. nu. 118. multum hoc casu iudicis arbitrio tribuit.

4. Vertitur autem hoc iudicis arbitrium, causæque cognitio, in hisce sequentibus, ad quæ iudex, antequam vel actori, vel reo, hoc iuramentum deferat, diligenter attendere debet. Primò, considerare debet iudex, qualitatem personæ, semiplenè probantis, hoc est, dignitatem, conditionem, & fidem: Secundò, qualitatem & naturam causæ, an ea hoc iuramentum admittat, nec ne: Tertiò, quantitatem summæ, siue rei, de qua certatur & contenditur: Quartò, scientiam vel ignorantiam ei9, cui hoc iuramentum deferendum est. Et has quatuor considerationes in iudice, post Bald. in d. l. in bonæ fidei 3. C. de reb. credit. & iureiur. referunt Beust. in d. l. admonendi 31. pag. 287. & pag. 288. num. 147. & Iohan. Sichard. ad d. l. in bonæ fidei, 3. num. 50.

5. Prima consideratio excepta est, exemplo testium. Nam iurans in iudicio, quodammodo fit testis in causa propria,

propria, gloss. in d.l. in bonæ fidei 3. in fine, C. de reb credit. Ea igitur, quæ in persona testium considerat l. 2. & 3. de testib. considerandaquoque sunt in persona, hoc iuramentum suppletoriũ, præstante. Quod aliàs peculiari capite expediemus.

6. Secunda & tertia consideratio, causam materialem siue obiectum huius Iuramenti respicit, in quibus nimirum causis hoc iuramentum deferri ac præstari possit, vel non possit. Quod similiter alio loco peculiari capite enucleabimus.

7. Circa quartam & vltimam considerationẽ, quæ scientiã, vel ignorantiam iurantis concernit, sic habendũ est. Scienti, & non ignoranti, hoc iuramentũ deferendũ esse. Nec enim patietur Iudex iurare eum qui nescit, per allegata glossæ ad d.l. in bonæ fidei 3. C. de reb. credit. & iureiur. Quod si vterq;, & actor, & rẽus, scientiam facti habeat, considerabit Iudex, quis eorum melius sciat. Nam si vnus sciat per proprium

sensum

fensum corporis, puta quia vidit, tetigit, locutus est cum aliquo: alius autem sciat tantùm de auditu vel fama: Tunc ei, qui scit per proprium sensum, & non ei, qui de auditu, vel fama tantùm scit, Iudex hoc iuramentum deferre debet.

8. Idem dicendum si vnus sciat, de facto proprio, alter de facto alieno.

9. Quid si vnus æquè atque alter rei controuersæ scientiam habeat? Tunc Iudex attendet, quod est verisimilius, hoc est, deferet iuramentum illi, qui magis iurare veritatem præsumitur. Præsumitur autem magis veritatem dicere nobilis, & in dignitate aliqua constitutus, quàm ignobilis, & sine dignitate. Beust. d. pag. 288. nu. 175. per l. vnic. ibi: Credidit enim Princeps, de offic. præfect. prætor. & c. statutũ, de rescript. in 6. Idem quoq; in diuite dicendum, cum pauper facilius præsumatur peierare, quàm diues l. 3. in princ. de testib. Quod tamen de eo diuite accipiendum

dum est, qui diuitias suas honestè acquisiuit: secus si inhonestè, vt puta fraudibus, vsuris, rapinis, & periuriis, diuitiæ acquisitæ fuerint. Ita doctrinam illam, quæ habet, diuiti magis credi, quàm pauperi, limitat eleganter in casu nostro Cyn. d.l. in bonæ fidei num. 8. vers. attendi debet primo, ibi: si autem quæsitæ, & Fulgos. num. 7. in princ. C. de reb. credit. & iureiur. Refert & sequitur Beust. d. pag. 288. num. 175. & Iohan. Sichard. ad d.l. in bonæ fidei 3. num. 52. Sic masculus siue vir, magis veritatem dicere præsumitur, quàm fœmina, cum varia & mutabilis semper sit fœmina. Beust. d. modò num. 175. in fine, per c. 1. in princ. de controuers. int. mascul. & fœmin. de benefic. in vsib. feud. c. forus, §. vlt. vers. natura, de verbor. sig.

10. Quod si circa dignitatem, honestatem, & diuitias, actor & reus, pares sint, cui tunc iuramentum hoc deferendum erit? Et licet quidem Cynus in hoc puncto, tot esse sententias, quot sunt capita, dicat, tamen ipse hoc casu

actori,

actori,& non reo,hoc iuramentum deferendum censet, hoc fundamento, quòd citius præsumatur reus cupiditate rei detinendæ peieraturus, quàm actor. Cyn.ad d. sæpius l.in bonæ fidei 3. C. de reb. credit. Quam tamen Cyni rationem, vt satis friuolam, ridet Sichardus,& Canonistas sequēdo,putat, actori potius, quàm reo hoc casu, iuramentum suppletorium deferendū esse: tùm (inuertendo fundamentum Cyni) quòd actor potius hoc casu præsumatur peierare,quàm reus, vtpote qui maiori cupiditate feratur, ad obtinendum id, quod timet amittere: proindeque suspicione calumniæ carere non videatur: tùm, quòd actor paratus & instructus probationibus,ad iudicium venire debeat: tùm, quòd fauorabiliores rei sint potius,quàm actores: tùm deniq;, quòd in dubiis promptiores ad absoluendū, quàm ad condēnandum esse debeamꝰ. Sichard.ad d.l.in bonæ fidei 3.n. 55.in fine, iuncto nu. seq. vbi subiicit,se hoc semper in practica seq; consueuisse.

QVAESTIO XLVII.

Num Testamentum inter liberos à patre vel matre, coram duobus testibus conditum, valeat?

I.

ET valere, probatur in l. hac consultissima, §. ex perfecto, & ibi DD. C. de Testamentis. Eamq; communem opinionem attestatur Fernand. Vasq. in Tract. de successionum creatione, progressu & resolutione. part 1. lib. 3. §. 21. num. 58. in princ. allegando pro hac opinione Alex. cons. 76. num. 2. & cons. 12. vol. 3. Ias. in d. §. ex imperfecto, num. 6. Item communem attestatur Iul. Clar. in tract. recept. sentent. §. testamentum q. 3. nu. 2.

2. Et hæc conclusio ampliatur primò, vt procedat, non solum testamento in scriptis confecto, sed etiam in testamento nuncupatiuo. Alex. cons. 105. vol. 3. Latè Boër. decis. 240. num. 1. & 2. in princ.

in princ. vbi dicit, in curia Burdegalensi, sæpius se ita iudicatum vidisse: Et Raphaëlem Fulgosium & Paulum de Castro, qui contra sentiunt, somniatores esse, & cæcos hoc casu habere oculos, nihilq; videre. Refert & sequitur Hartman. Pistor. lib. 1. quæst. Iur. ciuil. & Sax. q. 1. num. 1. Iul. Clar. d. §. Testamentum. q. 11. vbi subiicit in fine, ab hac sententia, vt communi, in consulendo, aut iudicando, non esse recedendum.

3. Secundò ampliatur hæc conclusio, vt procedat, siue testes isti rogati fuerint, siue non fuerint. Fernand. Vasq. d. modò num. 58. & Hartman. Pistor. d. modo q. 1. num. 2. & Iulius Clarus d. q. 8. num. 5. vbi similiter per ibi allegata firmatur, & communis asseritur.

4. Tertiò ampliatur hæc conclusio, vt procedat, etiamsi testes isti non masculi, sed fœminæ fuerint. Nam harum etiam testimonium hoc casu admittitur. Fernand. Vasq. d. num. 58. Hartman. Pistor. d. quæstio. 1. num. 3.

Iul. Clarus d.q. 8. num. 4. per multa allegata, vbi similiter communis perhibetur.

5. Nec obstat, §. planè, Instit. de milit. testamento, & l. Diuus ff. eod. vbi in testamento militis, requiritur, testes esse masculos & rogatos, quibus iuribus in contrarium mouetur Curt. Iun. in d. §. ex imperfecto nu. 10. Quoniam hoc casu argumentum à testamento militis, ad testamentum inter liberos non valet. Plus namq; iuris & priuilegij hac in re tribuitur patri testanti inter liberos, quàm militi testanti inter extraneos, si quidem de leuiore præiudicio agitur, cum pater testatur inter liberos, quàm cum miles testatur inter extraneos.

6. Et si quibuscunq; verbis, & quibuscunq; indiciis probari potest testamentum inter liberos, l. fin. C. famil. herciscund. multò magis probari poterit duobus testibus, etiam fœminis, licet non rogatis. Atque ita ad supra dicta iura, à Curtio in contrarium adducta, rectissi-

rectissimè respondet Fernand. Vas. d. sæpius num. 58. in fine, iuncto nu. seq.

QVAESTIO XLVIII.

Num testamentum inter liberos, manu patris vel matris, in schedula quadam conscriptum valeat, etiam nullis testibus adhibitis?

I.

PEone, parentem in conficiendo testamento inter liberos suos, nullos testes adhibuisse, sed tantùm voluntatem suam in scriptis exaratam, vel in arca, vel apud notarium, vel alium non suspectum, reliquisse, num illi standum sit, etiam aliis solennitatibus deficientibus. Et quidem circa huius quæstionis diffinitionem, tres diuersæ opiniones reperiuntur, affirmatiua, videlicet, negatiua, & distinctiua.

2. Affirmatiuam sententiam sustinent illi, quos allegant Iul. Clar. in tract. receptar. sent. §. testamentum q. 14. nu. 1. & Hartm. Pistor. lib. 1. quæst. Iur. Ciuil.

& Saxonic. q. 1. num. 4. per Authent. quod sine C. de testament. & Nouell. 107. c. 1. vnde d. Authent. desumpta est. Et vtrobique hæc communis, & communi DD. calculo recepta & approbata perhibetur, à qua in iudicando non sit recedendum.

3. Ampliatur hæc conclusio, vt procedat, etiamsi parens testamentum sua manu non scripserit, sed tantùm subscripserit. Nam subscribens, censetur virtualiter & in effectu scribere omnia contenta in scriptura, quam sua subscriptione confirmat. Iul. Clar. d. mod. q. 14. num. 4. Hartman. Pistor. d. modò q. 1. num. 7. vbi vtrobique hæc ampliatio communis perhibetur.

4. In hac tamen subscriptione, omninò, & pro forma requiritur, vt testator id esse suum testamentum dilucidè adseueret, vt post Nattam in d. Authen. quod sine, & Iul. Clar. in d. nu. 4. tenet Hartman. Pistor. d. modò nu. 7. in fine. Licet enim regulariter sola subscriptio generalis sufficiat: tamen vbi lex pro

forma

forma requirit, vt aliquis manu propria scribat, vt fit in d. Authent. quod sine, C. de testamentis: tunc semper specialis subscriptio necessaria est, nam aliàs de facili supponendo vnam scripturam pro alia, posset falsitas committi, quam lex, maximè in hac testamentorum materia, valde habet suspectam, nisi fortè schedula ista, alio aliquo argumento, quàm tali subscriptione confirmata esset. Ita eleganter & notabiliter hanc ampliationem explicat & declarat Iul. Clar. in d. modò nu. 4. quod notatu dignum est.

5. Illud etiam in hac schedula, manu parentis exarata, requiritur, vt formaliter & specificè adponatur dies, qua confecta est, ad omnem falsitatis suspicionem præcidendam, Iul. Clar. per d. Authent. quod sine, d. q. 14. num. 2. vbi communem hanc esse opinionem tradit.

6. Illud etiam pro necessitate & substantia huius schedulæ requiritur, vt non signis vel abbreuiaturis, etiam

vsitatis, sed extensè, & literarum consequentia scribatur. Iul. Clar. d. q. 14. nu. 3. per text. in d. Authent. quod sine, vbi communem etiam hanc opinionẽ perhibet ex Natta in d. Authent. quod sine, num. 38.

7. Quod tamen Iulius Clarus d. modò nu. 3. intelligit & declarat, vt procedat circa numerum vnciarum, vel summam aliquam pecuniæ, ne scilicet illa, signis Arithmeticis exprimatur, in quibus de facili falsitas committi potest. In reliqua vero schedulæ dispositione, sufficere, illam esse scriptam eo modo, quo cæteræ scripturæ cõmuniter conscribi solent. Atq; ita Iulius Clarus d. Authent. quod sine, & nouellam constitutionem 107. c. 1. vnde illa desumpta est, intelligit. Et hactenus de sententia adfirmatiua.

8. Negatiuam sententiam qui defendunt, hoc fundamento nituntur, quod aliter, quam testibus, scripturam, manu patris esse confectam, probari non possit. Hartman. Pistor. d. q. 1. nu. 5. Verum cum

cum non solùm testibus, sed & literarum comparatione hoc satis doceri possit, vt proinde probationis causa, testes adhibere, semper non sit necesse, consequens est, hanc sententiam vix sustineri posse. Hart. Pistor. d. nu. 5.

9. Alij verò, qui distinguunt, ita censent, vt quatenus de eo, vtrum manu testatoris testamentum scriptum sit, nulla incidit dubitatio, affirmatiua sententia procedat, hoc est, etiam sine testibus, schedulam illam valere: Quando verò testamentum manu testatoris scriptum negatur, tum, nisi testes præsentes fuerint, qui testimonium perhibere possint, se testatorem vltimam suam voluntatem scribentem vidisse, testamentum, ob probationis defectum, nullum iuris vigorem obtinere. Ita sentit Salic. in l. hac consultissima, §. ex imperfecto C. de testamentis. Et Ang. in d. Nouella 107. de testamentis imperfectis, disertè ait, non sufficere quòd testes adserant, hanc esse manum testatoris, nisi etiam insuper deponant, se tum, cum

testator scriberet testamentum, præsentes fuisse, atq; id vidisse. Hos insuper referunt & sequuntur illi, quos allegat Hartman. Pistor. d. q. 1. nu. 4.

10. Sed prior sententia adfirmatiua, quòd videlicet testamentum inter liberos, manu parentis conscriptum, etiam absq; testibus valeat, verior est & communis, vt ante dictum est, proindeque à iudicando & consulendo ab ea non recedendum, Hartman. Pistor. d. q. 1. num. 4. & 5.

QVÆSTIO XLIX.

Qua forma hodie Testamenta in scriptis, vsitatè celebrentur?

I.

FOrmam Testamenti in scriptis, hodie vsitatam, præscribit Speculat. in Tit. de Instrument. edit. §. compendiosè num. 40. his verbis: volens ordinationem suam esse secretam & tutam, si literatus est, ipsemet scribat testa-

testamentum, vel etiam per alium scribi faciat, in membrana bona & solida, in cuius parte superiore relinquatur spacium vacuum trium vel quatuor digitorum, in dextero verò latere, & sinistro, tantundem spacij, in parte autem inferiore supersit spacium vacuũ tantum, quantum palmus digitis extensis protenditur vel circa: & in medio horum spaciorum scribatur tenor & series testamenti. Quo facto, plicabitur charta ipsa, ita vt spacium superius coniungatur cum inferiori parte & figantur ibi tres chordulæ, in plicatura verò dextri spacii duæ chordulæ, & in parte sinistri aliæ duæ, sic vt quælibet chordula duæ habeat foramina, interioremliteram non lædentia, vel attingentia. Quibus chordulis singula spacia, & singula coniuncta ligentur, ita vt interior litera videri vel legi non possit. Porrò de illo magno spacio inferiori vacuo, tantum debet discoopertũ relinqui, vt ibi possint patenter & apertè scribi

scribi. subscriptiones testatoris & testium, quibus vel eodem die vel vno vel pluribus ante sit scriptum, vel factum vel ordinatum. Et postea quando placuerit testatori, vocabit septem testes iuratos vtiq; literatos, & scribere scientes, & nullum iuris impedimentum habentes, Et coram eis testator ipsam scripturam clausam, & dictis chordulis ligatam in manibus tenens, offerat, dicens, illud esse suum Testamentum, sua, vel alterius manu scriptum, seque eos rogare in testes, & rogando mandare, vt ipsum testamentum subscribant & signent. Ipse etiam testator debet se sua manu subscribere (prout inferius docebitur) & ibidem vnico contextu, antequam vel ipse, vel aliquis ex testibus inde discedant, debet vnusquisq; testium, annulum vel sigillum Characteratum ad vnam ex Chordulis adpendere, siue suum siue alterius testis, si proprium non habeat. Post hoc continuo in spacio inferiori discoperto subscriptiones fient.

2. Pri-

2. Primò igitur Testator, si propria manu scripsit testamentum, se hoc modo subscribet. Ego A. præsentem paginam clausam & ligatam in manibus tenens, infra scriptis testibus omnibus simul præsentibus, purè ad hoc adhibitis & rogatis, obtuli, ab eis secundum iuris ordinem, signandam & subscribendam, asserens, quod in ea scriptum est, meum esse testamentum, & illud totum, & hæredis institutionem, & omnia & singula, quæ in eo continentur, à me scripta esse, nec non coràm eis præsentem subscriptionē propria manu subiiciens.

3. Si verò de mandato testatoris alius testamentum scripsit, ille taliter se subscribet. Ego R. de mandato A. literarum ignari, vel scribere propter corporalem ægritudinem impediti, hoc eius testamentum, tàm hæredis institutionem, quàm cætera in eo contenta, suo mandato, propria manu mea scripsi, & eo postea præsente, paginam clausam & ligatam infra scriptis testibus, ab eo

voca-

vocatis & rogatis, omnibus simul præsentibus, offerente & asserente, id quod in ea continetur, suum esse testamentum, & à me scriptum, præsentem subscriptionem, vice, nomine & mandato ipsius, adposui, & in testimonium me subscripsi.

4. Forma verò subscriptionis testium, talis esse debet. Ego N. Rogatus & præsens, vnà cum omnibus infra scriptis testibus, ad omnia & singula in hoc præsentis paginæ inferiori spacio facta, contenta & scripta, simul præsentibus & rogatis, in ipsa pagina eius vtique A. testamento suo mandato, manu mea, in testimonium me subscripsi, & eam sigillo proprio (si proprium habet) vel sigillo infra scripti D. signaui, habente in circulo formam aquilæ, vel Leonis, quod ad vnam ex chordulis supradictis ceræ impressi.

5. Sic igitur septem sigillis appensis & factis octo subscriptionibus antedictis, & cæteris ritè peractis, testator studebit secretè testamentum suum custodire,

dire, quoniã ex his ſolennitatibus ſubſtantiam capiat, & vitã & nomen, hoc in ſcriptis teſtamentum. Et hanc formam poſt Speculat. in d. nu. 40. & 41. refert Roland. à valle conſ. 36. nu. 2. vol. 1.

6. Præmiſſa autem probantur in l. hac conſultiſſima l. cum antiquitas, §. fin. l. iubemus, Authent. hoc non obſeruato C. de teſtamentis, & §. poſtea verò, vſq; ad §. teſtes, Inſtit. eod. & in l. hæredes, in fine l. ad teſtium §. ſigna autem & l. pen. ff. eod.

7. Verùm, quia Speculator in aliquo deficere videtur in dicta ſua forma, quia non declarat, quando teſtator facit alium ſubſcribere, quia ipſe eſt ignarus, vel alio modo impeditus, an ſufficiat, vt vnus ex dictis ſeptem teſtibus ſe ſubſcribat nomine teſtatoris, vel an requiratur, vt octauum teſtem adhibeat: Ideò Roland. à valle d. conſ. 36. num. 3. cenſet, de ſubſtantia hoc caſu requiri, vt teſtator octauum teſtem adhibeat. Ita docet Roland. à valle, poſt Iohannes Fabr. in §. poſſunt,

Inſtit.

Instit. de testamentis, qui dicit, hac in parte emendari d. l. hac consultissima per d. l. cum antiquitas, in fine C. de testamentis.

8. Sed & in eo quoq; Roland. à valle d. cons. 36. num. 4. notat Speculatorem, quòd sigillationem testamenti ipsi⁹ testatoris proprio sigillo faciendam, omiserit. Nam & hanc pro forma substantiali testamenti in scriptis requiri, pro quo allegat Paul. de Castro in d. l. hac consultissima, C. de testamentis & Ias. in cons. 67. colum. 4. nu. 7. Et subiicit Rolandus: quæ omnia tene benè menti tu qui habes conficere tale testamentum, ne aliquādo decidat in interitum.

9. Illud quoq; hic omittendum non est, quòd, licet de Iure in subscriptionibus testium necessario locus & dies non requiratur, bonum tamen & vtile sit, diem & locum in subscriptionibus exprimi. Ita post Iohan. Fabr. in d. §. possunt, Instit. de testamentis, notat Roland. à valle d. cons. 36 nu. 5.

10. Illud deniq; hic coronidis & auctarii

starii vice notandum, formam testandi in scriptis admodum esse periculosam, vel ideo, quòd si testium vnus moriatur ante testatorem, vel ante apertas tabulas, corruat integrum testamentum, vt proximè seq. quæstione fusius dicam. Ideoq; hodie rarò reperiuntur solennia in scriptis testamenta, vnde Philip. Porc. in §. 1. col. 5. versic. circa primum, Instit. de testamentis, scribit, Bartolum dixisse, quòd vnum tantùm aptum, & solenne in scriptis testamentum viderit, confectum à quodam Doctore solenni, quod tamen vltimo decideritad interitum propter defectum solennitatis. Quod ex Philippo Porc. notat Roland. à Valle, d. cons. 36. nu. 1.

QVÆSTIO L.

An, mortuo vno teste testamentario ante testatorem, vel ante apertas tabulas, & recognitionem sigillorum, totum testamentũ corruat: & posito corruere, num aliquo modo euentus iste, & periculum nullitatis, præcaueri possit?

TErtius quæstionis pleniorem resolutionem promiſi ſupra quæſt. proximè præcedente §. Illud deniq; hic coronidis & auctarii vice notandum, 10. quam nunc præſtabo.

1. Et quod ad primam huius quæſtionis partem attinet, ſcribunt Bart. in l. 2. in princ. quemad. teſtam. aper. laſ. in conſ. 67. colum. 3. & Bartol. Cæpol. in caut. 88. incip. multi ſunt, & ibi additionator, quod, ſi vnus de teſtibus teſtamentariis, vel viuo teſtatore, vel etiam poſt mortem eius, ante tamen aperturam teſtamenti, moriatur, ita vt non poſſit recognoſcere ſuam ſubſcriptionem & ſigillum; totum teſtam. corruat, & ad nihilum recidat. Quod refert & ſequitur conſulendo, Roland. à Valle, conſ. 26. nu. 1. & nu. 20. vol. 1.

2. Huius autem caducitatis & nullitatis periculum (quæ altera huius quæſtionis pars eſt) ita præcaueri poterit, ſi teſtator conuocet vnum notarium, qui non ſit de teſtibus teſtamentariis, &

duos

duos vel tres testes alios, curetq;, vt testium quilibet, qui se subscripserunt, & sigillauerunt, recognoscãt subscriptiones & sigilla in præsentia duorum vel trium testium, & dicti notarii, & roget dictum notarium, vt conficiat vnum instrumentum de dicta recognitione subscriptionum & sigillorum. Et ita eum securum fore, nec imposterum alia recognitione opus esse.

3. Poterit & alio modo hoc periculum nullitatis præcaueri, si videlicet testator à principio, à quo se subscribunt testes & ponunt sigilla, adhibeat notarium & testes, qui sint rogati de dicta subscriptione vel sigillis, & de hoc fiat scriptura publica, quæ sufficienter hoc casu probabit.

4. Poterit & tertio modo hoc periculum præcaueri, si videlicet testator, qui in scriptis & secretò testatus est, testamentum suum se viuo publicari fecerit.

5. Et has tres cautelas, ad præcauendum periculum nullitatis testamenti

hoc casu nostro refert Barthol. Cæpol. in d. cautela 88. post Bart. in l. 2. in princ. & in §. si dubitetur, quēad. testam. aper. Cæpolla tamen in d. modò loco, priorem præferendam censet. Quam etiam post Cæpollam, refert & sequitur consulendo, Roland. à Valle, d. cons. 36. nu. 20. Eaq;, ad sustinendum testamentum, si sæpissimè vsum, testatur Cæpolla, d. modò cautela 88. in medio.

6. Cæterum additionator Cæpollæ, hanc cautelam hodie parum vtilitatis habere scribit, quòd communiter in omnibus testamentis vel codicillis posterioribus, priora testamenta & codicilli reuocentur. Omnes namque notarii, in concipiendis testamentis, hoc communi stylo vtuntur, adponendo talem clausulā, reuocans, irritans, omnia priora testamenta, codicillos, donationes causa mortis &c. Et subijcit: Et vix inuenies aliquod testamentum, in quo non sit inserta prædicta clausula.

QVAE-

QVÆSTIO LI.

Qua ratione primum testamenta in scriptis adinuenta, introducta, & vsurpata fuerint?

I.

DVplicem huius rei rationem assignat Iohan. Faber, in §. possunt, Instit. de testamentis. Prima est, ne illi, qui sperant habere emolumentum ex testamento, h. e. successionem, vel totalem, vel partialem, prouocētur ad odium, si inde nullum se capere cōmodum, vel si se exhæredatos viderint.

2. Secunda est, ne illi quibus datum, legatum, vel qui instituti sunt, captent, vel procurent mortem testatoris, vt vel mutet testamentum, vel vt citius capiant, quod se habituros expectant. Cuius rei exemplum refert in quodam suo vicino.

3. Et has Fabri rationes, decidendo & consulendo, referunt & sequuntur Nicolaus Boër: decis. 14. num. 17. 18. 19.

& Rolandus à Valle, consil. 36. in princ. volum. 1.

4 Quando igitur non vult testator, vt sciant vel liberi, vel alii consanguinei sui, quid in suo testamento contineatur, hac secreta in scriptis testandi ratione vti poterit, & sic memorata modò incommoda, quæ ex patefactione vel propalatione testamenti sui, dum in viuis est testator, euenire possunt, præcauere & auertere poterit, Roland. à Valle, d. modò cons. 36. statim in princ. Nicol. Boër. d. modo decis. 14. nu. 17.

QVAESTIO LII.

An quod in l. 4. de in ius vocando, cautum est, parentes sine venia & permissu Prætoris in ius vocari nõ posse, porrigatur etiã ad parentes spirituales, siue Lustricos, qui nos de sancto baptismate leuârunt, quos vsitate susceptores & compatres, Germanicè

Pathen/Gefattern/ *vocamus?*

Et

I.

ET adfirmatiuam sententiam secuti sunt, Guilhelmus de Cun. Bald. Angel. Castrens. Roman. Alex. Ias. in l. generaliter, de in ius voc. Angel. & Fulgos. in l. adoptiuum, 8. per illum text. d. tit. de in ius vocand. Angel. Aret. Iason, Zas. Gomez. Sneid. Mynsing. in §. pœnales, Instit. de actio. Alexand. in l. 1. in princip. C. eodem, de in ius vocand. Philip. Franc. in c. postremo, de appellat. Guilhelm. Benedict. in c. Raynutius in verb. & vxorem nomine Adelasiam, num. 765. extra, de testamentis, Tiraq. in repetitione l. si vnquam, verb. suscepterit liberos, nume. 28. C. de reuoc. donat. & in tract. de pœnis temperand. aut remit. caus. 21. nu. 3. Alciat. in l. 1. C. de in ius voc. Sequitur Viuius in commu. opin. verb. filius vocare in ius patrem, nu. 2. Ascan. Clement. tract. patr. potest. effect. 3. nu. 7. 8. 9. vbi multa allegat.

2. Quæ quidē decisio, licet apud interpretes nostros controuersa sit, per

ea quæ copiosissimè tradit Andr. Tiraq. in d. repetitione, l. si vnquam. C. de reuoc. donat. & in d. tract. de pœn. temper. aut remit. caus. 21. nu. 4. sequitur Sneid. in §. pœnales quoq; actiones, 12. nu. 42. Instit. de action. tamen ea communior, verior & sanior est, vt audacter asseuerare non reformidant Tiraqu. & Sneid. in locis modò allegatis.

3. Et confirmatur hæc sententia primò, per c. ita diligere, 30. quæst. 1. vbi iubemur ita diligere eum, qui nos suscepit de sacro fonte, sicut patrem. Sequitur Tiraq. d. caus. 21. nume. 2. & Sneid. d. num. 42.

4. Secundò confirmatur à maioritate rationis, per gloss. in c. Pitacium, 2. in verb. multo magis, in d. c. diligere, 30. quæst. 3. quæ dicit argumẽto illius textus, patrem spiritualem esse magis diligendum, quàm carnalem. Quam glossam ad hoc ponderat Tiraq. in d. modò caus. 21. nũm. 1. Et illam glossam singularem dicit And. Barbat. in l. 2. de verbor. oblig. & in repet. l. cum acutissimi, C. de fideicom.

Tertiò

5. Tertiò confirmatur per aliam gloſſam ſingularem & ſuperiori ſimilem, in c. qui dormierit, 27. quæſt. 2. quæ dicit, affinitatem ſpiritualem, maiorem & ſuperiorem eſſe, quàm carnalem.

6. Quartò confirmatur per gloſſam, in c. aut facta, in verb. parẽtem, de pœnitent. diſt. 1. quæ dicit per textum, in d. c. Pitacium, non minus eſſe puniendũ, qui occidit patrem ſpiritualem, quàm carnalem.

7. Quintò confirmatur per ea, quæ tradit Tiraq. d. cauſ. 21. nume. 1. & vlt. & cauſ. 20. num. 2. vbi ex Caſtrenſe aſtruit, quemadmodum ei parcendum eſt, qui receptauit bannitum cognatum, ita & ei ſit parcendum, qui receptauit compatrem, neq; enim deeſſe affectionem, quæ illos moueat.

8. Sextò comprobatur. Nam quemadmodum is, qui promiſit aliquem defendere aduerſus omnes, non intelligitur aduerſus ſe ſuosq; promiſiſſe, ita nec aduerſus compatrem, Paul. Caſtrenſ. conſil. 229. viſo ſupraſcripto puncto, &

contentis in eo, volum. 1. per not. c. petitio, de iureiuran. cum similib. Quem allegat ad hoc Tiraq. d. c. 21. nu. 1 vbi pro pleniori huius passus discussione, remittit se ad repetitionem, d. l. sivnquam, verb. susceperit liberos, C. de reuo. don.

9. Septimò comprobatur per ea quæ prolixè tradit idem Tiraqu. in d. caus. 21. num. 5 vbi allegati ab eo tenent, posse recusari iudicem compatrem siue patrem, aut filium spiritualem partis aduersæ. Licet multi contrarium censuerunt, quos idem Tiraq. comportauit, d. caus. 21. n. 6 & 7. Quo tamē in passu ipse, post alios à se allegatos, mediam quodammodo viam tenet; quod videlicet, etsi omninò repellendi non sunt, fides tamen eorum vsquequaq; integra non sit, d. caus. 21. nu. 8. & 9.

10. Octauò confirmatur, quòd huiusmodi patres spirituales, filiolis suis, quos ex sacro baptismate susceperunt, alimenta præstare teneantur, ad instar patrū naturalium, per autoritates eorū, quos idem Tiraq. d. c. 21. nu. 9. allegat.

Quo

11. Quo in passu notandum, quod Budæus, lib. 1. de Philologia scriptum reliquit, parentibus spiritualibus, proditam esse actionē honorariā aduersus filiolos suos, qua, in casu egestatis, nutrimētum ipsis suppeditare iubeantur, vt idem Tiraq. ex Bud. retulit, d. sæpius caus. 21. nu. 9.

12 Nonò confirmatur, quòd parentes spirituales non possint conueniri, nisi in quantum facere possunt, ne sc. egeant, ad instar parentum naturalium, Tiraq. d. caus. 21. nu. 10. per ibi allegata.

13. Decimò confirmatur, quòd mulier possit accusare occisorem sui compatris, vt aliàs suorum iniuriā prosequi, Tiraq. d. caus. 21. nu. 11. per ibi allegata.

14. Vndecimò confirmatur. Ipsa nāq; appellatio ius quoddam affinitatis & cognationis, nō absimilis paternæ, innuit, dum compater, quasi cum patre pater adpellatur, in c. tua nos 7. de cogna. spirit. Quam rationem inter alia ponderat, ad hoc Sneid. d. §. pœnales, 12. nu. 42. Instit. de act.

Duo-

15. Duodecimò comprobatur hoc modo: si pater adoptiuus non potest in ius sine venia vocari, l. adoptiuum 8. in princ. de in ius voc. Multo minus pater spiritualis vocari poterit. Et hanc rationem, post Alexan. & alios, in d. l. generaliter, 13. de in ius vocand. Ang. nume. 6. Ias. num. 75. ponderat & Sneid. num. 42. d. sæpius §. pœnales, 12. Instit. de actio.

16. Valet argumentum à minori seu fortiori sumptum, quod in iure fortissimum esse, frequentissimum & vtile, multis confirmat Eberhardus in Topicis, loc. à minori seu fortiori 15. Si enim illud ineſt, quod minus ineſſe videbatur, multò magis id inerit, quod magis ineſſe videtur: Lex namq; maius dubium decidens, quod minus dubium est, decisum velle, ambigendum non est, per tradita Eberhardi in loc. mod. allegata.

QVÆ.

QVÆSTIO LIII.

An, quod in l. 4. & l. 13. de in ius vocando, cautum est, parentes, & reliquas personas, quibus reuerentia præstanda est, sine venia & permissu Prætoris, in ius vocari non posse, porrigatur etiam ad ciuitatem, Rempublicam siue patriam, ita vt hæc, ad instar parentis, à ciuibus siue subditis, sine venia in ius vocari non possit?

I.

ET ad firmatiuè decidunt, Angelus in l. generaliter 13. & ibi quoq; Alexand. num. 6. de in us vocand. Aluarot. & Feudistæ, in c. 1. de milit. vasal. qui cont. est, Ang. in §. pœna. 12. n. 6. Sneid. nu. 44. Ias. n. 69. Inst. de act. Ascan. Clement. tract. patr. potest. effect. 3. num. 13. Licet Bald. in d. c. 1. de milit. vas. qui cōtum. est, contra sentiat, vbi tenet, quod subditus possit agere contra fiscum & Rempublicam, etiam venia non petita: tamen in hoc receditur à Baldo, Et cōmuni-

muniter contrarium tenetur. Atque ita hæc sententia nostra affirmatiua incõcussa manet, Sneid in d. §. pœnales, nu. 44. Instit. de act.

2. Et confirmatur, quoniam patria loco parentis habetur, cui non minus, quàm ipsis parentibus nati videmur, l. 1. §. & generaliter, de ventr. in posse. mittend. Cic. in 5. Verrin. Cui potius in cõcursu, quam ipsis parentibus, si vtrisq; parere non possumus, obtemperandum est, l. postliminium, cum ibi notat. §. filius quoq;, de capt. & postlimin. reuers. Quæ vnicuiq; dulcissima esse debet, vnde Ouid. lib. 1. de Pont. Eleg. 4.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Cuius fumum Vlysses nouem diebus & noctibus à vento detentus in mari, vnicè videre cupiebat. Homer. Odyss. xi. Eamq; immortalitati anteferebat, Cic. lib. 1. de orat. Cuius nomen est sanctissimum, Cic. lib. 4. ad Heren. Cui omnes nascimur, Bald. in Authen. Sed omninò col. penult. C. ne vxor pro marit. Alciat.

reg.

reg.1.præsumpt.37. Quæ omnes omniũ hominum charitates vna complectitur, Cic.lib.1.offic. Quam quilibet diligere præsumitur, l.1. cumibi not.de iustit.& iur. Quam relinquere impium est, l. vnic.& ibi glossa vlt.C.si curial. relict. ciuit.rus habit.maluer lib.10. Quæ partem ortus nostri, iure quodammodo suo sibi vendicat, Cic.lib.1.offic.

3. Hinc, qui patriam auxerint, adiuuerint, atq; seruauerint, eos in cœlo definitum locum habere, vbi beati sempiterno æuo fruuntur, Cicero in somnio Scipionis, scriptum reliquit.

4. Et gloria, quam patriis legibus ministrando quis consequitur, omni victoriæ, quæ in Olympicis, aliisq;, tàm belli, quam pacis certaminibus comparatur, longe anteponenda est, teste Platone in 5. de Legibus.

5. Et traditum est, minimè lugendum esse, qui ad patriam defendam venit, l. minimè, de religio. & sumpt. funer.

Et si

6. Et si pro patria, filius patrem, aut pater filium occidisset, etiam præmio afficiendum omnes constituerunt, d. l. minimè.

7. Ac præclarè Lampridius de Alexandro scribit: Alexandrum, amicos & parentes, quos malos reperit, aut puniuisse, aut si vetus amicitia, aut necessitudo non sineret puniri, à se dimisisse, dicentem: his charior est mihi Respublica.

8. Et eleganter Cic. in 5. Philip. inquit: Nullæ excusationes sunt, meus amicus est, sit patria prior, meus cognatus est, an potest cognatio propior esse, quàm patria, in qua etiam parentes cõtinentur.

9. Hinc est, quod filius non tenetur alere patrem propterea bannitũ, quòd contra patriam fuit, quamuis aliàs patrem bannitum alere teneatur, Tiraq. de pœnis, c. 20. nu. 11.

10. Hinc quoque vasallus, qui dominum suum accusare nõ potest, ad accusandum admittitur, si dominus patriam prode-

prodere voluerit, Laudens. in c. vni. nu. 7. de form. fidelit. Iacobin. de S. Georg. in tract. feud. super verbis: qui quidem inuestiti, nu. 18.

11. Et quemadmodum vasallus, qui promisit accommodare castrum contra omnem hominem, contra seipsum castrum accommodare non tenetur: ita quoque non tenetur accommodare castrum contra patriam suam, Bald. in c. vnic. in princ. de nou. for. fidelit. Iacobin. de feudis supra verbis, de castro rubei montis, nu. 23.

12. Similiter vasallus non tenetur domino, cui fidelitatis iuramentum præstitit, operam suam contra patriam accommodare, Aluarot. in c. vnic. num. 6. de nou. form. fidelit. Iacobin. de feudis super verbis: qui quidem inuestiti, nu. 15. Et rursus super verbis: & promiserunt num. 13 & 32. Syluanus, de feud. recog. quæst. 103, nu. 17. quamuis dominum cõtra parentem adiuuare debeat, c. vnic. §. fin. hic finit. lex.

13. Et deniq;, quemadmodum be-

neuolentia maior est erga veros parentes, à quibus geniti sumus, quàm erga alios, à quibus adoptati sumus: ita terra, quæ cognatione nos attingit, veluti natiuitatis, vel educationis, carior est, quàm alia sedes, in quam postea, fortunæ arbitrio, traducti sumus, Lycurgus in orat contra Leocrat. apud Plutarchum.

14. Ex his igitur omnibus decisio nostra, qua dicimus, patriam sine venia in ius vocari non posse, cõtra Baldum, contrarium asserentem, abundè confirmata est.

QVAESTIO LIV.

An. quod in l. 4. & 13. de in ius vocand, cautum est, parentes, similesq; personas, quibus reuerentia debetur, sine venia & permissu Prætoris, in ius vocari non posse, porrigatur etiam ad Præceptores?

Et

I.

ET Adfirmatiuè decidit Bart. & DD. in l. generaliter 13. de in ius vocand. Sequitur Petr. Gerardi, sing. 62. incip. Scholares, & Ascan. Clement. in tract. patr. potest. 3. effect. nume. 10. Zas. in §. pœnales, nu. 23. Instit. de act. Quoniam Præceptor loco patris habetur, Roman. in singul. 139. vnde Iuuenalis: Namq; hunc maiores sancti voluere parentis, Esse loco: Et secundum Aristotelem, à parentibus habemus, vt viuamus, à præceptoribus verò, vt benè & virtuosè viuamus, referente Plutarcho in vitis.

2. Hinc, quemadmodum filio persona patris semper honesta & sancta videri debet, l. liberto, de obseq. Ita persona Præceptoris discipulo, glossa in d. mod. l. liberto verb. debet.

3. Hinc Præceptor, pater Scholariũ dicitur, & discipulus, filius præceptoris l. 1. C. de excusat. artific. lib. 10.

4. Hinc est, quod discipulus Præce-

ptori alimenta præstare debet, si non habeat, vnde se alat. Innocent. in c. 1. de Magist. per text. in l. 2. §. fin. de orig. iur. facit l. Aquilius de donat.

5. Facit, quòd quemadmodum defensor ciuitatis, qui est Iudex in paruis causis ciuilibus, non potest à quolibet suorum ciuium in ius vocari sine venia, §. eos autem qui sine mercede, in Nouella constit. vt Iudic. sine quoquo, suffrag. fiant Sneid. in §. pœnales quoq; 32. Instit. de actio. Roland. à Valle, cons. 18. nu. 26. volum. 2. Ita etiam dicendum videtur in Doctore, qui Iudex & ordinarius sui Scholaris est, Auth. habita. C. ne filius pro patre &c. Angel. in d. §. pœnales nu. 7. Instit. de action.

6. Hinc etiam illud est, quòd Scholaris tenetur defendere opinionẽ Præceptoris sui, Petr. Gerard. sing. 62. per l. dicere §. si arbiter, & ibi Bart. de arbitr.

7. In tantum, vt Iudex, qui iudicauit secundum opinionem Præceptoris sui, quamuis sit contra communem, excuse-

cuſetur in Syndicatu à condemnatione expenſarum, quoniam vt diſcipulus, probabiliter ſecutus eſt opinionem ſui Præceptoris, Petr. Gerard. d. ſingul. 62. vbi allegat ad hoc Abbat. in c. 1. de poſtulat. prælat.

8. Quod tamen intelligendum eſt, ſi præceptor ſit Doctor ſolennis, Petr. Gerard. d. ſing. 62. per ea quæ habentur, in c. cum beatiſſimus 24. q. 1.

9. Item intelligendum eſt, dummodo Præceptor non ſit ſolitus tenere opiniones inſolitas, Petr. Gerard. d. ſing. 62. vbi allegat ad hoc Bald. in l. fin. col. 2. in fin. verb. quæro nunquid peritia iudicis præſumatur, C. de pœn. iudic. qui mal. iudic.

10. Debet tamen diſcipulus in iudicando, non tàm attendere auctoritatē Præceptoris, quàm ipſam veritatem, Abbas in d. c. 1. de poſtul. prælat. vbi refert Ariſtotelem, reprobantem quandam opinionem Platonis præceptoris ſui, dixiſſe: Amicus Plato, ſed magis amica veritas. Petr. Gerard. d. ſing 62. in

fine. Atque hæc pro firmanda & ſtabilienda ſententia noſtra affirmatiua adduci ſolent.

11. Non deſunt tamen, qui communem eſſe opinionem in contrarium aſſerunt, quod ſcilicet Scholaris ſine venia poſſit in ius vocare præceptorem, Ioh. Platea Bononienſis Doctor, in d. §. pœnales, num. 156. Ial. nu. 78. & Alexand. in l. generaliter, de in ius vocan. Alciat. ad l. 1. C. eod. Quia non ſit de perſonis comprehenſis in edicto Prætoris, nec de enumeratis in d. tit. de in ius vocand. Plat. Iaſ. Alexand. in loc. mod. allegatis.

12. Poſſunt tamen contrariæ Doctorum opiniones ad concordiam reduci, ſi dicamus, ſententiam Plateæ, Iaſonis, & Alexandri, procedere in citatione verbali: Contrariam verò, in citatione Reali. Atque ita præfati DD. Platea, Alexand. & Iaſon. in locis præcitatis diſtinguunt, vt refert Angel. in d. §. pœnales, d. numero 7. & Sneid. numero 47.

Doctor

13. Doctor namq; actu legens, habet priuilegium, vt non possit capi, nec incarcerari, nec inuitus ad curiam duci. Captura namq; citra iniuriam fieri nequit, quæ omninò à Professoribus submouenda est l. Medicos, C. de profess. & medic. lib. 10

14. Et contra faciens, siue sit Scholaris, siue alius quis extraneus, punitur arbitrio iudicis, d. l. medicos, C. de profess. & medic. lib. 10. Angel. d. num. 7. & Sneid. nu. 48. ad d. §. pœnales, Instit. de action.

15. Alciatus in l. 1. C. eodem, distinguit inter præceptores generales & particulares, vt illi sine venia vocari possint, cum generalis affectio erga totam scholam non adeò efficax sit, vt veniæ petitionem requirat: hi verò sine venia vocari non possint, cum particularis affectio maioris sit efficaciæ quàm generalis.

QVAESTIO LV.

An, quod in l. 4. & l. 13. de in ius vocand. cautum est, patronos, similesq; personas, quibus reuerentia debetur, sine venia & permissu Prætoris, in ius vocari non posse, porrigatur etiam ad dominum feudi, & vasallum?

I.

ET quidem circa hanc quæstionem tres diuersæ Interpretum opiniones reperiũtur, Adfirmatiua, Negatiua & Distinctiua.

2. Adfirmatiuam tenet Speculat. in tit. de feudis, §. quoniam, num. 33. vers. decimo septimo quæritur, ibi: item vasallus non debet famosam actionem mouere contra dominum, nec eum vocare in ius sine venia. Sequitur Iaſ. nu. 4. Zaſ. nume. 7. in l. generaliter 13. de in ius vocand. & in l. si non sortem, §. libertus, de condict. indebit. VVesenbec. de in ius vocand nume. 6 & ibi in allegatis sub lit. r. dicit, hoc vsu seruari. Sequitur

tur item Hartman. Hart. lib 2. pract. obser. tit 54 de feudis, obser. 44. vbi dicit in additione, hodiè in Camera Imperiali vasallum agere volentem contra dominum, veniam debere petere, idq; processibus inserendum esse. Et testatur ita iudicatū fuisse, in causa Nassau, contra Episcopum Caminensem. Sequitur item Iohan. Oldendorp. clas. 1. actio. 4. mihi pag. 54. in fine, & post eum Mynsing in §. pœnales 12. num. 40. Instit. de action.

3. Et comprobatur hæc sententia à præfatis DD. hisce potissimum fundamentis, quòd vasalli æquiparantur patronis, quatenus ad collata beneficia attinet. Nam sicut patronus libertatem concedit: ita dominus ex liberalitate sua dat feudum, vnde alatur & viuat vasallus cum vxore atq; liberis, qua ratione etiam feudum dicitur beneficium, c. 1. ex quib. caus. feud. amitt.

4. Præterea iusiurandum domino præstat vasallus, in quo comprehendi-

tur, se nunquam ex persona sua aliquid facturum aduersus honorem & commodum domini, c.1. de form. fidelit. & c.1. de nou. for. fidelit.

5. Facit & ipsa honestatis ratio & disciplina publica quam Prætor in hoc edicto de in ius vocan. obseruauit, d.l. generaliter 13. de in ius voc. cum similib.

6. Denique fauorabile hoc est, & ad reuerentiam domini feudi pertinet, ideoq; producendum potius, quàm coarctandum, argum. c. odia. de reg. iur. in 6. l. cum quidam, de liber. & posthu. &c. cum similibus.

7. Et hæc fundamenta pro hac ampliatione, maximè ponderat Mynsing. d. §. pœnal. 12. n. 4. Instit. de act. post Oldendorp. d. clas. 1. act. 4. pag. 54. vbi subijcit, tota via errare, qui diuersum sentiunt, quia non habeant rationem publicæ honestatis.

8. Contrariam sententiam negatiuam, quòd sc. vasallus cum domino suo litigare volens, possit dominum feudi, non impetrata venia in ius vocare, tenet

net gloss. communiter approbata in c. vnic. in verb. reuerentia, de milit. vasal. qui contumax est. Quam sequuntur ibi Bald. Iacob. de Beluiso, Aluarot. Præpos. Matth. de afflict. & alii, Ioh. de Platea, nu. 157. Faber, nu. 2. Ang. nu. 8. Zas. nu. 26. & in effectu las. nu. 72. ad d. §. pœnales, Instit. de action. Iacobin. de S. Georgio, de feudis, super verbis: dictiq; vasalli promiserunt non committere feloniam, in 24. causa priuationis, Molin. in consuet. Parisior. tit. 1. §. 1. gloss. 4. nume. 34. circ. finem. Eberhardus in Topicis legalibus, in loc. à liberto ad vasallum 25. non procul à fine, vers. nō tamen semper procedit hæc argumentatio, vbi dictam glossam notabilem, & memoriæ commendandā dicit, & ab eius opinione, quæ communis sit, & magis approbata, non esse recedēdum suadet. Item sequitur Iul. Clar. lib. 4. recept. sent. §. feudum, q. 25. nu. 1. vbi subijcit in fine, ita se semper vidisse seruari. Sequitur etiam Mynsing. cent. 5. obser. 92. vbi contrariam sententiam,

quam

quam in Institutionibus, vt paulò ante monui, secutus est, tāquam minus probabilem & iuuenili ætate à se approbatam, reuocat. Et subijcit, hanc sententiam, Germanis moribus comprobari, eandemq; expressim secutos fuisse dominos Camerales in causa der Großleger/ contra comitem de Hanaw. Et cum obiecta esset exceptio veniæ impetrandæ, ad impediendam litis contestationem, pronunciatum fuisse, comitem exceptione illa non obstante, ad litem contestandam teneri. Sequitur etiam Schurff, cent. 2. cons. 77. nu 10. vbi communem hanc opinionem attestatur à qua in iudicando nequaquam sit recedendum. Et subijcit: eam se in practica & iudiciis sæpius seruatam vidisse. Sequitur etiam Laur. Kirch. in Thesaur. com. opin. sub lit. V. verb. vasallus potest dominum suum in ius sine venia vocare, vbi subijcit in fine, hanc sententiam communem esse, & rationibus firmioribus defendi posse. Idem Kirch. in l. 1. num. 30. vers. de vasallo, C. de in ius voc.

Deni-

Deniq; hanc sententiam nouissimè sequitur Iohannes Borcholten, in tract. feud. c. 10. nu. 38.

9. Pro stabilienda autem hac sentẽtia, & refutanda contraria, præfati DD. hæc fundamenta adducunt.

Primò, quod licet libertus patronum sine venia in ius vocare non possit, l. pen. & vlt. & tot. penè tit. de in ius voc. & argumentum à vasallo ad libertum regulariter valeat, vnde etiam ex hac æquiparatione multa DD. inferũt, quæ recenset Eberhard. in Topic. legal. d. loc. a liberto ad vasallum: tamen hoc argumentum, siue comparationem à liberto ad vasallum, perpetuam non esse sed fallere sæpissimè, imò iuri nonnunquam contrariam esse.

10. Probatur primò, quòd libertus multò magis sit obstrictus patrono, à quo libertatem, rem inæstimabilem accepit, l. libertus, de reg. iur. quàm domino vasallus, à quo feudum accepit, vt ipse eiusq; hæredes fideliter seruiant.

11. Secundò, quod de reciproca fidè

inter

inter dominum & vasallum passim in consuetudinibus feudalib. statutum est, & maximè in c. 1. §. vlt. de for. fidelit. vnde vulgatum illud trewer Herr / trewer Knecht / quem textū ob id singularem, & sanctum ius continere, sed dominis terribilem esse, Bald. ibi dixit: id de liberto & patrono nulli scriptum reperiri.

12. Tertiò licet liberto persona patroni honesta semper & sancta videri debeat, teste Vlpiano, in l. liberto, de obseq. parent. & patron. præstand. tamē hanc sanctitatem & honestatem inter dominum & vasallum, sæpissimè negligi.

13. Hinc est, quòd dominum vasallus impunè deprædare potest, si ab ipso spoliatus, aliter suum consequi nō possit §. si verò vasallus, in fine, de milit. vasal. qui contum. est.

14. Quartò, vasallum non comprehendi edicto Prætoris, igitur prohibitiones istas pœnales, in suis duntaxat casibus obtinere debere.

Quin-

15. Quintò, ambages Iuris Ciuilis, in feudalibus consuetudinibus locum nō habere.

16. Sextò, à glossæ, & cōmuni DD. opinione, in iudicando & pronunciando non esse recedendum.

17. Hæc ferè sunt fundamenta, quæ præfati DD. pro firmāda negatiua sententia adducunt. Quibus addatur Baro à Tautenberg ad d. tit. de mili. vasal. quī contum. est, §. Si verò vasallus, & Mynsi. d. cent. 4. obs. 91.

18. Alii, qui mediam sequuntur viā hanc sententiarum discrepantiam, distinctionis quodam fœdere conciliare conantur. Nam Alciatus in l. 1. C. eod. ita distinguendum putat, vt si de ipso fiduciario fundo litigetur, eo in casu veniam impetrari oportere, alioquin extra eā causam secus esse, magis enim hos clientes, quàm libertos esse.

19. Iacobinus de S. Georgio, in tract. de homagio nume. 26. & post eum Roland. à Valle, consil. 18. nume. 15. volum. 2. ita distinguunt, vt si Princeps aliquis

aliquis dominus in ius sit vocandus, venia omninò sit petenda: Sin verò inferior à Principe sit vocandus, veniæ impetratione opus non esse.

20. Mouentur primò per notata Baldi, in l. benè à Zenone, C. de quad. præscript. vbi quis non potest mouere quæstionem Principi suo, nisi prius petita venia, quòd Baldus ibi etiam ad fiscum producit. Et subijcit, consilium dando, vt si quando quis velit contendere in iudicio contra tales personas, ante omnia veniam petat.

21. Secundò mouentur per notata Matth. de afflict. in c. 1. §. præterea, num. 2. de prohibit. feud. alienat. per Frederi. qui dicit, quòd si vasallus velit agere contra fiscum, veniam petere debeat. Ergò multò magis, si contra dominum agere velit, argum. Auth. multò magis, C. de sacrosanct. Eccles.

22. Tertiò mouentur, quòd Princeps pater omnium sit communis. Sed patrem à filio in ius vocari non posse sine venia, siue filius sit emancipatus, siue in po-

in potestate: siue positus sit in dignitate siue non: siue agat iure actionis, siue officio Iudicis. Ergò nec Principem, qui loco parentis habeatur, Roland. à Valle, d. cons. 18. vol. 2. num. 18. 19. 20. 21. per allegata ibi adducta.

23. Nec obstare, si dicatur, Principem, patrem quidem omnium communem dici, verùm impropriè & abusiuè. Nam respondendum esse: etiam patrē adoptiuum, defensorem ciuitatis, presbyterum, Parochianum, & socerum impropriè, & per fictionem quandam, patres adpellari, & tamen in ius sine venia vocari non posse, propterea quòd parentum loco habeantur. Meritò igitur idem quoq; in Principe statuēdum, Roland. à Valle, d. consil. 18. volum. 2. nu. 22. cum sex seqq per allegata ibi adducta.

24. Non etiam obstare glossam communiter approbatam, nec ibi DD. in c. 1. de milit. vasal. qui contumax est: quoniam respondendum sit secundum Præpositum. Laudens. Afflictum ibi & Iacobin.

cobin.de S.Georg.in d.tract.de homag. gloſſam prædictam, nec in fiſco, nec in Principe loqui, ideoque ad illos non eſſe porrigendam, Roland.d.conſ.18. vol. 2.nu.29.

25. Per hanc diſtinctionem, ſi vera eſſet (de quo addubitat D.Ioh.Borcholt in d.tract.de feud.c.10.num.38. in fine) ſuperior ſententiarum diſcrepantia, facilè conciliari poſſet.

26. Sneid.in §. pœnales 12. Inſtitut. de action. & in tractat. de feud. part.5. nume.115.116. pro euitandis iſtis diſputationibus conſuluit, vt, ſi quis vaſallus velit dominum ſuum in ius vocare, ſemper id faciat, petita prius venia. Et ſubijcit, vidiſſe ſe ex conſilio aduocatorum, in facti contingentia, quendam vaſallum, cum dominum ſuum in ius vocare vellet, à rege Romanorum veniam petiiſſe, vt hac ratione dominum impunè in ius vocare poſſet.

27. Et refert Zaſ. ad d. §. pœnales, nume. 26. ſe vidiſſe vaſallum, virum nobilem, cum haberet litem cum domino

feudi

feudi, antequam eam instituere t, refutasse feudum in suo conspectu, reddendo literas inuestituræ. Et subijcit, licet illa refutatione & restitutione opus non fuisset, tamen, ne quid contra nobilitatem, quæ candidissimè integra esse consueuerit, committeret, id eum fecisse.

28. Et quod de domino feudi in affirmatiua sententia diximus, vt sine venia in ius vocari non possit: id quoque ad matrem eius porrigitur, vt in specie consuluit Roland. à Valle, d. sæpius consil. 18. nume. 30. cum nouem sequentibus, per iura & fundamenta ibi adducta.

QVÆSTIO LVI.

An quis inuitus ex domo sua extrahi, & in ius vocari possit.

I.

ET quidem negatiua sententia comprobatur, in l. plærique putârunt 18. l. sed etsi is 21. de in ius vocand. l. 4. §. prætor & §. toties. de dam. infect. l. nemo 103. de reg. iur. Cuiac. lib 7 obs. c. 15. in princ Iohan Robert. lib. 3 sent. Iur. c. 1. circ. med. Petr. Peck. in tract. de iur. sistendi, & manuum iniectione, c. 6. num. 3. Anton. Gabr. Rom. lib. 7. commun. conclus. conclus. 10. in princ. Mynsing. cent. 4. obs. 69. in princ. And. Gail. in pract. obs. Camer. Imper. lib. 1. obs. 48. num. 14. vers. vbi vide. Francisc. Viui. in commun. opin. verb. capi non potest, num. 1. & 2. Tùm, quòd domus cuiq; sua, tutissimum refugium atque receptaculum sit, d. l. plæriq; 18. de in ius vocand. Vnde Xenophon lib. 7. παιδ. κύρου, οὐδὲ, inquit, ὁσιώτερον ἐστὶν οὐδὲν, οὐδὲ ἡδίον οὐδὲ οἰκειότερον χωρίον ἐν ἀνθρώποις, οἴκου ἰδίου. Et post Xenophontem Cicero in orat. pro domo sua. Quid est sanctius, inquit, quid omni religione muni-

munitius, quàm domus vniuſcuiuſq; ciuium. Hic aræ ſunt, hic foci, hic dii penates, hic ſacræ religionis ceremoniæ continentur, hoc perfugium eſt ita ſanctum omnibus, vt inde abripi neminẽ fas ſit, Franc. Viuius d.nu.2. Tùm, quòd ſatis puniatur, dum latitat & non defenditur, l. ſatisq; pœnæ 19. de in ius voca. Tùm, quòd aduerſarius, in poſſeſſionẽ bonorum eius mittatur, d. l. ſatisq; pœnæ 19. l. 7. §. prætor. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.

2. Primò ampliatur hæc concluſio, vt procedat in tantùm, vt ſi quis ex domo ſua vocetur, vim pati videatur, & eum, qui vocat, iniuriarũ teneri: tanquã violata tutela & immunitate, quam ſua cuiq; domus, vel ſuperſtiti, vel mortuo, præſtare debet, d. l. plæriq; 18 in fin. & ibi gloſſ. de in ius vocand. l. qui in domum alienam, de iniur. Nouel. 60. vt defuncti ſeu funer. eor. non iniurientur à creditor.

3. Secundò ampliatur hæc concluſio, vt procedat nedum in domo pro-

pria, sed etiam aliena conducta, vel quâ quis gratis inhabitat, Iaſ. in d. l. plæriq; 18. nume. 4. Mynſing. d. obſer. 69. cent. 4. Anton. Gabriel. Roman. d. concluſ. 10. nume. 2. Petr. Coſtal. in aduerſ. ad d. l. plærique, per l. Lex Cornelia, §. domum, de iniur. l. 1. §. habitare, de his qui deiecer. vel effud. l. 1. §. 1. de liber. agnoſc. cum multis aliis auctoritatibus à Iaſone, & præſertim Gabrielio, ad id citatis.

4. Tertiò ampliatur hæc concluſio, vt procedat etiam in domo adiudicata ex primo decreto, Iaſ. in d. l. plærique, nume. 5. Mynſing. d. obſer. 69. Anton. Gabriel. Roman. d. concluſ. 10. nu. 3. per ibi allegata. Licet à Baldo in Authen. ei qui, C. de bon. auctor. Iudic. poſſid. cõtrouertatur, per ea quę notauit Gabrielius d. concluſ. 1. nu. 4.

5. Quartò ampliatur hæc concluſio, vt procedat etiam in capana, domuncula, vel cãſa paſtorali, & minimo viliſſimoq; tuguriolo, Iaſ. d. l. plæriq;, nu. 6. & 7. Mynſing. d. obſer. 69. cent. 4. Anton. Gabriel.

Gabriel.Roman.d.concluſ.10.nu.5.& 6. Petr.Peckius in d.tract.de iur. ſiſt. c. 6. num.3.

6. Quintò ampliatur hæc concluſio, vt procedat etiam in ſtabulo iuncto domui, quia pars domus reputatur, Iaſ.d.l. plæriq;,nu.8.Mynſ.d.obſ.69.Ant. Gabr. Rom.d.concluſ.10.nu.7.Petr.Peck. d.c. 6.num. 3.

7. Sextò ampliatur hæc concluſio, vt procedat etiam in horto, ad quem ex domo aditus eſt, quiq́ue domui continuus eſt. Idq́ue ratione connexitatis receptum eſt, quæ operatur, vt vnitas cenſeatur, cum connexorum idem ſit iudicium, Iaſ.in d.l.plærique, nume. 11. Mynſing.d.obſ.69.cent.4. Anto. Gabr. Roman. d. concluſ.10.nu.11. Petr.Peck. d.c.6. nu. 3.

8. Hinc domo vendita, cenſetur vẽditus hortus, ſi ſit aditus ex domo in eum, Iaſ.in l. beneficium, de conſtitut. princ.

9. Et vendita domo, intelliguntur venditæ ſtatuæ, ſi domui cohærent,

affixæque sint ac connexæ, Mynsing.d. obs.68 per l nemini 7.C. de ædific. priuat.& l. senatus, de contrahen. empt. Et ita iudicatū fuisse in auditorio Rotæ,refert Marcus Antonius Bardus in tract. de tempore continuo & vtili, cap. 18.num. 20. vnde id refert Mynsing.d. obs. 69.

10. Septimò ampliatur hæc conclusio nostra,vt procedat, etiam in domo fugæ ergò occupata,Ias.in d.l.plærique, nu.12.Mynsd.obser.69. argum.l.quis sit fugitiuus, ff. idem Cælius, cum glossa, de ædil. edict.

11. Octauò,ampliatur hæc conclusio nostra,vt procedat etiam in naui. Nautæ igitur ex naui extrahi non possunt, cum naues prædio vrbano æquiparẽtur.Ias.in d.l.plæriq;,num.9.Anton.Gabriel.Roman.d.concluſ.10.num.8.Petr. Peck.d.c.6.num.3.vers. Quinimò etiam ad naues.Alber.de Rosat.ad l. pen. ff. fi. per illum tex.de his qui deiec. vel effud. Petrus Costal.in aduersar. ad d.l. plærique,de in ius vocan.And.Tiraqu.de re-

tract

tract. lignagier §. 1. gloss. 7. nume. 88. 89. quem omninò videte. Quamuis solus Ludouicus Romanus, ad l. 1. §. domini adpellatione 6. ad SC. Syllan. per text. in l. 1. §. si quis de naui, de vi & vi armat. contra sentiat, vt annotatum est à Iasone, in d. l. plæriq;. num. 6. Anton. Gabriel. Roman. d. conclus. 10. num. 9. Petr. Peckio, d. c. 6. nume. 3. d. vers. Quinimò etiam ad naues, Petr. Costal d. l. plæriq;. Ph. Decio, ad l. nemo 103. nume. 3. & ibi Carol. Molin. in addit. sub lit. g. vbi respondent ad d. §. si quis de naui, à Romano in contrarium adductum, de reg. iur. Absq; iusta tamen ratione, vt videtur Petr. Peck. d. c. 6. num. 3. in d. modò versic. vbi subijcit, Romanum imperitos plęrosq; Iudices sequi. Probabiliter, vt videtur Petro Costalio, in aduersariis. ad d. l. plæriq;.

12. Hanc tamen ampliationem nostram ita intelligendam & declarandam existimat Petr. Peckius, d. num. 3. versi. quod tamen, vt procedat in nauta, qui in naui habitandi causa quodammodo

commoratur, ad instar eius, qui ad annum, vel longum tempus in publico diuersorio vel hospitio cubiculū aliquod conduxisset, l. 1. §. habitare l. pen. §. in factum, naut. caup. stabul. Quo casu nō vt aduena, capi vel arrestari, sed tanquā is qui domicilium ibi habet, ordinario iudicio, si modo fugæ nullus metus accedat, conueniri debet, Peckius d. mod. loco: Secus si nauta, tanquam viator in naui existat: Quo casu capi ibi & arrestari poterit, ad instar hospitis & viatoris, qui in publico hospitio degit, sicuti vsus & experientia quotidiana docet. (Nisi fortè priuilegium ciuitatis singulare repugnet) Petr. Peck. d. mod. vers. quod tamen.

13. Nonō ampliatur conclusio nostra, vt procedat etiam in molitore siue molendinario: Nam & huic molendinum suum loco domus esse solet, Ias. ad d. l. plæriq;, nu. 10. Ant. Gabr. Roman. d. conclus. 16. num. 10. Dec. ad d. l. 103. nu. 2. in fine, de regul. iur. Petr. Peck. d. c. 6. num. 3.

Nec

14. Nec obstat, si dicatur ex Baldo, in l. certi iuris, C. locat. molendinum, rusticum esse prædium, & non vrbanum: Nam respondendum est, non tãtùm in vrbano prædio, sed etiam in rustico, quod habitationis causa comparatum est, dispositionem d. l. plærique 18. de in ius vocand. procedere. Anton. Gabriel. Roman. d. conclus. 10. num. 10.

15. Decimò ampliatur hæc conclusio nostra, vt procedat, etiamsi summa debita sit maxima, Ias. d. l. plærique, num. 15. Anton. Gabriel. Roma. d. conclus. 10. num. 13. vbi hæc ampliatio communis perhibetur. Petr. Peck. d. c. 6. num. 3.

16. Vndecimò ampliatur h. c. n. vt procedat etiam in hospitio, quod quis ad longum tempus conduxit. Anto. Gabriel. Roman. d. conclus. 10. nume. 16. Ph. Dec. ad d. l. 103. nume. 1. vers. & idem videretur esse in hospitio, vbi respondet ad fundamenta Baldi in contrarium adducta.

Duo-

17. Duodecimò ampliatur h. c. n. vt procedat etiam in Ecclesia, siue templo, Iaſ. in d. l. plæriq;, num. 6 Pet. Peck. d. c. 6 nu. 1. per multa allegata ibi adducta, And. Gail. lib. 1. pract. obſer. obſ. 48. nu. 14. 15. 16.

18. Quæ ampliatio in tantùm procedit, vt etiamſi debitor de fuga ſit ſuſpectus, tamen in Eccleſia capi aut arreſtari non poſſit, Pet. Peck. d. c. 1.

19. Item in tantùm procedit, vt etiã ſi non ex propoſito, ſed velocitate fugæ eò peruenerit debitor, tamen ab inſequentibus ſatellitibus detineri nõ poſſit, Petr. Peck. d. nume. 1. circ. fin. Iul. Clar. lib. 5. recept. ſent. §. fin. quæſt. 30. num. 19.

20. Item in tantùm procedit, vt etiã cuſtodes, delinquenti, qui ad eccleſiam confugit, adponi non poſſint, ad hoc, ne alimenta ad eũ deferantur, Iul. Clar. d. q. 30. num. 21. vbi communis perhibetur. Licet in aliquibus locis contrarium ſeruetur, vbi per victus ſubtractionem, exire, patriam abiurare, & in exilium abire

abire compelluntur, cum hac comminatione, vt si reuertantur, & denuo in Ecclesia capiantur, non gaudeant amplius eius immunitate, sed inde abripiantur, & vltimo supplicio tradantur, Iul. Clarus, d. modò nume. 21. versic. in aliis tamen locis.

21. Item in tantùm procedit, vt etiã locum habeat in semel carceratis, qui effracto carcere ad Ecclesiam confugerunt. Nam & hi eius immunitate & securitate gaudere debent, Iul. Clar. d. num. 19. vers. quinimo cum semel carcerati, & num. 22. in princ. Adeò, vt si quis extractus fuerit, Ecclesiæ restitui debeat, Iul. Clar. d. modò nume. 19. versic. Quinimò, vbi exempla huius restitutionis refert. Licet aliquando contrarium fuisse iudicatum referat Chas. in loco relato à Iul. Clar d. modò versic. quinimò.

22. Item in tantùm procedit, vt etiã damnatus & bannitus capitaliter, si ad Ecclesiam confugiat, eius securitate gaudere debeat, Iul. Clar. d. q. 30. nu. 22.

versic.

versi. Quinimò prodest etiam. Adeò, vt si quis extractus fuerit, Ecclesiæ restitui debeat, Iul. Clar. d mod. versi. quinimò, prodest etiã, vbi exemplum refert.

23. Item in tantum procedit, vt, licet Ecclesia illa nondum fuerit consecrata, aut diuina officia in ea celebrata, si modo auctoritate Episcopi constructa fuerit, tamen confugis suis securitatem præstet, Iul. Clar. d. q. 30. nu. 4. vbi hanc communem asserit.

24. Item in tantum procedit, vt etiã Ecclesia interdicta, immunitatem præstet. Cum honos, qui Ecclesiis debetur, propter hominum culpam cessare non debeat, Iul. Clar. d. q. 30. nu. 5.

25. Item in tantum procedit, vt etiã Ecclesia destructa sine auctoritate superioris, quæq; spem refectionis habet, hoc immunitatis priuilegium retineat, Iul. Clar. d. q. 30. n. 6. vbi com. opin. perhibetur.

26. Item in tantum procedit, vt non modò Ecclesiæ ipsius ambitus huius immunitatis priuilegio gaudeat, sed etiam

iam si matrix sit Ecclesia, quicquid per quadraginta passus, si verò inferior sit Ecclesia, quicquid per 30. passus circũiacet, Ias. in d.l. plæriq; 18.n.16. Iul. Clar. d.q.30.nu.2.vbi refert exemplũ. Atq; ita iure cõmuni obtinet per modò allegata. Licet id hodie consuetudine sublatum dicat Iul. Clar. d. modò nu. 2.

27. Item in tantum procedit, vt etiã Palatiũ Episcopi, non modò annexum Ecclesiæ, sed etiam ab ea separatum, & vltra 40. passus ab ea dissitum, hac immunitate gaudeat. Iul. Clar. d. q. 30. nu. 3. vbi communis hæc opinio perhibetur. Licet Didac. Couar. lib. 2. resolut. c. 20. velit, palatium Episcopi tunc demũ, hac immunitate gaudere, si constructũ sit intra 40. passus ab Ecclesia, & hanc sententiam frequentiori omnium vsu receptam Iu. l Clar. d. mod. nu. 3. refert.

28. Item in tantum procedit, vt supra dicta Ecclesiarum immunitas, nullis Principũ constitutionib. nullis ciuitatũ statutis. nullis legislationib. cõuelli, aut eleuari possit. Pet. Peck. in d. trac. de iur.

sistend,

sistend.c.6.nu.1 per c. S. Mariæ, de constit. Auff. decis. Tholos. 422. Iohan. de Turrecremata ad c. Sacrilegium, 10. q. 4. Quoniam à Deo opt. max. inuenta sit, ideoq; citra iniuriam Dei & Sanctorum, eam violari non posse, Petr. Peck. d.c.6.num.1. per c. frater, c. miror, 10. quæst. 4.

29. Item in tantum procedit, vt Ecclesiæ, omnibus generaliter delinquentibus immunitatem præstare debeant. Iul. Clar. d.q.30.nume.8.&9.vbi communis illa omnium canonistarum opinio perhibetur, & atrociora quædam crimina excipiuntur, & diuersitas inter Ius canonicum & ciuile ostenditur.

30. Decimò tertiò ampliatur conclu. nostra, & quod modò de Ecclesiæ immunitate dictum est, vt procedat etiam in eo, qui confugit ad sacerdotem, sanctam Eucharistiam in manibus portantem. Ideoq; si condemnatus ad mortem, aufugiat è manibus satellitum, & amplectatur sacerdotem, sacratissimam

Eucha-

Eucharistiam portantem, à pœna liberandus erit, perinde ac si ad ipsam Ecclesiam confugisset, Iul. Clar. d. q. 30. nu. 24. & q. 98. nume. 2. vbi communis hæc opinio perhibetur. Sequitur Petr. Peck. in d. tract. de iur. sistend. c. 6. nu. 2. Cum enim in ipsa Eucharistia sit Christus Iesus, propter quem Ecclesia gaudet hoc priuilegio, multò magis in eo idem dicendum est, quod in Ecclesia. Nam propter quod vnumquodq; tale est, illud magis tale est, Iul. Clar. d. q. 30. num. 24. in fin. Et si Adonias, filius Dauidis, timens Salomonem Regem, fugiensq; in tabernaculum domini, & tenens cornu tantùm altaris, immunis fuit, vt scriptum est lib. 3. Reg. c. 1. Quātò magis immunitas concedenda est illi, qui ad Pastorem, deferentem tàm precioſum thesaurum, cibum Angelorum, dominum cœli & terræ, iudicem & vindicem omnium, liberatoremque nostrum, confugit. Cum certè non sit minus tribuendum Pastori, in cuius manu esse dignatur dominus, quàm e-

iusmodi altari, in quo olim Deus celebrabatur, & ad quod Adonias confugiens, saluatus fuit. Petr. Peck. d. c. 6. nu. 2. Licet glossa in c. quæsitum, verb. in patibulis, 13. quæst. 2. contrà sentiat, hoc fundamento, quòd priuilegia Ecclesiæ, non sint trahenda in consequentiam. Quam communiter reprobatam testatur Iul. Clar. d. q. 30. nu. 2.

31. Decimò quartò ampliatur, vt etiam procedat in domibus Cardinalium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Iul. Clar. d. q. 30. nu. 26. vbi consuetudine ita seruari attestatur.

32. Decimò quintò ampliatur, vt procedat etiam in domibus Canonicorum, intra ambitum Ecclesiæ existentibus, Pet. Peck. d. c. 6. nu. 2 per auctoritatem Barbatiæ, in cons. 33. lib. 4.

33. Decimò sextò ampliatur, vt etiâ procedat in Monasteriis, Pet. Peck. d. c. 6. nu. 2. in princ. per ibi allegata.

34. Decimò septimò ampliatur, vt etiam procedat in Hospitalibus, Ias. in d. l. plærique, 18. nume. 16. in fine, de in

ius

ius vocand. Petr. Petk. d. c. 6. nume. 2. in prin.

35. Decimò octauò ampliatur, vt etiam procedat in scholis publicis Academiarum, quæ veluti domus propriæ sunt studiosorum. Si igitur Scholaris, pro euitanda pœna, vel arresto, confugiat ad auditorium, inde inuitus extrahi vel auferri non debet. Pet. Rebuff. in priuileg. studios. priuileg. 102. Sequitur Iul. Clar. d. q. 30. nu. 25. vbi ita consuetudine seruari testatur, sequitur item Pet. Peck. d. c. 6. nu. 5.

36. Decimò nonò, ampliatur, vt procedat etiam in statuis Principum. Proindeque si debitor ex contractu vel delicto, confugiat ad statuas Principum, inde inuitus auelli non debet. Iul. Clar. d. quæst. 30. nume. 27. per l. vnic. C. de his qui ad stat. confug. vbi hanc communem opinionem testatur ex Remigio, de immunit. Eccles. fol. 97. in 23. ampliat. Licet Restaurus in tract. de Imperatore, q. 96. hoc de consuetudine nō obseruari, nec receptū esse, attestetur,

vt idem Iul. Clar. d. num. 27. scribit. Cui etiam ipse ibidem astipulatur, subijciens, quòd contrarium vix posset in practica obtineri.

37. Vicesimò ampliatur h. c. n. vt procedat in tantum, vt si quis pro debito, matrem familias ex domo propria ad carcerem traxerit, pœna capitis puniatur. Iul. Clar. lib. 5. recept. sent. §. fin. q. 68. num. 12. per l. 1. C. de offic. diuers. iudic. Et si quis per vim de Ecclesia aliquem extraxerit, similiter pœna mortis, vt læsæ Maiestatis reus, puniri iubetur, Iul. Clar. d. modò q. 68. nume. 12. per l. fideli, C. de his qui ad Eccles. confug.

38. Cæterum, hic sciendum, hodie propter ingentem numerum Ecclesiarum, & frequentiam delinquẽtium hãc Ecclesiarum immunitatem, à consuetudine valde esse restrictam: aliàs enim de facili quilibet malefactor, euaderet manus Iustitiæ, cum nulla ferè sit via in ciuitatibus, in qua non sit vna, & quandoq; etiam plures Ecclesiæ, ita, vt priusquam

usquam caperetur delinquens, facilimè posset in aliquam earum se recipere, maximè nemine persequente: Quod tamen esset contra mentem eorum, qui Ecclesiis immunitatem hanc tribuerunt, non quidem vt essent asyla delinquentium, & speluncæ latronum, sed vt præstarent refugium miseris, qui humana fragilitate, aut casu, in aliquod crimen incurrissent, Iul. Clar. d. quæst. 30. num. 1. in fin. Et Iustinianus Imp. in Nouel. constit. 17. c. 7. post princ. eleganter inquit: ἡ τῶν ἱερῶν ἀσφάλεια, ἐτοῖς ἀδικήσι, ἀλλὰ τοῖς ἀδικουμένοις δίδοται. h. e. innocētes asyla tuentur, non nocentes.

39. Non igitur habent ius Asyli, latrones viarum, depopulatores nocturni agrorum, raptores virginum, sicarii, adulteri, sacrilegi, fures, læsæ Maiestatis rei. Nouella 17. c. 7. in princ. Nouel. 37. & 117. circ. fin. Iul. Clar. d. q. 30. nume. 8. 9. 10. num. 14. c. inter alia 6. vers. nisi publicus latro, de immunit. Eccles. c. 1. de homicid. cum similibus.

40. Et non solum iure nostro, sed etiam

iam iure Mosaico, Asyla iis tantùm proderant, qui nolentes sanguinem effudissent. Si volentes, adeò non proderant, vt etiam ex altari abstrahi possent, Exodi 21. nume. 35. Deut. 4. & 19. Ios. 20. 3 Regum 1. 2. Addite ea quæ de iure Asylorum fusius notaui ad d. Nouel. 17. c. vndecimo.

41. Et hactenus de ampliationibus conclusionis nostræ, restat, vt nunc de limitationibus eiusdem dispiciamus.

42. Primò itaque limitatur conclusio nostra, qua dicimus: Neminem ex sua domo extrahi, aut inuitum in ius vocari posse, vt non procedat in domo aliena, Ias. d. l. plærique, 18. nume. 22. de in ius vocand. Anton. Gabriel. Roman. d. conclus. 10. nume. 28. Petr. Costal. ad. d. l. plærique. Quoniam textus in d. l. plærique, & in d. l. nemo 103. loquitur de domo sua. Igitur à contrario, diuersum erit statuendum in domo aliena, argumento sumpto à contrario sensu legis, quod in iure nostro fortissimum, frequens & vtilissimum esse,

esse, fusissimè comprobat Eberhardus in Topic. legal. loc. à contrario sensu 82.

43. Quæ tamen limitatio, intelligenda & declaranda est, vt procedat, nisi dominus domus, ingressum domus suæ prohiberet, quo casu illicitus est ingressus, & captura prohibita. Iason d. mod ò nume. 22. per l. iniuriarum, l. qui domum alienam, de iniur. l. Diuus de seruit. vrban. prædior. Anton. Gabriel. Roman. d. conclus. 10. nume. 24. licet à Decio reprobetur, in d. l. 103. de reg. iuris.

44. Item, intelligenda est, vt procedat, nisi domus sit viri, vxoris vel patris: etiamsi filius fuerit emancipatus. Quo casu domus filii, non aliena, sed propria reputatur, proindeq; inde inuitus extrahi non debet, Ias. d. nume. 22. in fine, Anton. Gabriel. Roman. d. conclus. 10. nume. 30.

45. Secundò limitatur conclusio n. vt non procedat, etiam in domo pro-

pria, non inhabitata. Propria namque cuiusq; domus hoc casu tantùm dicitur illa, quàm quis tempore, quo extrahitur, inhabitat, Iaſ. d. l. plærique, nume. 23. Anton. Gabriel. Roman. d. concluſ. 10. num. 31.

46. Tertiò limitatur hæc concluſio noſtra, vt non procedat in porticu domus, nam quod in porticu domus fit, in domo factum non videtur, Iaſ. d. l. plærique, num. 19. Anton. Gabr. Rom. d. concluſ. 10 num. 23. Franciſ. Viuius in Theſaur. commu. opin verb. capi non poteſt perſonaliter, nu. 4. vbi communis hæc ſententia perhibetur.

47. Quod tamẽ ita intelligendũ eſt, ſi porticus, ab ædibus ſeparata ſit, ſecus verò erit, ſi ædibus adhæreat, Pet. Peck. in d. ſæpius tract. de iur. fiſt. c. 6. nume. 4. in princ. vbi ita rectiſſimè diſtinguit, poſt Zaſ. ad l. cætera, §. hoc ſenatus, & ibi quoq; Iaſ. nu. 6. in verb. quia eſt ſeparata, de legat. 1. Caſtrenſ. ad l. quod conclaue, de dam. infect. Quoniam connexorum eadem eſt ratio, ſeparatorum verò

verò diuersa, Petr. Peck. d. mod. num. 4. per c. super eo, de parochiis.

48. Quartò limitatur conclusio nostra, vt non procedat in ostio extra clausurā domus, secus si in ostio intra clausuram domus, Ias. ad d. l. plæriq;, nu 20. Anton. Gabr. Roman. d. concluſ. 10. nu. 24. Petr. Peck. d. c. 6. num. 4. Nam quicquid fit in ostio intra clausurā domus, id factum dicitur in ipsa domo: quod verò fit extra clausuram ostij, id extra domum factum dicitur, Anton. Gabr. Roma. d. concluſ. 10. num 25. Pet. Peck. d. c. 6. num. 4. vbi allegant ad hoc Bart. Bald. Imol. & Socin. in locis ibi adductis.

49. Quod tamen ita intelligendum est, vt procedat, nisi aliqua pars corporis, vel aliquod membrum, esset intra clausuram domus. Quo casu captura non extra domum, sed intra domum facta videretur. Ita sublimitat supradictam limitationem, Marian. Socin. in tract. citat. in 17. art. 2. q. 5. ampliat. ex mente Iohan. Petrucij. Et subijcit istam

opinionem æquam & fauorabilem videri, licet ipse de ea dubitet. Refert Anton. Gabr. Rom. d. concluſ. 10. nu. 26.

50. Quintò limitatur concluſio noſtra, vt non procedat in ſcalis parieti domus ab extra incumbentibus, vel adpoſitis, Iaſ. in d. l. plærique, num. 21. Anton. Gabriel. Roman. d. concluſ. 10. nume. 27. Petrus Peck. d. c. 6. nu. 4. per auctoritatem Bald. in l. fiſtulam, §. ſcalis, de ſeruit. vrban. prædior. Quamuis Ludouicus Romanus, in d. l. plæriq;, per iura parum probantia contrarium ſentiat, Iaſ. d. l. plæriq;, nume. 21. Anton. Gabr. Roman. d. concluſ 10. nu. 27. Petr. Peck. d. modò nu. 4. in fine, vbi ſubijcit, Baldi ſententiam moribus noſtris magis approbatam videri.

51. Sextò limitatur concluſ. noſtra, vt non procedat in apotheca, vnde quis extrahi impunè poteſt, Iaſ. in d. l. plærique, num. 17. Anton. Gabriel. Roma. d. concluſ. 10. nume. 18. Petr. Coſtal. d. l. plærique. Adeò, vt etiamſi apotheca ſit connexa domui, vt per eam aditus in do-

in domum haberi possit, Ias. in d. nu. 17. vbi dicit ita limitationem nostram notabiliter ampliari à Castrense, in consil. 43. viso puncto suprascripto. vbi tamen hac de re nulla in meo codice mentio. Sed facit, quod notatur à Castrense, in cons. 92. vol. 1. Petr. verò Peck. d. c. 6. nu. 4. ita distinguendum putat, vt si apotheca domui connexa sit, inde quis extrahi non possit: Si verò non sit connexa, vt tunc impunè extrahi possit: Quoniã connexorum eadem sit ratio, separatorum verò diuersa, per d. c. super eo, de parochiis.

52. Apothecæ, cellæ sunt vinariæ, in libris nostris, l. 11. §. qui vinum, locat. l. 21. §. Sed etsi de naue, de furt. l. 30. §. pen. l. 48. §. sed si id petatur, de legat. 1. l. 12. §. Sed si fundus, de instruct. vel instrumen. leg. l. 1. C. de verbor. signific. Sunt & olei & librorum & aliarum rerum apothecæ, Columel. lib. 1. de re rustic. c. 6. l. 5. §. Si horrearius, de his qui deiecer. vel effud. l. 12. §. instructo, de instruct. vel instrumen. legat.

Vnde

Vnde cum constet, apothecam, non habitationis causa, sed mercium potius condendarum, aliarumq; rerum gratia, constructam, dicendum videtur, secundum limitationem nostram, ex apotheca, impunè quem extrahi posse, per ea quæ in secunda limit. suprà dicta fuerunt. Et idem videtur sentire Dionys. Gothofred. ad d. l. nemo 103. sub lit. h. de reg iur. & Petr. Costal. d. l. plærique, 18. per l. lex Cornelia, §. tantùm, de iniur.

53. Septimò limitatur h. conclus. nostra, vt nõ procedat in taberna siue hospitio, in quo quis non animo habitandi per annum, sex menses, vel aliud certum quoddam tempus, sed vt viator, commoratur, Ias. ind. l. plæriq; nu. 18. Anton. Gabriel. Roman. d. conclus. 10. num. 19.

54. Confirmatur primò, quod citatio facta in hospitio, non videatur facta domi, Ant. Gabriel. Roman. d. conclus. 10. nu. 20.

55. Confirmatur secundò, quod citationes

tationes pro maleficiis factæ contra forenses in hospitiis, de iure non valeant, Anto. Gabr. Rom. d. concluſ. 10. nu. 21. 56. Confirmatur tertiò, quod ſtatutum plectens capitali pœna bannitum, habitantem in ciuitate, non comprehendat bannitum tranſeuntem, & comedentem in hoſpitio, & poſtea ſtatim recedentem, Ant. Gab. Rom. d. concluſ. 10. num. 22.

57. Tabernæ adpellatio, omne vtile ad habitandum ædificium demonſtrat, ex eo, quòd tabulis claudatur. Vnde & tabernaculæ & contubernales adpellãtur, l. 183. cum ſeq. de verb. ſign. Iſid. lib. 15 Etymolog. c. 2. tabernæ, inquit, olim vocabantur ædiculæ paruæ, & ſimplices in vicis, axibus & tabulis clauſæ. Quæ nunc, etſi non ſpeciem, nomen tamen retinent. Hinc taberna negociatoria, cauponaria, & purpuraria, & argentaria, in l. 43. de rit. nupt. l. 2. de inſtitor. act. l. 9. §. pater, de legat. 3. l. 32. de contrah. emp. Tabernas quoq; Suidas καπηλεῖα, ἢ πανδοχεῖα interpretatur.

Ex

58. Ex quibus distinguendum videtur, vt si taberna mercium condendarum causa potius, quàm habitationis gratia constructa sit, tunc inde quem inuitum extrahi posse: Secus, si pro hospitio & habitatione habeatur, vel domui sit connexa. Eamq; distinctionem non obscurè innuit Petr. Peck. in d.c.6. nu.4. Dionys. Gothofred. d. l. 103. lit. h. de reg. iur.

59. Octauò limiratur conclusio nostra, vt non procedat in eo, qui ad officium publicum assumendum designatus est. Hic enim tàm ex domo propria, quàm aliena, impune extrahi potest, Ias. in d.l. plærique, nume. 24. Anton. Gabriel. Roman. d. conclus. 10. nu. 33. Petr. Peck. d.c.6. num.4. vers. non est absimile.

60. Hinc Ludouicus Romanus in d. l. plæriq;, per l. ex omnibus 31. C. de decur. lib. 10. Consulit creditoribus, vt, si habeant debitorem, qui nunquam exit domo, ita vt personaliter capi possit, procurent ipsi officium publicum, vt

hac

hac ratione extractus ad acceptandum, personaliter conueniri possit, Iaſ. d. l. plærique, nume. 24. Petr. Peck. d. c. 6. nume. 4. d. versic. non est absimile. Licet Albericus de Rosate in d. l. plærique, supradictam Ludouici Romani cautelã improbet, & ad d. l. ex omnibus, respondeat, eam tantùm procedere in curiali fugitiuo, vt refert idem Iaſ. in d. modò nume. 24.

61. Nonò limitatur concluſ. noſtra, vt non procedat in debitore obligato præcisè ad faciendum, præsertim si delictum sit annexum & fuga. Hic n. tàm in domo propria, quàm alio quolibet loco capi potest, Iaſon in d. l. plærique, nu. 25. Anton. Gabr. Roman. d. concluſ. 10. num. 34.

62. Decimò limitatur concluſ. noſtra, vt non procedat in debitore ſuſpecto de fuga. Hic enim ex domo propria extrahi potest, etiam die festo & solenni, & à Iudice prorsus incompetente, Iaſ. d. l. plærique, nume. 26. Anton. Gabriel. Roman. d. concluſ. 10. nume. 30.

Petr.

Petr. Peck. d. c 6. nu. 4. in fin. Mynſ. cent. 4. obſ. 69. circ. finem, per gloſſ. in l. fin. C. de feriis.

63. Vndecimò limitatur concluſio noſtra, vt non procedat in debitore capto, ob æs alienum in domo ſua. Mynſ. d. obſ. 68. in fin. per l. ſacrilegii, in fine, ad l. Iul. peculat. Vnde licet quis pecuniam debitam, in fugiente debitore, ſine auctoritate Iudicis occuparet, non puniretur, Mynſ. d. obſ. 69. in fine prorſus, per gloſſ. l. extat. verb. vllo, quod met. cauſ.

64. Duodecimò limitatur hæc concluſio noſtra, vt non procedat in cauſis criminalibus. Nam in his aliquis de domo, etiam inuitus, extrahi poteſt, Iaſ. in l. plæriq;, num. 27. Anton. Gabr. Roman. d. concluſ 10. num. 37. Franciſc. Viuius in theſaur. commun. opin. in verb. capi non poteſt perſonaliter. num. 5. Mynſin. d. obſer. 69. in princ. Petr. Coſtal. in d l. plæriq;, de in ius vocand.

67. Decimò tertiò limitatur concluſio noſtra, vt non procedat in caſu, quãdo Iu-

do Iudex feciſſet præceptum alicui, qui ſe continebat domi, vt coram ſe compareret ſub certa pœna fiſco adplicanda. Hic enim ſpreto mandato, etiam in propria domo impunè capi poſſet, Frãciſc. Viuius in theſaur. commun. opin. verb. capi non poteſt perſonaliter, num. 6. Anton. Gabr. Roman. d. concluſ. 10. num. 38. Et licet hæc limitatio controuertatur per ea, quæ à Viuio & Romano, in locis modò allegatis, traduntur, tamen, vt magis communis, approbatur ibidem.

66. Decimò quartò limitatur h. cõcluſio noſtra, vt non procedat in debito fiſcali, Iaſ. in d. l. plæriq;, nume. 28. Ant. Gabr. Rom. d. concluſ. 10. num. 39. Petr. Peck. d. c. 6. num. 4. verſic. porrò autem, Petr. Coſtal. d. l. plæriq;. Cum enim fortunas omnes noſtras, corpus etiam & vitam, Reipublicæ, cui nati ſumus, debeamus: bono autem publico pecunia fiſci ſit, quæ vna belli, pacis, ocii, negocii, rerum deniq; quocunq; tempore gerendarum, neruus eſt, non iniquum

quum videri debet, si debitor aduersus fiscum, propriæ domus protectione, nõ iuuetur, Petr. Peck. d. modò versi. porrò autem.

67. Nec obstat, quòd Constantinus Imperator iubet, ne iussu Magistratus materfamilias, ob fiscale debitum in publicum protrahatur, l. 1. C. de offic. diuers. iudic. Nam id in sola matrefamilias præcipuum obseruari vult Cõstantinus, cum fiscalibus debitis, ex domus, & cæterarum ipsius rerum distractione, satisfieri rectè possit, d. l. 1.

68. Decimò quintò limitatur hæc conclusio nostra, vt nõ procedat, si dispositioni d. l. plærique, in instrumento renunciatum fuerit, & ex conuentione actum, vt d. l. non attenta, debitor, etiam in domo propria, impunè capi posset, Ias. in d. l. plærique, nume. 29. Petr. Peck. d. c. 6. num. 4. versi. renunciari quoq; posse, Anton. Gabriel. Roman. d. concluf. 10. nume. 40. Cum enim lex illa, ad fauorẽ priuatum introducta sit, rectè illi renunciari posse, consequens est,

est, Iaſ. d. n. 29. per l. pen. cum ſimilibus, C. de pactis.

69. Idq; in tantum procedit, vt etiã ſi d. l. plæriq;, expreſsè & ſpecificè renunciatum non fuerit, ſatis tamen ſit, ſi omni legum, vel iuris auxilio renunciatum fuerit, Iaſ. d. num. 29. in fin. Anton. Gabriel. Roman. d. concluſ. 10. nu. 41. Petr. Peck. d. modò verſ. renunciari quoque poſſe. Licet hoc vltimum per Alex. controuertatur, vol. 2. conſ. 37. vt refert Anton. Gabriel. Roman. d. modò nu. 41.

70. Decimò ſextò limitatur hæc cõcluſio noſtra, vt non procedat in caſu, cap. ipſa pietas 24. §. item ſi duo 23. quæſt. 4. ibi ſi duo in aliqua domo habitarent, quam certiſſimè ſciremus eſſe ruituram, nobisq; id prænuncciantibus, nollent credere, atq; in ea manere perſiſterent. Si eos inde poſſemus eruere, vel inuitos, quibus imminentem illam ruinam poſtea demonſtraremus, vt redire vlterius ſub eius periculum non auderent: puto niſi

faceremus, non immeritò crudeles iudicaremur. Igitur ad euitandum periculum mortis, etiam inuitus è domo ruinosa extrahi potest, Ias. in d.l. plærique num. 30. Anton. Gabriel. Roman. d. cõcluſ. 10. num. 42 Hippolyt. Marſil. in ſingulari 189.

71. Decimò ſeptimò limitatur h. cõcluſio noſtra, vt non procedat in cauſa Syndicatus, in qua poteſt quis extrahi inuitus de domo propria, Anton. Gabr. Rom. d. concluſ. 10. nu. 43.

72. Decimò octauò limitatur hæc concluſio noſtra, vt non procedat in eo, qui repertus per officialem, extra domum, confugiſſet poſtea in domum, quia inde extrahi impunè poſſet. Hippolyt. Marſil. in ſing. 225. num. 4. Et poſt eum Anton. Gabr. Roma. d. concluſ. 10. nume. 44. Quamuis hoc controuerſum ſit, per eos, quos allegat Anton. Gabr. Roman. d. modò nume. 44. Et hactenus de concluſione noſtra cum ſuis ampliationibus & limitationibus.

QVAE-

QVÆSTIO LVII.

Qui priuilegium siue exceptionem fori habeant, & quomodo huic renunciare possint?

I.

ET quidem priuilegium fori habent, viri militares, speciali gratia introductum, vnde si inter hos, vel etiam inter priuatum & militarem, lis incidat, cognitio & iudicatio tàm in causis ciuilibus, quàm criminalibus, est penes potestatem magisteriam, l. pen. & ibi Cyn. Bald. & Castrensis, C. de iurisdict.

2. Similiter, si Principes aut prælati, Comites aut Nobiles, Imperio immediatè subiecti, ab aliis Principibus, & imperio immediatè subiectis, conueniuntur, priuilegium primæ instantiæ, der außträge / habent, vt non statim in Camera comparere cogantur, nisi causa, quæ in iudicium deducitur, aliud suadeat, sed ea coràm aliis in prima in-

stantia tractanda sit, iuxta formam præscriptam, in ordinat. Cameræ part. 2. tit. 2. 3. & 4. And. Gail. lib. 1. pract. obser. obs. 1. nu. 35. 36.

3. Idem est, si nobilis, aut alius mediatè Imperio subiectus, Principem in ius vocare velit, licet hoc casu, quo ad Comites, Barones, aut alios immediatè imperio subiectos, secus sit, iuxta ordinat: Cameræ d. part. 2. titul. 4. Andr. Gail. d. lib. 1. obseruat. 1. nume. 17. & 46.

4. Scholastici quoq; priuilegium fori habent, vt si quis litem in aliquo negotio iis mouere velit, huius rei optione data Scholasticis, eos coràm domino vel magistro suo, vel ipsius ciuitatis Episcopo, conuenire cogatur, Auth. habita C. ne filius pro patre.

5. Per Magistrum intelligimus quêcunque Præceptorem. Nam Doctor quoq; iuris, vocatur Magister, in l. qualem 9. de arbitris.

6. Per Dominum, aliqui Rectorem intelligunt, qui præcipuus studiosorum

Iudex

Iudex est, l. vlt. C. de iurisdictiõn. omn. iudic.

7. Quam tamen interpretationem d. Authen. habita, verba non patiuntur. Ea namque cum liberam electionem Scholaribus relinquat, sequeretur, hac interpretatione concessa, Scholarem, iudicium Rectoris sui declinare posse, quod nemo Doctorum admittit, propter iusiurandum, quo sunt omnes studiosi Rectori Academico obstricti. Iulius Pac. ad d. Authent. habita, cap. 9, num. 3.

8. Rectius igitur dicendum, Dominum & Magistrum, ὡς παραλλήλα, hoc est, pro vno eodemque accipienda esse, Iul. Pac. d. num. 3. in princ.

8. Et passim ex scriptis Doctorum & interpretum constat, maiores nostros præceptores suos, vt plurimum, Dominos adpellasse, Iul. Pac. d. nu. 3. in princ.

10. Duplex autem ratio assignari potest, cur Rector Academicus in dicta constitutione fuerit omissus, vna est: quia Imperator tribuit Scholari

facultatem eligendi iudicis ex iis, qui ipsa constitutione nominantur. Ergò non fuit nominandus Rector: siquidē electio cessat cum Scholaris vocatur ad Rectorem, vt modò dictum fuit. Altera ratio est: quia constitutio est generalis, & pertinet ad omnes Scholas, vbicunq; liberalium artium studia exercētur, & non tantùm ad vniuersitates: atque adeò pertinent ad omnes Scholares, etiam vbi nullus est vniuersitatis Rector, Iul. Pac. d. cap. 9. nume. 4. & c. 4 num. 4.

11. Sed quod si Scholaris plures habeat præceptores & magistros, coram quo conueniendus erit? Baldus ita distinguit: Aut vnus eorum est præcipuus, Et Scholaris coràm eo conueniendus erit: Aut omnes sunt æquales, id est, æqualiter omnium est discipulus: Et hoc casu electionem habet Scholaris, coràm quo ex omnibus illis præceptoribus conueniri malit. Quæ quidem Baldi distinctio, licet legibus ab ipso allegatis parum probetur, rationi tamen

tamen, & verbis constitutionis consentanea est, Iul. Pac. d. c 9. nu. 5.

12. Quod tamen hodie non vsquequaq; obseruatur. Nam cum plures possint esse magistri & Professores, & non omnes ius norint, sine cuius tamen cognitione, rectè iudicare nequeunt: in singulis vniuersitatibus Rector eligitur, qui inter studiosos, aut alios & studiosos, de consilio senatus Academici aut Assessorum ius dicit.

13. Et quod hactenus de fori priuilegio dictum est, ita sese habet, nisi quis stipulatus sit, aut in instrumento confessus, se non vlurum fori priuilegio, seu, quod idem est, priuilegio fori renunciauerit, l. si quis in conscribendo 29. C. de pact. l. 1. in fine. si quis in ius vocatus non ierit, c. dilecti 12. de for. compet.

14. Quamuis iure Pontificio sufficiat ad hoc nuda conuentio, c. si diligẽti. de for. compet. iuncto c. 1. de pact. Alex. in l. si conuenerit 18. n. 5. de iurisd. om. iudic.

15. Quod tamen cum hac distinctione accipiendum est, vt si priuilegium fori mera consideratione priuatorum concessum sit, statim renunciatio valeat, cum quilibet possit fauori pro se introducto renunciare, d.l. si quis in cõscribendo 29. C. de pact.

16. Nec poterit reus hoc casu vti aduersus actorem fori præscriptione, d.l. si quis in conscribendo.

17. Nisi id, quod interest actoris, pactionem non esse seruatam, exoluat l. diem proferre 27. §. fina. de arbitr. Bart. Angel. Alexand. & Doctores, in d.l. si conuenerit 18. de iurisdictio. omn. iudic. vbi Alexand. post Guilhelmum de Cun. in l. 1 C. de iurisdict. & in l. 1. de iudic. dicit, hoc interesse, actorem petere coram eo iudice, coram quo reus promiserit stare seu litigare, propterea, quòd hoc ipso videatur ibi contraxisse, atque ita per contractum, forum sortitum esse, per l. contraxisse, de obligat. & actio. Idem sequuntur & tenent, teste Alexan. in d.l. si conuenerit, 18. nu. 4.

Anton.

Anton.de Butr.Cardin.& Imola, in c.1. de iudic.

18. Quòd si etiam fauorem superioris concernat eiusmodi priuilegium fori, renunciatio & prorogatio iurisdictionis, absque eius consensu facta, etiamsi iuramentum accesserit, non subsistit, cum nemo possit priuilegio suo, in suum, vel alterius fauorem introducto, renunciare d. c. si diligenti, & ibi Canonistæ c.significasti 18.& ibi Socin. de for.competen.c.Imperialem, §. præterea, & ibi gloss. & Matth. de Afflict. nume.23.de prohibit.feud. alienat. per Frideric.Andr.Gail. lib.1. obseruat. 40. vbi exemplis hãc distinctionẽ illustrat, quem videte.

19. Si igitur Scholaris (vt vnico rem exemplo à Gailio omisso,declarem)pecuniã mutuo accipiens à creditore, qui pecuniã numerare nolebat,nisi priuilegio fori d.Auth habita, C. Ne filius pro patr.indulto, renũciaret,id fecerit, renunciatio rata erit.cũ cuilibet, iuri pro se introducto principaliter renunciare liceat

liceat, d.l.29.C.de pact. Iul. Pac. d. c. 9. num.10.

20. Quo tamē casu requiritur, vt specialiter & nominatim isti priuilegio in d. Authent indulto, renuncietur, Odofred.num.2. ad d l.1. Si quis in ius vocatus non ierit.

21. Quinimò DD omnes tradunt ad d.Auth.habita, etiam vniuersitatē posse renunciare suis priuilegiis: quemadmodū Azonis tempore, vniuersitas Bononiensis dicitur renunciasse iuri, quod habebat, cognoscendi de causis criminalibus, vnde ait Accursius, eam vniuersitatem amplius non frui tali priuilegio. Odofredus verò ait. ius pristinum Scholaribus Bononiensibus fuisse restitutum. Occasionem autem renunciandi hanc fuisse, quod cum esset amplissimus studiosorum numerus, & inter Etruscos ac Lombardos esset orta maxima discordia: Doctores, quia nolebant, aut non poterant, eos coherce-re, cognitionem omnem transtulerunt ad potestatem vrbis. Postea verò dis-

scor-

cordia sedata & composita, ait Odofredus, Scholares ius suum recuperasse. Iam verò hic notandum est. renunciationem vnius, non posse aliis obesse, secundum vulgatam regulam iuris, qua dicitur, rem inter alios actam, tertio nō præiudicare. Ideoq; renunciatio, quāuis facta sit ab omnibus Scholaribus præsentibus, tamen non nocet aliis, qui postea venerint ad eandem vniuersitatem, quandoquidem hi non renunciarunt. Sed hoc verum est, nisi Scholares conuocati, tanquam vniuersitas, renunciarint, hoc enim casu, renunciatio per vniuersitatem facta non nocet quidem aliis vniuersitatibus, nocet tamen omnibus, qui quandocunq; erunt mēbra eius vniuersitatis, quæ renunciauit. Quamuis enim singulæ personæ mutentur, tamen vniuersitas manet perpetuo eadem, l. proponebatur 76. de iudic. Præterea hic notandum est, priuilegiis d. Authent. habita, nullo modo posse renunciari, vt renunciatio aliis obsit. Siue enim ponas singulos Scholares

lares renunciasse, etiamsi omnes, vt singuli, renunciauerint, tamen certum est, renunciationem non obesse aliis postea venientibus ad eandem vniuersitatem, quia quod singuli faciunt, non dicitur facere vniuersitas, nisi conuocati, & nomine vniuersitatis id faciant. Nec obstat, si dicatur, vniuersitatem renunciasse. Nam respondetur, priuilegia dictæ constitutionis non competere vniuersitati, sed singulis scholaribus. Quæ igitur DD. tradunt de vniuersitate renunciante, admittenda sunt, quantum ad alia priuilegia, quæ ipsi vniuersitati competunt, non item, quantum ad ea priuilegia, per dictam constitutionem indulta. Hæc notat Iul. Pac. ad d. c. 9. num. 10.

QVAESTIO LVIII.

An citatus à Iudice quocunq́, ad euitandam pœnam contumaciæ, vel allegandum suum, si quod habet, priuilegium, comparêre debeat, vel non debeat?

Vt

I.

VT hæc quæstio rectius intelligatur, tres casus distinguendi sunt. Aut enim certò constat, citatum de iurisdictione Iudicis citantis esse: aut certò constat, citantem non habere iurisdictionem in personam citati: aut verò probabiliter dubitatur, num Iudex citans competens sit, nec ne. Ita distinguit gloss. in l. 2. verb. sciatur, Si quis in ius vocatus, non ierit, & post eam Odofred. ibi, Iohan. de Imola in l. contumacia 53. §. fin. de re iudic. Sequitur Petr. Costal. ad legem vlt. de iurisdict. Et refert Mynsing. in obseruat. Camer. Imper. cent. 6. obseruat. 7. nume. 4. cum sequentib. ad dissoluendam quæstionem ibi propositam, & ad conciliandas antinomias circa eam incidentes, dominos Camerales ita distinxisse.

2. Primò casu, si certum sit, citatum de iurisdictione citantis esse, tunc meritò citatus comparêre debet, & coram ipso respondere, ne contumaciæ

pœnam

pœnam incurrat, gloss. in d. verb. sciatur per l. 1. si quis ius dic. non obtemp. Mynsing. d. cent. 6. obser. 7. num. 5. per d. l. contumacia 53. §. fin. de re iud. cum similibus.

3. Idq; procedit non tantum in Iudice ordinario, sed etiam delegato, Ias. d. l. 2. nume. 2. vbi ponderat ad hoc verba textus, d. l. 2. ad prætorem, vel alios qui Iurisdictioni præsunt.

4. Etiamsi delegationis rescriptum sub & obreptitie dicatur impetratum. Nam eo etiam casu, citatus comparêre debet, & contra rescriptum excipere, aliàs posset contra eum procedi in contumaciam, cum sibi imputare debeat, quod de sub & obreptione coram delegato nõ exceperit, And. Gail. lib. 1. practic. obs. obs. 48 num. 18. per c. cæterum, de rescript.

5. Quod si rescriptum delegationis omninò falsum sit, licet delegatus se competentem pronunciet, non tenetur comparêre citatus, nec obstabit pronunciatio citato, propter defectum Iurisdi-

risdictionis, Gail. d. obser. 48. nu. 18. per ibi allegata.

6. Debet tamen delegatus, vt citatum ad comparendum arctet, citato, vnà cum citatione, copiam suæ delegationis transmittere, Gail. d. obser. 48. nu. 17. Mynsing. cent. 3. obseruat. 1. vers. verùm communior est opinio, per ibi allegata.

7. Ratio ea est, quia non præsumitur pro iurisdictione delegata, cum sit odiosa, & strictè accipienda, Iaſ. d. l. 2. num. 2. in fin. Gail. d. obser. 48. nume. 21. Mynsing. d. cent. 3. obseruat. 1. per cap. cum iurisperitis, & ibi gloss. & DD. de offic. delegat.

8. Ratio rationis ea est, quòd delegatus, non habeat iurisdictionem naturalem, aut fundatam in iure communi, sicut ordinarius, sed solum ex accidenti: ideò non mirum, si citatus non teneatur credere, nisi citationi tenor delegationis inseratur, Iaſ. d. num. 2. in fin. Mynſ. d. obſ. 1. verſ. Ratio est.

9. Licet Felin. in cap. cum in iure, de

offic.delegat.contrarium teneat, quod scilicet delegatus, non teneatur inserere citationi tenorem delegationis, eò quòd in dubio præsumatur pro iurisdictione citantis, sed sufficiat, in citatione asserere, se delegatum esse, & post comparitionem ostendere delegationem, & petenti dare copiam rescripti delegationis. Gail.d.obseruat.48. num. 19. per textum in d. c. cum in iure, de offic.delegati, vbi hanc communem dicit.

10. A prima tamen opinione, vt communiore, tutiore, omnemq; cauillandi materiam auferente, in iudicando non esse recedendum, Apostilla ad Felin. in d.c.cum in iure, per multas allegationes ostendit, Quam sequitur etiam Gail.d. obs.48.num. 20. & 21. vbi etiam alios, idem tenentes, adducit.

11. Potest tamen commodissimè hæc opinionum diuersitas ad concordiam reduci, si dicamus, primam opinionem procedere, si delegatus longius absit à loco citati, tunc enim tenorem citatio-

nis

nis citato transmittere debet, aliàs citatio nulla est. Posteriorem verò opinionem, Felini sc. tunc procedere, si delegatus eo loci sit, quo citatus, vel in propinquo, & modicùm dissito: tunc enim, quamuis in citatione non inseratur tenor delegationis, sed citans simpliciter asserat se delegatum, tenetur citatus sub pœnâ contumaciæ comparêre, cum oriatur dubium iurisdictionis, & sit ipsi modicum præiudicium comparêre, cum vel in eodem, vel modicùm dissito loco degat. Ita conciliat Panormit. in c. præterea, de dilat. Refert Gail. d. sæpius obserua. 48. num. 22. Refert etiam & sequitur Iason d. l. 3. nume. 4. Qui num. 5. hanc Panormitani doctrinam, confirmat per pulchrum simile. Nam, inquit, licet aliàs, mandatũ irrationabile Principis, non possit aliter probari, nisi per scripturam authẽticam Principis, l. vnic. vbi Bart. & DD. C. de mandat. Princip. Bartol. in l. vnic. per illum textum, C. de superindict. lib. 10. tamen hoc ita demum verum est.

nisi Princeps sit in illa ciuitate, quo casu facilè copia Principis mandantis haberi potest. Er subijcit ibi Iaſ. de hoc dicto magnum festum facere Ludouicum Romanum in l. sciendum, de verb. obligat.

12. Sunt etiam nonnulli, qui non sufficere putant, si copia citationis à delegato citato transmittatur, sed tenorem commissionis in originali transmittendam contendunt, vt refert Mynsing. d. cent. 3. obser. 1. in princ. vbi tamen subijcit, communiorem esse opinionem, & sufficere, si tenor delegationis siue copia, citationi inseratur.

13. Potest tamen & hæc quoq; sententiarum discrepantia ad concordiam reduci, si dicamus, quod in procedendo & respondendo ipsius originalis exhibitio necessaria sit, videlicet, reum cõparentem coram delegato, posse exigere rescriptum originale, vt plenam fidẽ habeat de iurisdictione delegati, priusquam respondeat: Ad effectum verò comparitionis, sufficere transmissionẽ copiæ,

copiæ, hocq; est, quod Archidiaconus scribit in c. si Episcopus 3. q. 2. transmissionem copiæ sufficere, quoad comparendum, sed non quo ad respondendū. Refert Mynsing. d. cent. 3. obser. 1. versi. & quod nonnulli, vbi subijcit, hanc opinionem & distinctionem communiter approbari, quā etiam secuti quandoq; sunt domini Camerales, in causa adpellationis Sabinæ VVelserin, contra Leonhardum Hirßvogel. Et hactenus de primo casu supradictæ distinctionis.

14. Secundo casu, cum certo constat, citatum non esse de territorio citantis, nec citanti aliquam in citatum iurisdictionem competere, (veluti si iudex Laicus clericum, vel Episcopus, mendicantes, vel iudex Bononiensis, Mutinensem citet:) tunc citatus impunè, citra pœnam contumaciæ, non parere poterit. gloss. in d. l. 2. verb. sciatur, & ibi quoq; Odofred. Pet. Costal. l. vlt. de iurisdict. omn. iud. Mynsing. d. cent. 6. obs. 7. nu. 6. per d. l. vlt. de iurisdic. om.

iudic. l. 3. de offic. præsid. l. non videtur 3. de iudic. Clement. pastoralis §. Pisana, de re iudic. Gail. d. obs. 48. num. 9. vbi etiam alios allegat.

15. Et hoc est, quod Hermogenianus ait in l. contumacia 53. §. fin. de re iud. contumaces non videri, nisi qui, cum obœdire debent, non obsequuntur: id est, qui ad iurisdictionem eius, cui negant obsequi, pertinent.

16. Quod in tantum procedit, vt iudex, sumens & arrogans sibi ius citandi in eum, qui suæ iurisdictioni suppositus non est, propterea excommunicari possit, quousq; desistat, cap. si iudex laicus, de sentent. excommu. in 6. Refert & sequitur Mynling. d. cent. 6. obseruat. 7. num. 6.

17. Tertio casu, cum dubitatur, num iudex citans competens sit, nec ne: tũc in dubio citatus debet comparêre, vt sciatur, an eius sit iurisdictio, & debet citatus incompetentiam iudicis, & priuilegium exemptionis, si quod habet, allegare, glos. in d. l. 2. verb. sciatur, & ibi

quoq;

quoq; apostilla marginalis, Petr. Costal. d.l. vlt. de iurisdict. Gail. d. obs. 48. nu. 8. Mynsing. d. cent. 6. obs. 7. nu. 1. per d.l. 2. l. si quis 5. de iudic. c. 1. & c. cum personæ, de priuileg. in 6.

18. Sic omnes imperii ciuitates, item Comites & multi Nobiles, habent priuilegia, ne compareant coram prouinciali iudicio: verùm, cum ista non sint manifesta & notoria, ideò debent allegari. Idq; seruat notissima Germaniæ consuetudo, teste Mynsing. d. cent. 6. obs. 7. nu. 7. in fine.

19. Et hoc casu tantum dubitatio valet, vt si iudex se pronunciet iudicem, licet non sit, sententia iure subsistat, etiam in causa principali, Panormi. in cap. cum ordinem, de rescriptis, Bart. d.l. 2. & post eos Pet. Costal. ad d. l. vltimam. de iurisdict.

QVAESTIO LIX.

Quæ sint iustæ excusationis causæ, quæ citatum à pœnis contumaciæ releuant & excusant?

I.

MVltæ sunt causæ, quæ citatum à pœnis contumaciæ releuant & excusant. Prima est, si citatus ob rusticitatem non venerit. Nam rusticitati hoc casu parcendum est.

2. Rusticitas licet aliàs, in reuerentia naturali præstanda, qualis Magistratui debetur, non excuset, l. 2. C. de in ius vocan. l. 2. de iust. & iur. tamen quia citationis finis, est effectus comparitionis, Socin. in tract. de citatione, art. 5. quæst. 16, num. 22. & art. 31. num. 5. Marant. de ordin. iudic. part. 6. c. de citatione, nume. 13. per Clem. pastoralis, de re iudic. ideò eius neglectio propriè ad magistratus iniuriam non pertinet, sed ad rẽ litigatoris, l. si qs id quod 7. in pri. verb. non prout inciderit, & ibi gloss. de iurisd-

iurisdict. Quare hic rusticitati prætor mulctam remittit, quæ scilicet à dolo abest, d. l. si quis id quod 7. cum l. seq. de iurisdict. Et ita hunc locum explicat & intelligit VVesenbec. in tit. si quis in ius vocat. non ierit, nume. 2. post Curt. nume. 6. Decius verò in c. super literis, num. 7. vers. secundo aduertendum est, de rescript. hunc locum intelligit de errore & delicto commisso, omittendo, negligendo, h. e. non parendo iudicis præcepto. Sed hunc Decij intellectū, retento priori, reprobat Iaco. Menoch. de arbitr. iudic. quæst. cas. 194. num. 49. & 50. vbi hunc locum ex professo explicat.

3. Secunda causa, qua citatus à pœna contumaciæ excusatur, est: Si nihil interfit actoris, eo tempore in ius aduersarium venisse, puta, quia feriatus dies fuit, quo tempore iudicia & forensia negocia cessant, nec agi causæ in iudicio solent, d. l. 2. §. 1. in fin. si quis in ius voc. non ierit, l. 1. in prin. l. præsides, 4. l. quid si 6. de feriis. Si quis igitur ci-

tatus fuerit ad diem feriatum eius loci in quo iudicium agitur, (ferias enim loci iudicii, non partium, attendendas esse, volunt, Innocentius in c. fin. in fin. de feriis, quem sequitur ibidem Panor. mit. licet quidam contrarium teneant, quòd feriæ fauorem litigantium concernant, l. 1. & 2. de feriis, l. 3. C. eodem) comparere non tenetur, nec valet citatio, nec pœnam contumaciæ, non comparens, incurrit, sed exceptione feriarum tutus est, aliaque ipsi dilatio danda est; adeò, vt si aduersus taliter citatum, iudicatum erit, is nec iudicatum facere, nec soluere debeat, l. 6. & ibi DD. de feriis, DD. in d. §. 1. Iaf. in l. 1. §. nunciatio, nume. 8 de nou. oper. nunc. Socin reg. 92.

4. Quod tamen fallit primò, in causis, quæ diebus feriatis, peragi & expediri possunt, quales sunt causæ alimentorum, carceratorum, pupillorum, viduarum, & miserabilium personarum, causæ liberales, militares, custodiarum, & latronum, fiscales, pistoriæ, quæ tempore

pore perituræ sunt, & dilationem non patiuntur. Quæ enumerantur in l. 1. in fi. l. 2. l. 3. l. pen. de feriis, l. 5. l. 9. C. eodem. Gail lib. 1. obseruat. practic. obs. 53. nu. 13. Quas omnes c. fin. de feriis extra, reducit ad casum necessitatis & pietatis, adeò, vt propter necessitatem vel pietatem, possint rei in ius vocari, in feriis, etiam in honorem Dei introductis, Paulus de Castro, l. 1. in fine, de feriis, Gail. d. obseruat. 53. nume. 13 in princ. Vendelin. Schelling. in explanat. actio. & excep. forens. mih. pag. 417. vers. sunt tamen certæ causæ.

5. Secundò fallit, si reus feriis indictis seu rusticis, expressè vel tacitè, recipiendo diem, & non contradicendo, iudici eam assignanti, renunciauerit, l. 1. §. 1 de feriis, l. 6. C. eodem, cap. fina. eodem. Gail. d. obser. 53. nume. 16. in fin. cum nume. sequ. Vendelin. Schelling. d. modò pag. 417. vers. renunciare feriis, Ioh. Zang. ad tit. Instit. de except. de exceptione feriarum, nu. 7.

6. Dico, feriis indictis seu rusticis,

Nam

Nam in solennibus & repentinis secus est. His enim à partibus nec tacitè, nec expressè, renunciari potest, Gail.d. nu. 16. in princ. Vendelin. Schelling. d. pag. 417. vers. renunciare, Ioh. Zang. d. mod. nume. 7.

7. Tertiò fallit, si citatio decreta sit die feriata, ad diem nō feriatam. Quoniam actus citationis non est iudicialis, sed extraiudicialis, adeoq; domi fieri potest, Gail.d.obs. 53. nu. 5 & 6.

8. Quartò fallit, in insinuatione, siue executione citationis, die feriata facta, quoniam facti est, nec fit per iudicem, nullamq; causæ cognitionem requirit, Gail.d.obs.53.nu.7. Mynsi.cent.1. obs.77. in fin.

9. Quintò fallit de iure Canonico. Eo namq; iure, citatio ad diem feriatam facta, valet. Differtur enim comparitio ad sequentem diem non feriatam, Canonistæ in c.2.de feriis, Gail,d.obser.53. nume.2.

10. Bart.tamen in d.§.1.num.3. cum seq.distinguit, vtrum error in citatione

sit

sit expressus, veluti si iudex dicat: Citamus te vt compareas die Dominico, vt tunc citatio non valeat: an verò non sit expressus, sed dies comparitionis incidat in diem feriatum: Et eo casu valebit citatio, quia sequenti die non feriata procedendum. Et hanc Bart. distinctionem, post Marantam, in tract. de ordin. iud. par. 6. tit. de citatione nu. 120. refert Gail. d. modò nu. 2.

11. Cæterùm ad tollendas & præcauendas omnes disputationes & cauillationes, quæ hoc casu moueri possent, cauti & eruditi iudices consueuerunt in citatione adijcere clausulam: Compareas tali die, quod si illa non sit iuridica, compareas die sequenti iuridica. Idque Camera obseruat, Gail. d. modò nume. 2.

12. Tertia excusationis causa est, si pupillus, vel minor 25. annis vocatus, non venerit, l. contra pupillum 54. de re iudic. Gail. lib. 2. obs. 107. nume. 3. Mynsi. cent. 2. obs. 35. in princ. Si igitur minor, tutorem vel curatorem non habeat, credi-

creditores, eius cognatos in ius vocare debēt, vt veniant, minorem defensuri, vel, vt curent ei tutorem vel curatorem dari, Gail. d. obseruat. 107. nume. 7. cum sequent. Mynsing. d. obseruat. 35. in princ. Si tamen citato pupillo, tutor eius compareat, eumq; defendat, valet processus, excusatione vel exceptione proposita nihil obstante, Mynsi. d. obs. 35. in fin.

13. Legitima quoque excusationis causa est, quando quis ad vnum eundēque terminum citatus est, primo ab inferiore, deinde à superiore magistratu siue iudice, quo casu apud superiorem se sistere debet, & apud inferiorem, ob contumaciam puniri non potest, Mynsi. cent. 6. obs. 8. cum distinctionibus tamen ibi propositis, ex Zasio notatis, ad d. l. contra pupillum 54. num. 12. & sequ. de re iudic.

14. Item legitima excusationis causa est, si post litem contestatam, à quo tempore procurator dominus litis factus est, non ipse procurator, sed dominus

nus principalis vocatus fuerit. Tunc enim dominus, si non compareat, à contumaciæ pœna excusatur, Mynsing. cent. 2. obs. 39.

15. Quod tamen intelligitur verum, nisi procurator, vel absentia vel morbo impeditus fuerit, quo casu dominus rectè citari poterit, Mynsing. d. obser. 39. in fine.

16. Legitima quoq; excusationis causa est, si certo constet, citatum iudicis citantis iurisdictioni non esse subiectū, l. 53. §. fin. de re iudic. Et dixi hac de re fusius supra quæst. 58. nume. 14. 15. 16. vbi vide.

17. Item legitima excusationis causa est in Camera Imperiali, si non nuncius Cameræ iuratus, vel non notarius legalis, & in matriculam Cameræ receptus, sed alius, citationem insinuauerit, Gail. lib. 1. obseruat. 54. nume. 5. in fin. cum nume. sequent. & num. 9. item obser. 58. num. 6. Mynsing. cent. 1. obser. 77. item obs. 78. & cent. 2. obseruat. 18. in princ.

Quod

18. Quod tamen intelligitur verum, quando ex parte citati nemo compâ-ret, quia tunc non posset in eius contumaciam super tali executione procedi, sed de nouo citandus esset: secus si pars citata compareat, quia citationis effectus est comparitio, & ideò sufficit citatum comparuisse, nec ei prodest, si alleget, se illegitimè citatum, Mynsing. d. cent. 2. obs. 18. vers. hoc tamen verum intelligitur.

19. Est quoque legitima exceptionis causa, si iudex extra suum territorium, ciuitatem vel regionem, reum in ius vocauerit, l. vlt. de iurisdict. c. vlt. §. conseruatores autem, de offi. delega. in 6. c. statutum 11. §. in nullo, de rescript. in 6. Gail. lib. 2. obs. 52. nu. 2.

20. Sed & legitima excusationis causa est, si reus ad locum non satis tutum, in ius vocatus fuerit, Gail. d. obs. 52. nu. 3. Locus enim iudicii tutus esse debet litigatoribus, vt & eorum aduocatis, procuratoribus, & testibus. Dicitur verò locus non tutus iudicii, quod quis in

co

eo loco multos habet inimicos, c. cum R. Canonicus 35. de offic. delegat. aut timet periculum aliquod, vel quandam iniuriam, quæ sibi, vel ab ipso iudice, aut alio obuenire poterit, puta incarcerationem, vel cruciatum corporis l. metus 3. ex quib. caus. maior. l. sciendum 7. ad SC. Trebel. Hinc Corneus in cons. 131. vol. 4. consuluit, ex sententia Bartoli & DD. in l. de ætate, ad SC. Trebell. citatum ad locum pestiferum, propter periculum mortis, non teneri comparêre, nec dici posse contumacem, cum locus ratione contagii non sit tutus, Gail. d. obs. 52. num. 11. Mynsing. Cent. 2. obs. 73.

21. Item legitima excusationis causa est, & superiori non absimilis, si reus ad locum parum honestum in ius vocatus fuerit. Gail. d. obs. 52. num. 10. vers. idem est si quis citetur.

22. Quam tamen exceptionem superuacaneam esse, nullumq; vsum habere, monuit Oldendorp. in Enchirid. Except. in except. loci inhonesti pag.

48. cum verisimile non sit, iudicem, tanquam virum bonum, ad locum inhonestum partes velle citare.

23. Excusationis quoque legitima causa est, si terminus in citatione nimis breuis & angustus præfixus fuerit, Gail. lib. 1. obs. 53. num. 19. & 20. vbi tempus illud definitur, & in Camera, ratione propinquitatis, vel longinquitatis loci, arbitrarium dicitur. Oldendorp. in Enchirid. Except. in except. tempor. angusti pag. 49. Iohan. Zang. ad Tit. Instit. de Except. in exceptionc: Temporis seu termini angusti, pag. 116. cum seq.

24. Item legitima excusationis causa est, si tempus, quo reus adesse debet, in citatione non sit expressum, Gail. d. modò obs. 53. in princ. Licet apud Soarez. hoc controuersum sit, verb. citatio, nu. 68. vbi communem sententiam esse ait, valere citationem, etiam nullo tempore præfixo, Nam intelligendam esse citationem, vt citatus, quàm primum possit, compareat.

25. Item

25. Item legitima excusationis causa est, si nomen Iudicis citantis in citatione non sit expressum, Gail.lib.1.obs. 48.num. 6.cum seq.

26. Legitima quoque excusationis causa est, si error in nomine iudicis sit commissus, Gail.d.obs. 48. nu. 23.

27. Item legitima excusationis causa est, si nomen vel cognomen citandi in citatione non sit expressum, Gail.lib. 1.obs.49.nu.1.cum quatuor seqq. Mynsing.cent.c.5.obs. 10. nu.1.cum seq.

29. Nec distinguitur, quamuis hæredes alicuius essent citandi: Nam & hi non in genere, sed nominatim citari debent, Gail.d.obs.49. nu. 5. vers. hinc est quod in Camera.

28. Si tamen communitas vel ciuitas sit citanda, tunc generalis citatio sufficit, Gail.d.obs. 49. num. 6.cum seq. Mynsing. cent. 5.obs. 50. n.4. cum seq.

30. Sed & si plures sint consortes vnius adpellationis, non omnium nomina exprimi est necesse, Mynsing.cent. 2.obs.66.

31. Aliter ac si quis citetur cum suis sociis: tunc enim sociorũ nomina sunt exprimenda, Mynsing. d. obs. 50. nu. 5.

32. Legitima quoque excusationis causa est, si nomen vel cognomen actoris in citatione non sit expressum, vel illud sit æquiuocum. Gail. lib. 1. obs. 50. num. 1. cum trib. seqq.

33. Item si causa, ad quam quis citatur, in citatione non sit expressa, legitimam excusationis causam præstat, Gail. lib. 1. obs. 51. in prin. Mynsing. cen. 5. obs. 85.

34. Ac licet Panormitanus in c. præterea, de dilat. distinguendum putet, an quis citetur de longinquo, an verò ex propinquo: vt primo casu causa sit exprimenda in citatione, vt vocatus instructus venire possit: Secundo casu causam iudex omittere possit: Tamen prior opinio communis est, & in Camera vsitata, vbi semper causa citationis inseritur, saltem in genere, explicitè tamen, vt vocatus cognoscere possit, quam ob causam sibi comparendum sit.

sit. Mynsing. d. cent. 5. obs. 85. num. 4. 5. 6. 7. & 8.

35. Legitima quoque excusationis causa est, si locus iudicij siue tribunalis in citatione sit omissus, Gail. lib. 1. obs. 52. num. 1.

36. Quod tamen ita intelligendum est, vt procedat in Iudice delegato, non etiam ordinario. Ordinarij namq;, vt sunt in ciuitatibus, Consules & Senatores, & præsides prouinciarum, qui certum & deputatum tribunal habent, vnde citatus simpliciter, nullo loco iudicij expresso, intelligitur ad locum solitæ residentiæ citatus. Gail. lib. 1. obs. 52. num. 12 & 13.

37. Item legitima excusationis causa est, si citatio sine iussu iudicis facta sit. Gail. lib. 1. obs. 48. num. 12. & obs. 54. nu. 1. cum seq. Mynsing. cent. 1. obs. 77. & cent. 6. 10. nu. 1. & nu. 3.

38. Legitima quoque excusationis causa est, si citatio non ad instantiam partis, sed proprio iudicis motu facta fuerit Gail. lib. 1. obs. 50. num. 4. cum

quatuor seq. & obs. 55. nu. 6. cum duobus seqq.

39. Quod tamen quatuor modis fallit. Primò, si talis sit causa, in qua iudex possit ex officio procedere, Gail. d. obs. 50 in fine. Secundò fallit, si causa sit violatæ pacis publicæ ad purgangandum, Gail. lib. 2. p. p. c. 7. nu. 2. Tertiò fallit, si ex forma statuti citatus, non comparens, pro confesso habeatur: quo casu contumax dicitur, etiamsi eius contumacia per aduersarium accusata non fuerit. Gail. d. obs. 55. nu. 9. Quartò fallit in causis fiscalibus, in quibus, etiam non petente actore, iudex potest ex officio proclama decernere, Gail. d. modò obs. 55. nu. 9. in fine.

40. Item legitima excusationis causa est, si vocatus Reipublicæ causa absit, d. l. contra pupillum 54. de re iudic. Si aduersa valetudine detentus l. contumacia 35. §. pœnam l. quæsitum 60. de re iudic. Si per actorem steterit, quo minus vocatus non venerit l. 1. §. si reus, de eo per quem fact. erit Et

deniq;

deniq́ue, nisi ex alia necessaria causa vocatus impeditus fuerit d.l.53 §. poenam, de re iudic. l. cum non 10. C. quomod.& quand. iudex.

41. Cæterùm de iure Saxonico quatuor legitimæ excusationū causæ, siue impedimenta (vulgò Ehehafftige/Echte not / vnd hülffliche wiederrede) enumerantur. Captiuitas Rei, aduersa valetudo, peregrinatio extra fines istius terræ, hoc est, absentia probabilis propter iter, quod pietatis & deuotionis causa suscipitur, ad sepulchrū Christi, ad limina S. Petri, vel aliter, item expeditio publica, hoc est, absentia Reipublicæ causa quæcunq́ue, argumento l. 1. in fine, ex quib. caus. maior. in integr. rest. l. absentia de reg. iur. Et hæc quatuor impedimenta, quæ proficiunt ad excusationem absentantis se à iudicio, enumerat text. Landr. lib. 2. art. 7. & ibi glos. Per quæ tamen non excluduntur etiam cæteræ remoræ, puta non habitæ securitatis in via, vel loco iudicij, vel aliæ,

quæ aliquem quoquo modo à comparitione in termino iudiciali distrahunt, de quibus in l. 2. in princ. & §. 1. cum seqq. si quis caut. iudic. sist. caus. fact. c. dilecti, de dol. & contum. cum similib. 42. Et has igitur, & similes legitimas & iustas excusationum causas, maximè citationem concernentes, diligenter obseruandas, monet Gail. lib. 1. obs. 84. n. 2. cum seq. Dum inquit: ideò in praxi diligenter ab Aduocatis partium animaduertendum, an citatio aliquo vicio laboret, ita vt citatum ad comparendum non obliget: Citatio enim inualida, nullum producit effectum, nec constituit aliquem in mora, cum paria sint aliquid non fieri, vel minus legitimè fieri. Hactenus Gailius.

QVÆSTIO LX.

Quomodo puniendus sit, qui Iudici, eiusue satellitio, ministerio, vel custodiæ, quem exemerit?

Et

I.

ET quidem hic pro diuersitate casuum, diuersimodè punitur. Nam qui captum ob publicum vel priuatum debitum, manibus iudicis, vel eius familiæ, vel carceri (quæ paria sunt, & à DD. æquiparantur, Iacob. Thoming. decis. 15. num. 3.) violenter eripit, bifariam tenetur. Primum creditori, ad debitum perinde soluendum, ac si pro exempto fideiussisset. Iacob. Thoming. d. modò decis. 15. num. 6. vbi allegat ad hoc Baldum in l. addictos 7. num. 4. C. de Episc. aud. & Iaſ. in l. 3. ne quis eum, qui in ius vocat. est, vi eximat, Ioh. Oldendorp. Clas. 1. act. 5. mih. pag. 66. per l. quoties, C. de exact. tribut. Quem textum licet Accurs. ibi torqueat ad debitores fisci exemptos: Bartolus tamen cum aliis, refert etiam ad priuatos, & rectè, cum non censeatur aliquid specialiter statutum in fisco, nisi nominatim dicatur, l. item veniunt §. priuatorum, de petit. hæredit. Refert

& sequitur Oldendorp. d. modò pag. 66. Secundò tenetur iudici, qui ob turbatã iurisdict. suã potest punire eximẽtẽ pœna pecuniaria, secundũ ius & qualitatẽ iurisdictionis suæ, argument l. 2. §. 1. si quis in ius voc. non ierit.

2. Quod si quis iã confessũ, aut conuictũ in iudicio de crimine, ac propterea in carcerẽ coniectũ, vel dum in ius ducitur, vi exemerit, eo casu, eximens in pœnam l. Iul. Maiest. incidit, l. cuiusque dolo, 4. §. itẽ qui confessum, ad l. Iuliæ Maiest. Oldendorp. d. mod. pag. 66. Iac. Thoming. d. decis. 15. num. 4.

3. Quod tamẽ cũ hac distinctione accipiendũ videtur, vt procedat, cũ summi Principis Maiestas, & iurisdictio violatur: secus si inferioris alicuius iurisdictio violata fuerit, quo casu pœna arbitraria, in quocunq; modo eximẽtes, suffecerit, Fab. Ias. n 102. 107. §. pœnales quoq; actiones, 2. Inst. de act. & in l. 3. §. quod prætor n. 12. ne quis eũ qui in ius vocatur, vi eximat, per l. 4. & 9. de cust. reor. Guido Papæ decis. 579. d. tit. ne quis eum &c.

4. Quod

4. Quod si quis manibus iudicis, vel carceri exemerit eũ, qui accusatus quidẽ, nondũ tamen confessus aut conuictus sit de crimine, tenebitur l. Iul. de vi priuata, & pro diuersitate circumstantiarũ, vel vltimo supplicio, vel decẽ libris auri, punietur. Quod & in eo, qui latronẽ occultauerit, receptũ est. Oldendorp. d. modò pag. 66. in fine. Iac. Thoming. d. decis. 15. n. 4. & 5. per vtrobiq; allegata.

QVAESTIO LXI.

Quomodo definiantur feriæ, & quot sint genera earum?

I.

ET quidẽ feriæ sunt tempus, quo forensibus negociis, & iuri dicendo magistratus vacare, nec sui potestatem facere consueuerunt, l. 5. de feriis, Cuiac. sunt quieti dies à iudiciis ciuilibus: dilationes iudiciorũ, & litiũ omniũ: dies quieti à litibus, induciæ, pax: vel deniq; tẽpus mutũ à iudiciis. Cuiac. ad d. tit. de fer. & ad tit. C. eod. de feriis.

2. Harũ aliæ sunt Solennes, aliæ indictæ, aliæ Repentinæ. Spec. in tit. de feriis §. 1. n. 4. & 5. V Vesenb. d. tit. de feriis n. 3.

3. So-

3. Solennes sunt, quæ in honorem Dei & Sanctorum introductæ sunt, vt Dies Dominicus, Natalis Domini, Sancti Stephani, Iohannis Euangelistæ, Innocentium, S. Syluestri, Circumcisionis, Epiphaniæ, septem Dies Dominicæ passionis, Resurrectionis, cum septem sequentibus, Adscensionis Domini, Pentecostes, cum duobus, qui sequuntur: Natiuitatis Iohannis Baptistæ, festiuitatum omnium gloriosæ virginis, duodecim Apostolorum, & præcipuè Petri & Pauli, Beati Laurentii, Dedicationis, Beati Michaëlis, & solennitatis omnium sanctorum, & in causis criminalibus, 40 dies, qui auspicio ceremoniarum, Paschale tempus anticipant c. fin. extra eod. de feriis. c. 1. dist. 3. de consecrat. l. 2. 3. 6. 7. 8. & vlt. C. eod. Specul. d. tit. de feriis, §. feriarum.

4. Indictæ sunt, quæ colligendorum vindemiæ, messis, & aliorum fructuum causa indicuntur l. 1. & 2. de feriis, l. 2. l. 7. C. eod. Et (quod notandum) statuta messi-

messibus & vindemiis tempora, in l. 2. C. eod. nec cum l. 4. ff. de feriis, quæ vult ea esse arbitraria: neq; etiam oportunitatibus, & annuersariæ maturitati horum quidem locorum, & istius septentrionalis cœli, congruunt. Ac subditicia putatur ea constitutio d. l. 2. C. eod. non à Romanis Impp. sed Gothicis Regibus. Tholosanis & Hispanis (quorum cœlo & caloribus magis conuenit) diu post occasum Romani Imperij, inuenta. Vnde nec ab Interpretibus nostris agnita, nec commentariis aut glossis explicata fuit, vt annotatum est à VVesenbecio in commentar. ad d. tit. de feriis num. 6. Magistratus igitur erit, ex consuetudine & ratione cuiusque loci, tàm de his feriis indictis, quam etiam solennibus, statuere d. l. 4. de feriis. 5. Hinc Imperator Carol. 5. Augustæ Anno 1548. hasce constituit ferias, A 24. die Decembris vsq; ad 6. diem Ianuarij inclusiuè: A Dominica Esto mihi, vsque ad Dominicam Inuocauit: A Dominica Palmarum vsq; ad Dominicam

cam Quasi modò geniti. A Dominica vocem Iucunditatis vsque ad Dominicam exaudi, A Dominica Pentecostes vsq; ad Dominicam Trinitatis inclusiuè: Ab 8. die Iulii, vsque ad 14 diem Augusti: omnes dies per totum annum in honorem Dei ordinariè celebres, vt est constitutum ordinat. Cam. Imp. part. 2. Tit. 33. von vacantz vnd ferien / Et refert Oldendorpius in Enchirido. Except. except. feriar. mih. fol 62. in fine, & princ. seq. Et Emanuel Comnenus Imp. orientis edidit nouellam constitutionē mense Martio indict. 14. Anno ab V. C. 66. 74. qua recēsentur dies feriati apud Græcos, quæ extat lib. 2. Constit. Iur. orient. in constit. eius 2. Tit. περὶ ἀπραξίων ἡμερῶν, seu de feriis. Et à Pacio & Dionysio in Corpus Iuris, cum aliis quorundam Imperatorum constitutionibus, transscripta est. In constit. Reg. Galliæ sub Tit. 16. recensentur feriæ apud Gallos vsitatæ.

6. Repentinæ feriæ sunt, quas Princeps ob publicam gratulationem, & Rem-

Rempublicam, benè aut infeliciter gestam, extra ordinem, repentinò indicit & denunciat, vtputa ob diem Natalis sui, vel filij sui, vel coronationis suæ, vel quia vxorem duxit, vel victoriam de inimicis reportauit, vel ob luctum, & res bello infeliciter gestas, l. 1. & l. 4. C. eod. Speculat. d. tit. de feriis, §. feriarum.

QVÆSTIO LXII.

Num Exceptio feriarum prosit etiam ijs, qui ipsi in mesibus occupati non sunt?

I.

HAEC quæstio inter Interpretes controuersa est. Et quidem Bart. ad l. 1. C. de agric. & censit. lib. 11. voluit, his non prodesse, proindeque si citati fuerint ad diem feriatum, exceptionem feriarum prætendere nō posse.

2. Contrariā tamen opinionē tenet Innocentius in c. fi. de feriis, quā, licet Speculator in tit. de feriis §. 1. num. 8. restrin-

restringat, vt procedat tantum in ijs, qui per se, vel per alios occupantur: verior tamen videtur sententia Iohan. Hieron. Alban. in addit. ad Bart. in l. 1. §. sed si prætor, de feriis, vbi vult, ferias vindemiarum & messium, omnibus indistinctè prodesse. Quam etiam VVesenbec. in comment. ad d. tit. de feriis num. 7. amplectitur. Nam quamuis ipsi litigatores non sint occupati in colligendis fructibus, fieri tamen potest, vt ipsorum aduocati, procuratores, aut alij, quorum opera ipsi in ea causa vtuntur, occupentur in messibus, ita vt propter hanc probabilem occupationem omnium hominum, aut saltem plurimorum, feriæ communes esse debeant, maximè cum generaliter Edicto Prætoris cautum sit, ne quis adversarium tempore messium aut vindemiarum in ius vocet, l. 1. in princ. de feriis. Quod beneficium, vt generaliter propositum, ad omnes pertinet, VVesenb. d. nu. 7. de feriis. Et præterea ita ius est, vt quæ in hominum fauorem introducta

ducta sunt, in eorum incommodum retorqueri minimè debeant, l. nulla 25. de legib. Refert & sequitur Iohan. Zanger. ad tit. Instit. de except. vbi agit de exceptione feriarum, pag. 123. cum duab. seqq.

QVAESTIO LXIII.

An libellus, partium siue litigatorum renunciatione siue pactione, omitti possit?

I.

ET quidem litigatores paciſci non possunt, ne libellus in iudicio ordinario, iudici edatur, quandoquidem, secūdum petitionis formulam, sententia à iudice ferenda est. l. vt fundus, commu. diuid. Eoq; nomine actorem, non reo solùm, sed & iudici quoque libellum (quem notarius actis describat) edere debere, communi traditione receptum est, d. c. 1. de oblat. libel.

2. Cæterum, ne sibi inuicem libellum edere cogantur, litigatores paciſci

posse, ratio suadet, quæ vult, quemlibet iuri pro se introducto, renunciare posse, l. si quis in conscribendo, C. de pact. Hanneton. in Rubric. de oblat. libelli, versi. sed nunquid in iudicio ordinario. 3. De consuetudine etiam & stylo quarundã curiarum, tàm Ecclesiasticarum, quàm secularium, libellus omitti potest, etiam in iudicio ordinario. Quo casu receptum est, vt tàm actor quàm reus corã notario, suas petitiones pronunciet, vsque ad sententiam definitiuam, Setzen zu recht vom Mundt in die Federn/Sneid. §. omnium, nume. 99. Instit. de actio. Hanneton. d. Rubric. de oblat. libelli, versic. nisi fortè quibusdam in locis spiritualis fori obseruatio aliud introduxerit, Speculat. tit. de cõcept. libel. §. nunc dicendum, nume. 13. Innocent. in cap. 1. num. 4. de libel. oblat. Ferrariensis Practicus in form. libelli actio. realis, nume. 7. & 8. Sebastian. Vant. de nullit. sentent. ex defect. processus, nu. 21. Consuetudo namque fori, derogat iuri scripto, l. 3. §. fina. & ibi

ſbi Bart. de teſtibus. Alios caſus ad 50. in quibus libellus neceſſarius non eſt, refert Speculat. d. tit. de libel. concept. §. nunc dicendum 9. Item Innocent. in c. 1. nu. 4. & 5. de libel. oblat. quos videte.

QVÆSTIO LXIV.

Quæ ſit optima libelli definitio?

I.

LIbellus ita rectiſſimè definiri poterit, quòd ſit breuis, perſpicua, clara, dilucida, aperta, & neceſſaria verborum conceptio, in ſcriptis, nomen Iudicis, nomina litigatorum, actoris ſc. & rei, facti ſpeciem ſiue narrationem, cauſam petendi, & concluſionem, complectens, ab actore & accuſatore, iudici & aduerſario faciēda, Hannet. Rubr. de obla. libel. Cynus in Auth. offeratur, C. de lit. conteſtat.

2. Dico, breuis cōceptio, quia verborū prolixitas à iure reſpuitur, l. amplioré, §. in refutatoriis C. de appellat. nec ſyllaba ſuperflua poni debet, gaudent

enim breuitate moderni, secundum gl. 1. quod met. caus. Hinc libellis vulgò illa clausula inseri solet, Erscheinet N. vnd sagt kürtzlich etc. Sneid. ad §. omniũ, num. 99 Instit. de act. Et satius est aduitandam probandi difficultatem, pauca vtiliter proponere, quàm inutilibus, aures iudicum fatigare, & in Labyrinthum, quo se non facilè extricabit, conjicere, l. tantùm C. de veter. iur. enuclea.

3. Dico, perspicua, clara &c. Quoniam perspicuitas & claritas maximè est amica legibus, obscuritas verò inimica, Sneid. d. §. omnium, nu. 102. per §. non omnia igitur, in Nouella de testamentis imperfect.

4. Adeò vt si reus exceptionem obscuritatis & generalitatis libello oppositam fuerit, iudex reum ab obseruatione iudicii absoluere, & actorem in expensas condemnare debeat, Felin. in c. significantibus, num. 5. vers. quinta declaratio, de libel. oblat. l. 1 in prin. cum not. post glos. si mens. fals. mod. dix. c. examinata

nata 15. de iudic. Castrens. in l. edita, nu. 7. C. de edend. Ias. d. §. omnium, nu. 127. Instit. de act. Alexand. cons. 29. nume. 31. lib. 7.

5. Quòd si hac exceptione omissa, ad libellum actoris reus responderit, & iudicium acceperit, postea audiri non debet, adeò, vt Iudex, libelli ineptitudine non obstante, pro actore iudicare possit, si de iure actoris constiterit, argumento l. fi. C. de annal. except. Boër. decis. 42. nume. 19. Ias. in d. §. omnium, num. 125. Instit. de act. Nam si non intellexit reus, qua de re controuersia & lis esset mota, illudq; actori non obiecit, sibi imputare debet, cum potuerit postulare, vt actor disertius exprimeret, quid vellet, nunc quia tacuit, vel satis perspexisse, quod aduersarius peteret, vel ipse sibi sua negligentia, spaciũ ac ius deliberandi, vtrùm cedendum, vel litigandum esset, præcidisse videtur, Ias. in d. §. omnium, nume. 126. Instit. de act. & in l. 1. nu. 1. C. de edend. l. fin. & ibi glos. in verb. si ex multis, in fin. & DD.

communiter, C. de annal except. Felin. in c. 2. de libel. oblat. Ioh. Baptista Asin. in praxi iudic. §. 13. c. 1 nu. 15.

6. Cumq; hæc obscuritatis & generalitatis exceptio dilatoria sit, litisque contestationem differat, consequens est, in primordio litis eam opponi debere, Ias. in d. §. omnium, num. 126. Inst. de act. post Bart. in l. exceptionem, nu. 7 C. de probat. Ias. in l. 1. num. 2. C. de edend. Chili. Konig. in proces. c. 43 nu. 4.

7. Potest tamen Iudex cogere actorē, etiam post litem contestatam, vt ambigua & obscura, si quæ in ipsius libello occurrant, explicet & declaret, vt scilicet intelligat, quid petierit, & qua de re ferenda sit sententia, Ias. in l. age cum Geminiano 3. nume. 15. argument. illius textus, C. de transact. Bald. in l. 1. nu. 11. C. vt quæ des. aduocat. part. Panor. in c. 2. de libel. oblat.

8. Etenim quoties actor ambigua oratione, aut intentione vtitur, intentio eius sic accipienda est, vt res ei sit salua, l. in contrahenda 172. §. vlt. de R. I.

l. si

l.si quis intentione 66. de iudic. Id autem fieri nequit, nisi actori liceat, etiam post iudicium cœptum declarare intẽtionem suam, & omnem obscuritatem & ambiguitatem tollere.

9. Et hæc obtinent in causis ciuilibus & ordinariis: secus est in causis criminalibus & summariis. Nam in illis, libellus obscurus & generalis, ipso iure nullus est, Ias. in l. 1 nume. 2. 3. & 4. de edend.

10. Dico, necessaria, quoniam ea tãtùm ponenda & libellanda sunt, quæ probata, actoris intentionem adiuuant, c. examinata, de iudic.

11. Dico, in scriptis, quoniam actio regulariter in scriptis edenda est, licet & nonnunquam sine scriptura fieri possit, vt supra dixi.

12. Dico, nomen iudicis cõplectens, Nam coram hoc, actio institui debet, quia nemo sibi χειρῶν νόμῳ ius dicere potest, l. 15. quod met. caus. Et nisi nomen iudicis adscribatur, reus intelligere nequit, an is iudex ad quem

vocatur, competens sit, nec ne. Item v. trum iustas causas habeat, iudicem, tã. quam sibi suspectum, recusandi, aut po. stulandi, vt alius ei iudex adiungatur, Auth. offeratur, C. de lit. contest. Nouella 53. c. 3. Non est autem necesse exprimere nomen proprium iudicis, sed sufficit exprimere nomen dignitatis, seu iurisdictionis, siue tribunalis, quia non agitur coram eo tanquam priuata persona, sed tanquam publica, dignitatem & iurisdictionem habente, Sneid. in §. omnium, nu. 120. post Iohan. Plat. in §. præterea, num. 38. Instit. de actio. Hinc clausula illa vulgaris: Coràm vobis domine iudex comparet N. breuiter dicens &c. Sneid. d. mod. nu. 120.

13. Dico, nomen actoris complectẽs. Quod vt rectius intelligatur, distinguendum est: aut enim quis per se agit, aut per alium agit. Primo casu, non necesse est actoris nomen in libello exprimere, ex sententia Baldi, in l. 3. C. de edend. quia actor semper est certus, & is intelligitur, qui suo nomine libel-

libellum proponit. At secundo casu, debet exprimi nomẽ actoris, vt nimirum reus sciat, cuius nomine conueniatur, & vt secum deliberare possit, num cedere vel litigare velit; & vt sciat, quod sibi de satisdationibus sit faciendum, l. 40. §. ratihabitionis, cum §. seq. de procurat. l. exigendi 12. C. de edend. argum. l. 3. de his quæ in testamento delent, l. 3. de public. iud.

14. Dico, nomen rei, & hic distinguendum est. Aut enim reus est certus, aut incertus. Si est certus, tùm, quàm potest, optimè, designari debet, l. de vnoquoq; 47. de re iudic. Necessariò tamen principales tantum rei exprimuntur, alii nõ item, l. si suspecta 29. in prin. de inoffic. testament. Vnde vulgò poni solet: Titius agit contra Sempronium & consortes. Quod si agitur aduersus incertum reum, tum non est opus quẽpiam nominare, sed libellus subsistit, si tantùm facti species, & alia commodè proponãtur, l. sed si pupilli 11. §. proscribe, de institor. act.

15. Quod si contra vniuersitatem agatur, non opus est singulorum ciuium nomina exprimere, sed sufficit Magistratuũ officia designare, & cõtra Syndicum ciuitatis experiri, l. vlt. §. defensores, de muneribus & honor. tot. tit. quod cuiusq; vniuers. nomine, vel contra eam agatur.

16. Et nisi nomen rei in libello exprimatur, iudex vix reum absoluere, aut condemnare potest, cum sententia conformis esse debeat libello c. graue 11. q. 3. l. vt fundus 18. com. diuid.

17. Dico, facti speciem siue narrationem: Et hoc inprimis in concipiendo libello aduocato curandum, vt ipsum factum clarè, perspicuè & congruenter narret, ita vt ex eo causa aliqua, seu medium concludendi, ex quo sequatur cõclusio, resultet, Speculat. in tit. de libel. concept. §. quid libellus continere debeat, nu. 3. Ias. in l. 1. nu. 13. de eden. & ibi etiam Zas. in prin. Idem Ias. in §. omniũ, nu 115. & Sneid. num. 108. Instit. de act. VVes. in cõment. ad d. tit. de eden. nu. 3.

Nar-

18. Narratio itaq; ex his maximè commendatur. Primò, vt sit dilucida & breuis, & ne obscura & superflua contineat. Satius nãq, est, pauca vtiliter proponere, quã multis inutilibus, aures iudicum fatigare. l. 2. §. contrariũ, vers. inde, C. de vet. iur. enucl. Et obscuritas nimia viciat libellũ, vt si quis varie, & intricatè ponat, argu. l. nemo, in fin. de acquir. poss. vel, si alternatiuis vocib. vtatur, l. vbi autem, §. qui illud aut illud, de verb. oblig. Item, plus, minus & vltra, vel aliis ambiguis orationibus, l. prætor edixit, §. quod aũt prætor, de iniur. vnde Carolus V. Imp. repudiat hæc verba. vt nimis obscura, patronis causarum admodum familiaria, vt ponitur, wie gesetzt/ constit. August. part. 3. tit. 15.

19. Hic tamen iudicis officium erit, ne ob modicam obscuritatem, libellum vel propositionem reijciat, l. si quis intentione, de iudic. & rursus, ne intolerabilem obscuritatem dissimulet, l. 3. de reb. dub. Paria namq; sunt, nihil edere, & obscurè edere, h. e. vt non adpareat, quid

quid sit l.duo sunt Titii, de testament. tutel. l. si fuerit, de reb. dub. l. 2. de his quæ pro non script. habent. l. ita fidei, de iur. fisc. Iohan. Oldend. in Enchirid. except. forens. Rubric. de excep. inept. libelli.

20. Obscuritas autem in libello quinque modis committitur. Primò ratione æquiuocationis, quando videlicet, oratio, vel verbũ, plurib. modis accipi potest, l. quoties in stipulationibus, de verb. oblig. l. veteribus, & ibi notat. de pact. vt si canem dicam, & non distinguam, vtrum marinum, terrestrem, vel cœlestem, intelligi velim.

21. Secundò, ratione generalitatis, veluti. si contra Titium actionem iniuriarum intendam, neq; certam iniuriæ speciem exprimam, l. prætor edixit, in princ. de iniur.

22. Tertiò, ratione alternationis, vt puta, si iniuriæ nomen dicatur sic: illud aut illud, & tamen iniuria specificè non allegetur, d. l. prætor edixit §. quod autem, l. vbi autem non adparet, §. qui illud,

illud, de verbor. obliga. l. cum incertus, de legat. 1. c. cum à crapula, de vit. & honeſt. cleric.

23. Quartò, ratione locutionis nõ coarctatæ, l. item exigit prætor 16. vbi in actione de dolo, & ſi diuerſa ratione ſecus ſit in actione quod metus cauſa, agens deſignet, cuius dolo malo factum ſit aliquid, & quid factũ ſit, de dol. mal. Qui caſus ferè cum ſecundo coincidit.

24. Quinto, ratione infinitatis, vt in ſeruitute, ne luminibus officiatur, quod & de his quæ nunc ſunt, & quæ poſtea fuerint, intelligi poteſt, l. ſi ſeruitus, de ſeruit. vrban. prædior. Qui etiam caſus ad ſecundum non incommodè referri poteſt. Et hos quinq; caſus obſcuritatis, ita refert & declarat Marc. Mantua ſingul. 273. & ſing. 531.

25. Sed & aliis modis obſcuritas committitur, cõpoſitione videlicet diuiſione, amphibologia, & ſimilib· qui tamẽ ad ſupradictos, rectiſſimè referri poſſunt, Mar. Mant. d. mod ſing. 273. in fin.

26. Secundò commendatur narratio ex

tio ex eo, vt necessaria & vtilia comprehendat, quæ probata, actoris intentionem iuuare possint, c. examinata, de iudic. Nam si narratio, vel propositio aliqua, sit impertinens, & extra causam, non est admittenda, iuxta regulã, quod probatum non prodest asserenti, id frustra ponitur aut probatur, l. hæc stipulatio, vt legat. seu fideic. seruand. caus. Quoties (inqt Neratius) euidẽs res est, vt certũ sit, nullo modo fideicommisso locum esse, perquàm iniquũ esse, supervacua cautione onerare hæredem, & l. ad probationem dominii, C. de probat. Siquidem (inquiunt Impp) huiusmodi licet probetur factum, intẽtioni nullum præbet adminiculum. Et est casus in c. dilecti filii 8. de excep. Ioh. Oldend. in d. except. inept. libel except. 2.

27. Dico, causam petendi, nam in libello causa siue medium aptè concludendi exprimendum est: & quidem in actione reali, de necessitate causa tantùm proxima, h. e. dominium vel quasi: aut ius in re: de vtilitate verò etiam causa

causa remota, contractus sc. vel alii tituli. In actione autem personali exprimenda tantùm est causa remota, h. e. contractus vel delictum, non etiam necessariò proxima causa, obligatio scilicet, Bart. nu. 12. & seqq. Ias. nu. 13. l. 1. de edend. Idem Ias. nu. 116. 117. 120. & seqq. Sneid. nume. 109. cum quinq; seqq. & in d. §. omnium, Instit. de act. Andr. Gail. lib 1. obs. pract. 61. nume. 3 4. 5. 6. 7. & 8. Guilhel Hannet. in tract. de ord. iudic. part. 1. Rubr. de oblat. libel. vers. debet & causa, cum seqq. Diuersitatis rationem tradit Sneid. in d. §. omnium, num. 115. & 116. Instit. de act.

28. Quod si ex petitione & conclusione libelli apta, iudex intentionem, & ius actoris intelligere possit: tunc causæ vel remotæ vel proximæ omissio, libellum non viciat, And. Gail. d. obs. 61. nu. 13. cum quatuor seqq.

29. Ipsum tamen actionis nomen, cõceptis verbis, & specificè, præsertim iure Canonico, exprimi necessum non est, c. dilecti, vbi Panor. nu. 12. cũ seqq. de iud.

Bart.

Bart.num.18.& 20.l.1.de edend.Specul. tit. de libel. concept. §. 1. de edend.Konig.in pract.c.49.And.Gail.d.obser. 61. num.1.VVesenb.cons.41.nume.13.vol.1. Duar.ad tit.C.si cert.petat.c. 6. quoniã actionis nomen, genus & qualitas, ex causa petendi,vel medio concludendi, satis colligitur & demonstratur,Gail.d. obs.61.num.9.

30. Et iudex, ex deductis, si sit obscurum,quæ actio intentata sit,eam elicere debet, quæ actori omnium sit vtilissima. Nam in dubio, illud intentatum intelligitur remedium,&illa actio, quæ melius facto adplicari potest,Gail. d.obs.61.num.10. præsertim, si in libello clausulæ salutares adiectæ sint, videlicet: Super quibus omnibus peto mihi ius & iustitiam administrari,Item,omni meliori modo.Quæ tantæ sunt efficaciæ, vt earum virtute, omnis actio, omneq; remedium competens, & resultans ex narratis, in iudicium deductum esse videatur,Gail.d.obs.61.nu. 11. & 12.vbi subijcit,in Camera,virtute talis clau-

lis clausulæ, sæpè etiam super non expressè petitis, pronunciatum fuisse, vt in causa Coss. ciuitatis Hallensis, contra Henricū Spieß / quòd scilicet adiiciens hanc clausulam, censeatur iudicem interpellasse, ita vt officium suum impertiri possit. Gail. d. modò nu. 12. per ibi allegata. Hinc Felin. in c. licet Heli. num. 44. de Simon. scribit, quòd intentans possessorium, adiectis clausulis salutaribus, possit etiam in petitorio obtinere.

31. Et quod diximus, actionis nomen in libello specificè exprimi necessum non esse: adeò verum est, vt procedat, licet ex causa petendi, plures actiones resultare possint. Nullum enim exprimendo nomen actionis, actor intelligitur, maximè sibi idoneam proposuisse. vt multis confirmat VVesenbec. cons. nu. 20. volum. 1.

32. Et narratio & conclusio ostendunt, qualis actio sit proposita, vt probat idem VVesenbec. cons. 13. nu. 4. volum. 1. Licet Gail. d. obs. 61. in fine con-

tra sentiat, vbi vult, si causa in libello contenta, apta sit producere plures actiones, quod tunc actio in libello specificè sit exprimenda. Et subiicit exemplum de colono conuento ob arbores cæsas. Quo casu cum plures actiones aduersus colonum competant l. 1. 2. l. pen. arbor. furt. cæs. l. duob. §. colonus, de iureiur. necesse esse, actionem exprimere, vt reus conuentus certus esse possit de qualitate actionis propositæ, per allegata Bart. & DD. in l. edita C. de edend. & in l. 1. ff. eod. Gabr. Sarayn. in addit. ad Mathesil. sing. 9. nota regulam, num. 7.

33. Expressio tamen actionis, nisi manifestè inepta fuerit, libellum non viciat, l. 1. in princ. vers. sin autem, si mens. fals. mod. dix. Bart. in leg. 1. num. 19. hoc tit. nostro, Zas. Instit. de act. in princ.

34. Dico, conclusionem, in libello namq; ciuili, apta conclusio maximè necessaria est, eaque in primis attendi debet, & tota vis libelli in ea ver-

tur,

tur, vnde iudici ad eam potissimum respiciendum est, adeò, vt licet ineptè fuerit narratum, causa item petendi fuerit inepta, vel etiam omissa, tamen si conclusio & petitio aptè formetur, vt iudex intentionem actoris intelligere inde possit, sufficiat benè esse petitum & concluſum, quoniam conclusio regulat, ampliat, restringit & determinat totam actionem. Iaſ. num. 14. & seqq. l. 1. de edend. Idem in §. omnium, nu. 12. & seqq. & ibi quoq; Sneid. num. 117. & 118. Instit. de action. Gail. d. sæpius obſ. 61. num. 13. 14. 15. 16. & 17. Oldendorp. in Enchirid. except. forenſ. Rubric. exceptio inept. libelli. except. 1.

35. Sunt tamen certi casus, in quibus conclusio impunè omitti potest. Primus est, quando agitur possessorio recuperandæ. Nam tunc in odium violenti inuasoris, libellus absq; conclusione procedit. Secundus est, quãdo vltra narrationẽ adponitur, aliquod prægnãs

verbum, quod vim concludendi habet, veluti, cõqueror de Titio, cui mutuaui decem, quos nec dum restituit. Tertius est, quando factum narratur coram Principe. Quartus est, in causis criminalibus, vbi sola facti narratio, absq; aliqua petitione vel conclusione admittitur. Nam ibi agitur ad vindictam publicam, vel pœnam scilicet corporalem, accusato infligendam, vel pecuniariam, fisco adplicandam, & nihil petitur, parti accusanti vel dari vel fieri, proindeq; conclusio necessaria non est, sed potest Iudex ex officio, etiam nemine petente, supplere & procedere. Hos quatuor casus ex Iasone refert Sneid. in d. §. omnium, num. 119. Instit. de act. Quibus addite eundem Ias. ad l. 1. num. 17. cum seqq. de edend. Oldendorp. de formula libelli. Bald. & DD. in l. edita C. eod. tit. Gail. d. sæpius obs. 61. nu. 17. 18. 19. & 20. Felin. in c. vnic. num. 7. cum seqq. vbi decem casus recensetur.

36. Sed nunquid petitio vel conclusio alternatiua erit admittenda. Et licet re-

cet regulariter admittēda non sit, propterea quòd alternatio obscuritatem & incertitudinem adferat, quæ longissimè à petitione abesse debet. Gail. d. sæpius obs. 61. nu. 1. Sunt tamen certi casus, in quibus libellus vel cōclusio alternatiua admittitur.

37. Primò admittitur libellus vel conclusio alternatiua, ratione incertitudinis, Gail. lib. 1. obs. practic. obs. 62. n. 4. vt si in rei vendicatione & publiciana, propter dominij incertitudinem, petat actor se declarari dominum vel quasi, Gail. d. obs. 62. num. 5. in princ.

38. Item, peto rem, si extet, vel eius æstimationem, si consumpta sit. Gail. d. modò num. 5. vers. item valet libellus. Mynsing. cent. 4. obs. 11.

39. Quod si certum sit, rem adhuc extare, tunc ipsa res, & non eius æstimatio, peti debet, cum æstimátio tantùm in subsidium debeatur, Gail. d. obs. 62. num. 6. & 7. in princ. Licet Mynsing. etiam hoc casu libellum vel petitionem alternatiuam sustineri posse existimet,

Et officium iudicis esse, vt si quidem res ipsa adhuc extet, præstariq́, possit sine difficultate conuenti, condemnationem faciat in re petita: Sin autem nullo modo præstari possit, vt quia perierit, aut consumpta sit, tunc reum condemnandum ad æstimationem. Mynsing. d. cent. 4. obs. 11. circ. fin.

40. Ité procedit cõclusio alternatiua ratione incertitudinis, si minor petat contractũ nullum declarari, aut si quis sit, eum rescindi, seq́, in integrũ restitui Gail. d. obs. 92. n. 7. vers. eadem ratione.

41. Idem est, si dicat actor, dico sentẽtiam nullam, aut si qua est, peto eam, tanquam iniquam reuocari, vel me contra eam restitui, Gail. d. obs. 62. n. 7. vers. similiter talis libellus.

42. Procedit etiam libellus alternatiuus in petitione hæreditatis, & interdicto, Quod legatorum, quoties incertum est, quæ potius actio teneat. l. 1. §. quia autem, quod legator.

43. Deinde petitio vel conclusio alternatiua procedit in actione hypothecaria,

caria, veluti, peto illum condemnari ad traditionem rei obligatæ, vel ad soluendum debitum. Gail. d. obs. 62. nu. 8. & 9.

44. Itē probatur in materia vel conditione l. 2. C. de rescind vendit. vt videlicet emptor, vel precium suppleat, vel rem emptam restituat, Gail. d. obs. 62. n. 10. Mynsing. cent. 2. obs. 42. in princ.

45. Et in Camera imperiali hoc casu, licet tantùm rei emptæ restitutio petatur, sentētia tamen nihilominus alternatiuè concipitur, vt: cōdemnamus te, vt rem emptam restituas, vel precium augeas, Gail. d. obs. 62. num. 10. in fine. Mynsing. d. cent. 2. obs. 42. in fine.

46. Dico, ab actore & accusatore. Quoniam libellus alius est ciuilis, postulatorius siue conuentionalis, qui in ciuilibus & pecuniariis causis offertur: Alius criminalis, accusatorius, siue querimonialis, qui in criminalibus causis offertur c. fin. & c. 1. de libel. oblat. & ibi glos. & DD. l. libellorum 5. de accusat. & ibi DD. Spec. de libel. concept. §. species. Lanfranc. in c.

quo-

quoniam, ad verb. petitiones, de probat. Sneid. d. sæpius §. omnium nu. 105. Instit. de act. VVesenbec. in Comment. ad tit. de edend. num. 3. in fine.

47. Dico, Iudici & aduersario facienda. Iudici propterea libellus edendus est, vt speciem futuræ litis inde cognoscat. l. 3. C. de edend. Et cum sententia conformis esse debeat libello, vt iuxta formam eius proferre sententiam possit. l. vt fundus, com. diuid. l. fin. de fideic. libert. VVesenbec. in Comment. ad tit. C. de edend. num. 1. Sneid. in d. sæpius §. omnium, nu. 103. in fine, adeò, vt ne partes quidem pacisci possint, ne iudici libellus edatur, licet sibi inuicem editionem remittere possint. Guilhel. Hanneton. de ord. iudic. part. 3. Rubric. de libel. oblat. vers. Sed nunquid in iudicio, & vers. Cæterùm ne iudici. Et dixi supra quæst. proximè præcedente, nu. 1. & 2.

48. Aduersario vel parti editur libellus, vt deliberare possit, vtrum cedere, an litigare debeat, & si contendendum

dum putet, veniat instructus ad agendum cognita actione, qua conueniatur l.1. de edend. VVesenbec. d. modò nu. 1. Sneid. d. modò §. omnium nu. 104.

49. Sed per quem? Iudicem.

50. Quando? post citationẽ, vt quidam, vel vt communius placuit, cum citatione, vt scilicet Iudex vnà cum citatione mittat libellum reo, vel inserat citationi tenorem libelli, ex quo reus instruatur, Sneid. d. modò nu. 104. vbi ita in practica obseruari attestatur.

51. Sed cuius sumptibus libellus edendus, actoris ne, an verò rei conuenti? Et si quidem secundum supradicta, libelli editio, litigatorum conuentione, sibi inuicem remissa fuerit, Notarius, non nisi mercede, ab eo, qui conuenitur, data, libelli iudici porrecti exemplum eidem dare tenebitur. Si verò editio litigatorum conuentione remissa non fuerit, actoris expensis fieri debebit. Hannet. d. Rubric. de libel. oblat. vers. si ergò secundum suprascripta, argumento l. suo victu, de oper. libert.

Idq; crebrius, veriusq; traditum esse, idem Hannet. attestatur d. mod. loc. licet Cyn. in Auth. offeratur C. de lit. contest. contrà sentiat, qui vult, vtriusq; sumptibus libellum exhibendum esse. Et hactenus de definitione libelli eiusque expositione.

QVÆSTIO LXV.

Quamdiu Emendatio & mutatio actionis, siue libelli, concessa sit?

I.

HAEC quæstio inter interpretes nostros controuersa est. Sed eorum altercatione reiecta, sic habendum: Emendationem, quæ vel rei petitæ, vel actionis propositæ substantiam non immutat, ad sententiam vsq; permissam esse, l. edita. verb. emendari, C. de edend. Si igitur actor, actionis semel editæ qualitatem emendare, ambigua, obscuraque declarare velit, ad sententiam vsque audietur l. in delictis §. si detracta, de noxal.

noxal.act.l.si quis intentione, de iudic. c.litera, de dilat.extra. Nisi fortè huiusmodi qualitatis emendatio, personam semel expressam, factumuè narratū mutaret, l.denunciasse, vers. quid tamen, ad l.Iul. de adult.

2. Ea verò Emendatio, quæ vel actionem semel propositam, vel rem petitam immutat, vsq; ad litis contestationem solum licita est, argumento l. non potest, de Iudic. Nec enim emendatio correctioq; propriè dicenda est, cum emendare propriè sit mendum tollere, salua remanente substantia l. actorem, de re iudic.

3. Si tamen actor de summa petita aliquid detrahere vel diminuere vellet, veluti si, cum decem aureos antea petiisset, nunc quinq; sibi dari oportere intenderit: aut si cum totum fundum antea petiisset, nunc partem dimidiam petierit, ad sententiam vsq; audietur, §. sin minus Instit. de action. l. quidam, si cert. petat. Mynsing. cons. 57 n. 1 & 2. vbi d. modò §. sin minus, fusius explicat & declarat

4. Sed

4. Sed & si actor probabili errore deceptus, minus quàm sibi debitum esset, petierit, in eodem iudicio, eademque instantia, ad sententiam vsque errorem suum corrigere poterit, d. §. sin minus, Instit. de act. veluti, si actor prio asseruerit in libello, sibi deberi 418. flor. Iam verò post litem contestatam addat summæ, vt resultent quingenti octuaginta floreni decem batzij, & 15. Cruciferi, Mynsing. d. modò cons. 57. num. 1

5. In vniuersali quoque iudicio, vt puta petitione hæreditatis, etiam emendatio, ex qua res petita variatur, quandocunque admittitur l. 4. l. si quo, de petit. hæredit.

6. Denique, si emendatio, id quod interest, damna, sumptus, fructus, reliquasq; accessiones, quæ lite pendente deberi cæperunt, respiciat, ad sententiam vsque concedetur, argumento l. ædiles, vers. item sciendum, de ædilit. edict.

7. Si verò eas accessiones, quæ ante litem contestatam debebantur, concernat

cernat, vsq; ad conteſtationem ſolam admittetur, argumento d. verſ. item ſciendum.

8. Et hactenus de Emendatione libelli ſiue actionis, ſequitur nunc de mutatione eiuſdem. Et hic pro regula traditum eſt, actori libellum ſemel editum, ante litis conteſtationem mutare licitum eſſe d. l. edita, verb. mutari, C. de edend. Gail. lib. 1. obſ. practic. obſ. 74. num. 4. & obſ. 51. num. 9. Ratio ea eſt, quod per litis conteſtationem iudiciũ demum incipere dicatur, & ab illo tempore quis inſtantiæ obligetur, adeò, vt ab ea diſcedere non poſſit. Gail. d. obſ. 74. num. 5. 6. & 7. per allegata ibi adducta. Ita tamen, vt actor reo expenſas, quas ex ea cauſa fruſtrà fecit, refundat: hoc enim edicti perpetui auctoritas monet, iudicisq; æquitas ſuadet, vt Accurſ. annotauit, & Bartolus comprobauit, ad d. l. edita C. de edend.

9. Poſt litem verò conteſtatam, mutationem licitam non eſſe, communi interpretum calculo receptum eſt, in d.

ſæpius

sæpius l. edita Cod. de edend. etiam partium consensu accedente, eò quòd mutatio rei semel petitæ actionisq; propositæ, rei substantiam tollat, litemq; contestando, litigatores, instantiæ, ex proprio suo contractu, astringantur, l. 3. §. idem scribit, de pecul. Gail. d. obs. 74. num. 9.

10. Emendatio & Mutatio (quod hic pro maiori euidentia notandum) differunt. Emendatio ad partem: mutatio ad totum refertur. Emendare est mendum, id est, errorem tollere, salua remanente substantia, idemque significat, quod corrigere & castigare. Siue igitur mendum sit ex superflua aliqua adiectione, siue ex detractione, siue ex nimia obscuritate, qui id corrigit, superflua resecando, concisa addendo, mutilata supplendo, confusa distinguendo, obscura dilucidando, emendare recte dicitur. Mutatur actio, cum vetere omissa, alia proponitur. Alciat. post Bart. in d l edita C. de edendo.

11. Qui plura de Emendatione & mutatio-

tatione libelli siue actionis scire auent, consulant Ferrar. practic. in form. libell. action. real. in verb. saluo iure addendi, à princ. vsq; ad n. 8. inclusiuè. Mynsing. d. cons. 57. n. 1. & 2. Sneid. & DD. in d. §. sin minus, Instit. de act. Alciat. & DD. in d. l. edita C. de edend. VVesenbec. cons. 18. n. 3. & 5. vol 1. Guilhel. Hannet. de ordin. iudic. part. 1. Rubric. de oblat. libelli.

QVAESTIO LXVI.

Quæ actiones, vno eodemq; libello cumulari, coniungi, & coaceruari possint, & quæ non possint?

I.

COmmunis est Doctorum conclusio, plures actiones, si ex diuersis causis, ad diuersa agatur, nec obstent regulæ prohibitiuæ, cumulationem impedientes, coniungi atque cumulari posse. Gail. lib. 1. pract. obs. 63. nu. 1.

2. Hinc actio ex vēdito in decē, certi condictio ex mutuo in viginti, rectè in eo-

in eodem libello coniunguntur, l. si idē 11. de iurisdict. Alciat. in l. edita C. de edend.

3. Possessorium quoq; & petitorium rectè cumulari possunt, siue agatur de adipiscenda, siue recuperanda possessione. vt & interdictum retinendæ possessionis cum petitorio coniunctionem quandoq; admittit, l. naturaliter 12. §. 1. de acquir. possess. l. & an eadem 14. in fine, de except. rei iudic. c. pastoralis, de caus. possess & propriet. Zas. in §. si minus, Instit. de act. Cuiac. lib. 7. obs. c. 38. Villalob. in com. opin. sub lit. P. nu. 77. & 78. Gail. remissiuè, obs. 63. nu. 2. & 10.

4. Actio quoq; Iniuriarum, & legis Aquiliæ actio, rectè cumulantur, etiam in suprema Imperij curia, Gail. d. obs. 63. num. 9. Mynsing. cent. 1. obs. 25. vbi pro hac sententia vterq; adducit l. seruum, de obligat. & act. & DD. in l. dominum C. de iniur.

5. Sic actionem iniuriarium ad palinodiam, recantationem, siue reuocationem iniurioforum verborum, cum actione

actione iniuriarum ad æstimationem cumulari posse receptum est, Gail. d. lib. 1. obs. pract. obs. 65. nume. 2 vers. modò quæritur.

6. Sic causa nullitatis, & in integrum restitutionis, vno eodemq; libello, deduci possunt, Mynsing. cent. 2. obs. 25. in princ.

7. An autem restitutio in integrum, cum rei vendicatione, cumulari valeat, licet DD. mirificè inter se confligant, tamen Mynsing. ex communi DD. opinione concludit, vtrumq; rectè coniungi posse, videlicet contractum rescindi, & possessionem rei restitui, Mynsing. d. modò obs. 25. Modum autem & formã proponendi vtrumq; in eodem libello, docet Cyn. in §. rursus, versic. Vlterius quæro an petitio, Instit. de action.

8. Actio quoq; personalis & hypothecaria, ex sententia practicorum, vsuq; recepto, in eodem libello cumulari possunt, si contra debitorem principalem, vel eius hæredem agatur, ipsiq; possideant rem hypothecariam, secus

si non aduersus debitorem, sed aduersus extraneum possessorem agatur, Zas. in d. §. si minus, Inst. de act. Mynsing. cent. 1. obs. 58. Gail. lib. 2. obs. 26. nume. 4. Ant. Gabr. Roman. lib. 2. com. conclus. tit. de action. conclus. 1. nume. 30. cum seqq. Viuius in commu. opin. verb. actio hypothecaria. Licet ius ciuile scriptum, h. e. Nouella 4. c. 2. si rectè expendatur, hanc cumulationem non permittat.

9. Deniq; actio publiciana, cum rei vindicatione, eodem in libello simul edi & proponi potest, Gail. d. lib. 1. obs. 62. nu. 5. Modest. Pist. cons. 27. n. 18. & seqq. volum. 1.

10. Et hactenus de actionibus, quæ cumulari possunt, nunc paucis etiã videamus de iis, quæ cumulari non possunt. Nõ rectè igitur cumulantur actiones, quæ eius sunt generis, vt subsistere & tractari simul nequeant, veluti si absolutoria in vna actione, peremptura sit actionem in altera.

11. Vnde si fundum Titianum à te petam, eumq; meum esse intendam, &

præ-

præterea petam viam ad eundem fundum, per fundum tuum Sempronianū, obijci mihi, quoad viæ petitionem, exceptio potest. Non aliter enim viā mihi deberi probaturus sum, quā priùs probauerim, fundum Titianum meum esse. l. fundū 16. de excep. Sed etsi fundi, quē tu proprium tuum esse dicis, partē abs te petam, & velim simul quoq; cōmuni diuidundo agere, sub eodē iudice: Itē, si eius fundi, quem tu possides, & ego, vt proprium meum, abs te peto, simulq; fructus condicere velim, exceptio mihi obstabit. Prius enim de proprietate cōstare oportet, quàm huiusmodi iudiciis experiri, l. fundi 18. de except.

12. Duæ quoq; actiones ex testamento, de eadem re ex duobus testamentis legata, cumulari non possunt, l. omnes 17. de oblig. & act. l. Mæuius 66. §. duorum, de legat. 2.

13. Item condictio certi ex mutuo, & actio de cōstituta pecunia, mutuo sc. in constitutū conuerso, cumulari non possunt, l. item 18. §. vlt. & ibi Bart. de constit. pecun.

14. Non admittitur quoq; cumulatio, si actiones quidem & res sint diuersæ, at causa petendi eadem, ita vt absolutoria in prima actione, productura sit exceptionem rei iudicatæ in altera, veluti, si actione furti ad duplum vel quadruplum aduersus te consistere velim, & simul in eodem libello condictionem furtiuam proponere, argumen. d. l. fundum 16. & d. l. fundi 18. de except. Zas. in d. §. si minus, Instit. de act.

15. Item si actiones sint diuersæ, sed res & causa petendi eadem, ita vt electione vnius actionis, altera tollatur, sine dubio cumulatio non admittitur Zas. in d. §. si minus, Instit. de actio. Nam rei legatæ nomine, competunt legatario actio personalis ex testamētis, actio hypothecaria, & vindicatio, si propriam rem testator legauit. At his omnibus simul vti legatarius non potest, sed harum vna duntaxat contētus esse debet, vnde hoc casu cumulatio prohibita l. cum filius 76. §. pen. de legat. 2. Nisi fortè de personali actione constet. Quo casu

casu, cum hypothecaria, personalem ex testamento actionem, rectè coniungi posse, traditum est, Zas. in d. §. si minus, Instit. de actio. Mynsing. cent. 1. obseruat. 58.

16. Creditores quoq; , qui contrahũt cum filiofamilias, vel seruo in merce peculiari, sciente patre vel domino, duas actiones aduersus patrem vel dominum habent, actionem de peculio scilicet, & actionem tributoriam: verùm eligere debent, qua actione experiri velint, nõ etiam vtraq; vti possunt, l. quod in hærede 9. §. 1. de tribut. act.

17. Item actiones, quæ secum pugnant, veluti querela inofficiosi testamenti, & actio, qua dicitur testamentum non iure perfectum: Item petitio hæreditatis, & interdictum, quod legatorum, malè copulantur: nisi actor probabiliter dubitet de genere actionis, quo casu huiusmodi actiones, cum protestatione, cumulationem patiuntur, l. 1. §. quia autem, quod legat. Gail. lib. 1. prac. obs. obs. 63. n. 3. Mynsi. cẽt. 3. obs. 25.

18. Cæterùm, qui plura de cumulatione actionum scire auent, recurrant ad Pract. Ferrar. in form. libel. act. real. verb. Saluo iure addendi, num. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. Alciat. in d. l. edita 3. C. de e-dend. Sneid. ad d. §. si minus, nume. 16. cum quinq; sequentib. Instit. de action. Henric. Bocer. part. 1. disputationum ad Pandectas, disput. 8. Themat. 9. cum 16. seqq. vbi hæc ferè exempla comportauit: Quibus diligens lector plura indies priuato studio adijcere poterit.

QVAESTIO LXVII.

Quæ & quales clausulæ (quas vulgò saluantes & salutares adpellant) libellis vtiliter adjci possint?

I.

MVltæ sunt clausulæ & protestationes, quæ partim propter vtilitatem, partim etiam propter necessitatem, maioremq; firmitatem & securitatem, libellis inseruntur. Quales sunt.

Primò

2. Primò quòd petitionem actor deducere velit, non in forma solennis & concinni libelli, sed tantum in modum simplicis querelæ & narrationis.

3. Secundò, quod adstringere se nolit ad superfluam probationem, sed ad ea tantùm, quæ ad victoriam cáusæ obtinendam sufficiunt.

4. Tertiò, licet reus pluries ad dandum vel faciendum amicè commonitus & interpellatus fuerit: quòd tamen vsque ad præsentem ineuitabilem controuersiam, ab ipso nihil impetrare vel obtinere potuerit.

5. Quartò, quòd roget petitionem suam, omni meliori modo accipi, vt si quid meliùs commodiusq; peti possit, id tacitè subintelligatur, quasi expressè petitum esset.

6. Quintò, quòd petat, sibi super omnibus & singulis, quæ petiit, ius & iusticiam administrari.

7. Sextò, quòd petat, reum conuentum condemnari ad soluendum vel faciendum, & ad prædicta cogi & cõpelli.

8. Septimò, quod petat sibi accessoria etiam causæ adiudicari, & condemnari reum ad expensas litis refundendas.

9. Octauò, si ignoret actor, quæ actio vel quod remedium sibi competat, vel quomodo debeat in libello concludere, fortè propter factum intricatum, vel multitudinem factorum, vel propter dubietatem iuris, cautela est, vt tunc factum diligenter & congruè narret, & in cõclusione nihil specificè petat, nec aliquid specificum concludat, sed loco specificæ conclusionis, simpliciter in fine libelli petat, super omnibus & singulis sibi ius & iusticiam administrari, simul, diuisim, copulatiuè, & alternatiuè, singula singulis referendo & accommodando, omni meliori & efficaciori modo & forma, qua id de iure fieri potest ac debet.

10. Nonò, solet in fine libelli adijci, quod actor sibi velit reseruare potestatem mutandi, emendandi, augendi & diminuendi. Aut loco huius, solet addi clau-

clausula generalior, de saluandis & reseruandis omnibus & singulis beneficiis iuris.

11. Deniq;, de iure Saxonico hæc clausula recepta est, vt actor dicat, si ad conseruandum seu fundandum ius suũ vlteriori probatione opus habeat, aut illa per iudicem sibi adiudicata fuerit, velit illam pro parte, siue in totum (omni tamen superfluo excluso) vel producere, vel ab ea desistere, actionemq;, accusati animo, seu conscientiæ ipsius, committere, prout id sibi commodius & vtilius visum fuerit. Wo jhm einige beweisung zu erhaltung vnnd zu ergründung seiner Gerechtigkeit von nöhten / oder Rechtlich zuerkandt würde / dieselbige gar oder zum theil (doch mit außschliessung alles vberfluß) zuuerfüren / oder dieselbigen gar oder zum theil abzustehen / vnd dem Beklagten in sein wolbewust vnd gewissen zustellen / Wie jhm dan das am aller füglichsten / vnnd zutreglichsten sein wirdt / dauon er allenthalben offentlichen bedinget.

12. De harum clausularum vi, potestate, & effectu, videatur Iaſ. in §. omnium, num. 139. vſque ad num. 163. & poſt eum Sneid. nume. 120. & ſeqq. Inſtit. de action. Gail. lib. 1. obſeruat. practic. obſ. 61. num. 11. & 12. Mynſing. conſi. 11. num. 39. 40. & conſil. 18. num. 11. & 12. & conſ. 25. nu. 6. 7. & 8. & conſ. 59. nu. 15. VVeſ. conſil. 3. nume. 18. & conſil. 6. nume. 88. & conſil. 13. nume. 13. & 14. conſ. 21. num. 27. part. 1. Roland à Valle conſ. 41. num. 8. 26. 27. 28. & 29. volum. 3. Hartman. Piſtor. quæſtio. 45. nume. 23. 24. 25. 26. 27. lib. 1. Oldendorp. de formula libelli, & cap. de acceſſoriis libellorum clauſulis, quæ vtiliores reddũt, Zaſ. in l 1. in prin. de edend.

QVÆSTIO LXVIII.

Qui dicantur Argentarij in iure noſtro aliisq; auctoribus, & quàm varie, quæq; ſit eorum profeſſio & officium?

Argen-

I.

ARgentarij variis adpellationibus, tàm in iure, quàm aliis auctorib. notantur. Dicuntur argenti distractores, l. vltim. C. de pignoribus, l. penult. ad finem, C. de constituta pecunia, l. vnic. negociat. ne milit. C. libro 12. argenti venditores, l. 12. C. de cohortalib. lib. 12. Græcè ἀργυροπράται, Nouella 136. cap. 4. Suidas, in verb. ἀργυροπράτης, collectarii, l. penul. C. si cert. peta Symmach. in epist. 28. ad Theodos. in princ. ἀργυράμοιβοι, τραπεζῖται, ἀργυρογνώμονες, Suidas in illis verbis. Numularii, Symmach. in d. epist. 28. ad Theodos. l. 47. §. 1. & in l. 23. §. in bonis, de reb. auctor. iudic. possid. l. 1. §. hoc quoq;, de offic. præfect. vrb. l. 7. §. quoties, depos. l. 9. §. pen. de edend. Mensarii, Sueton. in August. c. 4. Liuius lib. 7. Mensularii, Firmic. lib. 3. Mathes. c. 8. l. si ventri, de reb. auctor. iudic. possid.

2. Dicuntur igitur Argentarii, auri distractores, vẽditores, ἀργυροπράται, ἀργυρά-

γραμμοιβοι, h.e. vt Suidas & Nouella 4. & Nouella 136. interpretatur, ὅτι κέρμα ἄντι ἀργύρε ἤλλαττον, vel, vt Cuiac. interpretatur, lib. 10. obſ. c. 14. quòd argentũ, quo nomine cuiuſq; materiæ numus ſignificatur, vẽdunt h.e. pro numis, quos dant, permutant alios, indeque lucelli aliquid accipiunt, id eſt, collybum accipiunt. Nam collybus eſt, quod pro permutatione pecuniæ datur (Germanicè Auffgelt/ Wechſelgelt/) vel, vt Hieronymus habet, munus, quod pro cambio datur.

3. Collybus Græca vox eſt, pro qua Latini aſpraturam habent, maximè ſi aſperis, id eſt, recens percuſſis nummis, veteres commutentur. Et rectè à Zonara Synodi Trullenſ. c. 176. collybiſtæ definiuntur: οἱ τὰ λεπτὰ νομίσματα πωλοῦντες, id eſt, qui vendunt minuta æra, pro alia pecunia ſcilicet, accepto collybo.

4. Collybiſtæ igitur, argentarii ſunt, vel potius nummularii, non abſimiles argentariis, quos ſiue ars, ſiue vſus longus tractandarum & permutandarum pecu-

pecuniarum ita erudiuit, vt auri, argenti, æris qualitatem hi soli nosse existimentur probè. Qua de causa ad eos eunt frequenter, quasi peritissimos nummorum æstimatores, qui de quantitate nummorũ ambigunt, puta, quãti sit numus, aut solidus aliquis, cuius auri, an probus, an subæratus, an ponderis æqui, an lacuna in eo sit aliqua. Nam hæc curiosè homines inquirunt: Et vt est in Pœnulo Plauti scriptum eleganter: Et si nihil sit tàm simile, quàm solidus solido, tamen etiam distantia quęritur in auro, vultus, ætas, & color, nobilitas, literatura, patria, grauitas, atq; ad scrupulos quæritur in auro plus quã in homine. Et hæc quia expedire argentario melius nemo potest, eò fit (vt dixi) vt ad eos decurratur sæpè, & vt nisi numerationi, aut solutioni pecuniarum, si qua fiat, interuenerint, ipsi eam plærumq; aut suspectam habeant, aut non probè factam, existiment. Vnde & δεγυρογνώμονες adppellantur.

5. Ita malunt, qui pecuniam mutuam rogant,

roga nt, de mensa Argentarii numerari eam sibi, quàm de domo creditoris, ne fallantur fortè in quãtitate, vel qualitate pecuniæ.

6. Eademq; mens & ratio creditorum est, qui malunt sibi per Argentarium solui, quàm ex arca debitoris. Ita in Comœdiis sæpè, cum soluenda aut numeranda pecunia est, in forum, inquiunt, vbi sc. Argentarii mensas positas habebant: Qua ex re mensariorum, mensulariorum, & Trapezitarum nomẽ acceperunt.

7. Quin & plæriq; vltrò eis pecunias dant soluendas creditoribus suis, aut aliis fœnori occupandas, hac fide, vt viciſſim eos, qui dederint, indemnes seruaturos, creditoribus soluturos, pro debitoribus, quibus pecunias eorum fœnori occupauerint, soluturos se recipiant. Quod Vlpianus significat, dum ait, constitutum ex Argentaria venire.

8. Auctiones quoq; hæreditarias, per argentarios facere, & precia redigere malunt, vt hac ratione non malè apud

Vlpia-

Vlpianum in l. 1. §. officio, de tutel. & rationib. distr. auctionalia Basilica interpretentur τραπεζιτικὰς λόγους.

9. Quod verò ita beneficio Argentarii gerebatur, id solebat iussu contrahentium, eorúmve, ad quos res ea pertinebat, iis perscribere diligenter, l. argentarius 10. de edend. Exempli gratia, vni acceptam, alteri expensam pecuniã ferre. Et quo die, quo consule, data accepta pecunia esset, quib. præsentibus, quo die, qui accepisset, redditurum se cauisset, & cuius generis numos. Et in auctionibus, res, precia, emptorum nomina. In solutionibus, quis soluendam dedisset, cuius nomine, quo die, & quãtam, & cui, quo die soluisset, vel soluenda esset, & si creditorem non nouerat, (vt in orat. Demost. contra Callinum) quis indicaturus esset.

10. Hæc est summa diligentiã, vnde etiã quæstus ad argentarios non paruus redibat, pro opera, pro labore, pro spectatione, & in cõmutationib. p collybo. Hæc annotauit Cuiac. d. lib. 10. obs. c. 14.

Et post

Et post eum Arnold. ab Hærsolte in aduersariis action. ciuil. & criminal. part. 1. act. 14. de edend. nume. 17. 18. & 19. Addite Brisson. in verb. Argentarii, Mensarii, Nummularii, & collectarii, VVesenb. ad tit. C. de edend. num. 4. Oldendorp. class. 1. act. 8. pag. mih. 99. & pag. 100. Iohan. Borcholt. in tract. de pact. c. 2. in secunda pact. diuis. nume. 29. vbi multas argentariorum adpellationes recenset.

11. Propter hæc etiam merita, argentariis vsuræ ex nudo pacto, debentur, vt ostendit Iustinianus in Nouella 4. c. 2. & in Nouella 136. c. 4. & notauit Ioh. Borcholten d. c. 2. in secunda pactor. diuis. nu. 29. quem vide.

QVAESTIO LXIX.

Quod sit Aduocatorum & Procuratorum officium, & quomodo inter se differant?

Aduo-

I.

ADuocati adpellatio, modò generalis est, modò specialis. Generaliter aduocati omnes dicuntur, qui causis agendis quoquo studio operantur, & in omni tractu negocij partibus adfuturi sunt, l. 1. §. aduocatos, de var. & extraord. cognit. Quo nomine, & procuratores veniunt, quoniam vtriq; pro tractu causæ in iudicium aduocantur, vtriq; curant, & procurationem gerunt clientis, & in inferioribus iudicum tribunalibus causarum patroni vtrumq; munus subeunt, vt & hodie in summo Imperij iudicio, procuratoribus, & aduocatorum officio fungi licet, non tamen econuerso. Petr. Gregor. Syntag. lib. 48. c. 6. de Aduocatis, nu. 2. 3. 4. & 5. Andr. Gail. lib. 1. obs. practic. obs. 43. n. 8. in fine.

2. Speciali verò adpellatione, Aduocati à procuratoribus distinguuntur. Primò namq; nobilitate officij distant Aduocati, siue causarum patroni à pro-

curatoribus. Nam procuratores sunt veluti administri & adparitores seu executores aduocationis, & vicem personæ & domicilij tantùm, absente cliente, sustinent: patroni verò siue Aduocati, sua auctoritate, consilio & opera, litigantem in iudicio adiuuant, & repræsentant. Vnde Aduocati, mens, consilium, atque os procuratorum dicuntur, ad quos adparatas causas, vel adparandas deferunt procuratores, vt ad primos iudices, consulendi causa, num tuto se discrimini iudicij committere possint. vbi enim procuratores à clientibus suis acceperunt mandata, seu procurationem, cum Isagogica causæ narratione, vel, vt nunc vocamus, cum instructionibus & memorialibus causæ: solent & debent super his consulere aduocatum, qui causæ meritis exactè ponderatis & perpensis, iudicet, num cliens suus iustam, an iniustam causam foueat, vt ita statuere possit, num litigandum sit, an verò à lite abstinendum, secundum statutum ordi-

ordinationis supremæ curiæ Parisiensis. Petr. Gregor. in Syntag. d. c. 6. num. 1. & 6.

3. Secundò differunt respectu pœnarum. Nam procuratores, cum aduersario colludentes, tenentur actione mandati, l. si procuratore, mand. &c. l. si procurator, C. de procurat. Aduocati verò colludentes, tenentur de præuaricatione l. 1. C. de aduocat. diuers. iudicior. Petr. Greg. in Syntag. d. c. 6. n. 6.

4. Tertiò differunt, quòd officium aduocationis sit honorabile, laudabile, vitæq; humanæ non minus necessarium, quàm ipsa militia armata: officium verò procuratoris vile, adeò, vt etiam infamis de iure ciuili procurator esse possit, Gail. d. obs. 43. nu. 4. & 5. per ibi allegata.

5. Quæ tamen distinctio, in Camera Imperiali non attenditur. In illo namq; iudicio, officium procuratoris non est vile, sed hònorabile, tùm ratione personarum, quòd nemo ibi in numerum procuratorũ recipitur, nisi sit Doctor,

vel Licentiatus: tùm etiam, ratione loci, quia consistorium summi Principis, scilicet Imperatoris & statuum, Gail.d. obs.43.num.7.

6. Non attenditur quoq; hæc distinctio de iure canonico. Eo namq; iure infamis procurator esse non potest c.2. 3. quæst. 7. & ibi glos.in verb.nec procurator.

7. Deniq; moribus nostris, in iudiciis benè constitutis, infamis procurator esse nequit, Gail.d. obs.43.n.8.

8. Quartò differunt, quòd Aduocatus inuitus de iure compelli possit per iudicem, etiam delegatum, ad suscipiendum patrocinium, idq; sub pœna priuationis officij vel fori l. prouidendum 7.§. si quis verò, vers. careat foro C.de postulando: procurator verò non possit. Gail.d.obs.43.nu. 1.& 2.

9. Ratio diuersitatis ea est, quòd officium aduocationis publicum est, & necessarium, ad quod quis inuitus compelli potest, Gail.d.obs.43. nu. 3. VVes. in comment. ad tit. ff. de postuland. n.3.

per

per iura vtrobiq; allegata: Cum procuratore verò quoniam contrahitur, & contractus initio sunt voluntatis, consequens est, procuratorem inuitum, ad contrahendum, cogi non posse, Gail.d. obs.43.num.5. in fine per l. in commodato §. sicut, commodat. Bald. in l. inuitus nu.1. C. de procurat.

10. Quæ tamen distinctio in Camera non attenditur, vbi perinde coguntur procuratores suscipere procurationem, atq; Aduocati, patrocinium, tum, quòd officium procuratoris in Camera non sit vile, sed honorabile, Gail. d. obs. 43. num. 6. & 7. per text. ordinat. Camer. Imper. part. 1. tit. 19. §. 5. tùm etiam, quòd d. l. inuitus C. de procurat. in procuratoribus palatij locum non habet, vtpote qui operam suam clientulis locare soleant, Gail. d. obs. 43. num. 8. in princ. per notata Ias. & castrens. ad d. l. inuitus.

11. Potest tamen vterq; & Aduocatus & Procurator, ob iustas & legitimas causas, se apud iudicem excusare,

quæ, si releuantes sint, recipiuntur, & in locum excusatorum alij substituuntur, & deputantur, Gail. d. obs. 43. num. 9. iuncto n. 3. vers. nisi iustam habeat excusationem, per iura ibi adducta.

12. Et quod de coactione & compulsione dixi, id vel maximè in Aduocatis & procuratoribus pauperum in Camera locum habet, adeò, vt etiam gratis his inseruire teneantur, & ad inseruiendum, non solum sub pœna pecuniaria, sed etiam priuationis officij, compelli possint, quæ sanè pœna pro leui non est reputanda, Gail. d. obs. 43. num. 11. & 12. Petr. Gregor. in Syntag. d. c. 6. num. 37. in fine.

13. Idq; tunc verum est, nisi legitimas excusationis causas prætendere possint, quæ, vt modò dixi, admitti debent, Gail. d. modò nu. 12. in fine. Petr. Gregor. d. modò nu. 37. in fine. Vbi hoc apud Geilium sub nu. 13. 14. 15. 16. extenditur ad Medicos, qui pauperes gratis curare: Iureconsultos, qui ijsdem gratis inseruire: Iudicem, qui pauperibus & aliis

& aliis miserabilibus personis, gratis iustitiam administrare, actaq; edere: commissarios, qui ad recipiendum & examinandū testes, officiū suū & labore gratis pauperibus impartiri debent.

14. Quæ tamen omnia intelligenda sunt de pauperibus extrema paupertate laborantibus, quiq; iuramētum paupertatis in Camera præstiterunt, Gail. d.obs.43.nu.18.per text.& glos.in c.statutum, §. insuper, verb. notabiliter, de rescriptis in 6.

15. Quod si tamen pauperes isti in iudicio causam obtinuerint, in executione sumptus factos, refundere,& resarcire debent: quoniam tunc censentur ad pinguiorem fortunam peruenisse, proindeq; merito sumptus necessarios refundunt, ne scilicet cum alterius iactura locupletentur.

16. Quēadmodū in simili, in cessione bonorū receptū est, quæ non liberat cedentem ab actione, sed tantū à carcere, Ideoq; sup postea acquisitis, conueniri potest, deductis ne egeat. Gail.d.ob.43. n.19.in fi.iūcto n.20. QVAE-

QVAESTIO LXX.

Quomodo puniendi sint, qui bina sponsalia, vel binas nuptias eodem tempore celebrarunt?

I.

ET quidem iura ciuilia tali, infamiam cum stupri pœna, hoc est, publicatione dimidiæ partis bonorum, si sit persona honesta, & corporis cohercitione, & relegatione, si sit persona humilis & vilis, irrogant. l. 1. §. vlt. l. quod ergò 13. de his qui not. infam. l. 2. C. de incest nupt. l. eum qui duas 18. C. ad l. Iul. Maiest. §. adfinitatis 6. cum duobus seqq. Instit. de nupt. §. item lex Iulia de adulteriis, Instit. de public. iudic.

2. Et hanc pœnam, in pronunciando olim secuti sunt Scabini Lipsenses, in sententiis post Weichbilde sub Tit. So einer zwey Weiber nimpt / was seine straffe ist / mih. fol. 138. Colum. 2. his verbis: Hat sichs begeben / das einer vngefehr-

fehrlich vor Sieben Jahren ein Ehelich Weib zur Ehe genommen/ vermüge eingelegter kundtschafft/ vnnd mit jhr zwey Kinder in stehender Ehe gezeuget/ vnnd hernachmals für dreyen Jahren/ in ewerem Ambt noch ein Ehelich Weib genommen/ mit der auch ein Kindt gezeuget/ vnd also zwey Eheliche Weiber/ auff einmahl gehabt/ welche beyde Eheweiber auch vorhanden/ die solchs gestendig sein/ Als er sich dan auch selbst freywillig/ vnnd ohne Pein vnnd widerrede dazu bekandt/ das er zwo Frawen geehligt/ die beyde noch am leben/ wo er nun auff solchem seinem freyen bekantnus beharren/ oder des/ wie recht/ vberweiset wurde/ so möchtet jhr jhn darumb an die Staupe setzen/ vnd mit Ruthen steupen/ vnnd auß ewren Gerichten/ ewiglich vorweisen lassen/ oder sonst auch wilkürlich/ doch ohne abbruch seines lebens straffen.

3. Item in casu duorum sponsaliorum de præsenti contractorum. So auch ewer mitbürger/ einem seine Tochter/ auff sein begerde/ in sein handt gege-

ben / das er sie zu einem Ehelichen Gemahl haben sol / nach ordnung Christlicher Kirchen / vnd er die auch also angenommen / vnd also mit jhr eine rechte Ehe gegenwertiglich / vnd de præsenti contrahirt, vnd beschlossen / wo er sich nun dazu bekennen wurde / oder er möchte in des / wie berürt / vberkommen / dieweil er sich den hernachmals mit einer andern auch verlobt / vnd sich in der Kirchen öffentlich hat auffbieten lassen / vnd sonst berüchtiget / das zuuorn mit andern mehr contrahirt, oder sich verlobet hat / so mag er darumb wol zur Staupen außgehawen / oder sonst ohne abbruch seins lebens / wilkörlich gestrafft werden.

4. Item / hat ein ander ein Ehelich Weib am leben / vnnd darüber sich einer Jungfraw vertrawet / vnd beygelegt / auch Eheliche wercke mit jhr geübt / als er den vngezwungen bekennet / welchen der vertrawten vnd beygelegten Vater zufordern / vnd zu jhm Peinlich zuklagen gedenckt / Wo den nun derselbige Theter auff seinem bekentnus beharren / oder des

sonst /

sonst/ wie recht/ vberweist wurde/ So möchtet jhr jn wol darumb mit Ruthen zur staupen außhawen/ vnnd verweisen lassen.

5. Hodiè tamen pœna contrahentium nuptias cum alia persona, viuente coniuge, aucta est, Tales enim hodie ex constitutione pœnali Caroli 5. gladio puniuntur, c. 121.

6. Quod sequitur Elector Saxonicus in nouis suis constitutionibus part. 4. constit. 20. Quæ pœna ibi etiam porrigitur ad illas personas, quæ viuente coniuge, cum alia persona publicè sponsalia contrahunt, & eam postea carnaliter cognoscunt, licet introductio ad Ecclesiam, & benedictio Sacerdotis secuta non fuerit. Quod si verò concubitus non interuenerit, vult constitutio, contrahentem sponsalia cum alia persona, viuente coniuge, pro infami haberi, & puniri, secundum circumstantias, vel carcere, vel temporali relegatione: Innocentē autē personam, quæ ignorauit contrahentē

spon-

ſponſalia, habere coniugem, impunitam manere: ſecus ſi ſciuerit, Quo caſu vel carcere, vel ſimili pœna pro arbitrio iudicis, plectendus erit, d. conſtit. 20. Refert & ſequitur Ioachim. Beuſt. in Tract. de iureiur. pag. 375. nu. 588.

QVAESTIO LXXI.

Qui facti infamia notentur?

I.

INfamia facti eſt, quæ non à iure, ſed reipſa, & opinione bonorum & grauium hominum alicui irrogatur l. 2. de obſeq. parent. & patron. præſt. l. 13. de his qui not. infam.

2. Hanc ſuſtinent. Primò, qui famoſum iudicium non ipſi, ſed per Procuratorem, acceperunt. l. ſeruus 14. d. tit. de his qui not. infam. d. l. 2. de obſeq. par. & patr. præſtand. Beuſt. in tract. de Iureiur. pag. 378. num. 599. & nu. 600.

3. Secundò hanc ſuſtinet filius, in quem pater teſtamento quid increpans ſcripſit l. 13. C. de his quib. infam. irroget. Ter-

4. Tertiò, hanc sustinet, quem iudex interloquendo affirmat esse malæ vitæ, Beust. in d. tract. de iureiur. pag. 379. §. item infamis est, vers. & is quem Iudex, per l. verbum 17. & l. interlocutio 19. C. d. tit. de his quib. &c.

5. Quartò, hanc sustinet, qui propter turpem vitam, ab honestorum cœtu segregatur, Beust. d. modò §. Ité infamis est, vers. item is, per l. 2. C. de dignit. lib. 12. Dyn. in c. infamibus nu. 4. de reg iur. in 6.

6. Quintò, hanc sustinet tutor, qui ob culpam à tutela remouetur Beust. d. §. Item infamis est, vers. vel ob culpam, per glos. in §. suspectus autem, verb. nõ æquè, in princ. Instit. de suspect. tutor. vel curat.

7. Dico, ob culpam, Nam aliud est, si ob dolum remotus fuerit, tunc enim iure ipso notatur, Beust. d. §. item infamis est, in fine, per d. §. suspectus, & l. vlt. C. de suspect. tutor. vel curat.

8. Sextò, hanc infamiam sustinet scholaris, qui in principio studij non ingre-

ingreditur Scholam, cum aliis rebus non sit occupatus, Beust. d. pag. 379. §. Similiter, post Ias. in l. 1. in 2. lectura nu. 44. in fine, C. de sum. Trinit. & fid. Catholic.

9. Septimò, hanc infamiam sustinet, qui, cum eiusmodi commisit delictum, ex quo condemnatio infamiam iuris adspergit, nec tamen postulatur, argumento d. l. 2. de obseq. parent. & patron. præstand.

10. Octauò, hanc infamiam sustinêt Spurij, etiam legitimati, ex communi DD. sententia: quoniam legitimatus, similis est Alchimiæ, quæ facit adparêre, quod non est: Item similis est homini medicato à morbo, in quo semper aliquæ remanent cicatrices. Vtcunq; ergò Spurij efficiantur legitimi, remanent tamen infames de facto inter bonos & graues viros. Beust. d. pag. 379. §. Item Spurius, post Mynsing. cen. 4. obs. 31. per ibi allegata.

11. Et quoniam infamibus portæ dignitatum non patent l. 2. C. de dignit. lib. 12.

lib.12.& c.infamibus,de R.I.in 6.Mynſ. d.cent.4.obſ.31.receptum eſt, tales in ſuprema Imperij curia, nec Aſſeſſores, ordinatio Cameræ Imp.part.1.tit.3. §. Deßgleichen ſollen die beyſitzer. Mynſin. d.cent.4. obſ.31. nec conſiliarios principum.Bald.in l. cum legitimè, de ſtat. hom.Mynſing.d.cent.obſ. 31. nec Doctores in quibuſdam Academiis creari poſſe,Mynſing.d.cent.4. obſ. 31. vt Baſileæ,Heidelbergæ, hic Helmſteti,& alibi.Henric. Bocer.part.1.diſp.Pandect. diſp.11.cócluſ. vlt.in allegatis,ſub lit.d. 12. Quæ quidem ſententia, vt dixi, licet communis ſit, contrarium tamen defendere conantur, Palæotus lib. ſingulari de Spuriis & nothis.c.55. n.13. & 14.cum præced.& ſeqq.Thomingius,in deciſionibus quæſtionũ Illuſtriũ, deciſ. 48.n.40.cum multis præcedentibus & ſeqq.Hart.Piſtor. lib.1.quæſt.Iuris q.30. n.36.in fine, cũ præcedentibus & ſeqq. Quibus in locis præfati DD.oſtendere conãtur,Spurios,ne quidem facti infamia notari, minùs infamia Iuris; Idque

per

per l. Spurij 6. in princ. de decur. c. nisi 10. §. personæ de renunc. c. 1. dist. 56. & per alias rationes per eos adductas.

QVÆSTIO LXXII.

Quomodo accipiendum sit, quod vulgò iactatur, Principem legibus solutum esse?

I.

QVOD ait Vlpianus in l. Princeps 31. de legib. Princeps legibus solutus est: non ita simpliciter verum est, sed cum modico salis accipiendum. Græci id solùm de legibus pœnariis interpretantur, vt scilicet si deliquerit Princeps, non puniatur, Constant. Harmenop. lib. 1. Epit. tit. 1. c. de Principe 2. (nam duo sunt ibi capita ita incipientia.)

2. Res paucis ita expediri potest. Princeps legibus solutus est in certis casibus. Nam ex inscriptione d. l Princeps, Princeps solutus est primum legibus caducariis, Iulia & Papia, vt satis etiam per se odiosis. Igitur quod Principi

cipi relictum fuit, isq; antequam dies legati cederet, ab hominibus ereptus est, ex constitutione D. Antonini, successori eius debetur, l. quod Principi 56. de legat. 2.

3. Quod si Augustæ legaueris, & ea inter homines esse desierit, deficit, quod ei relictum est. Idq; D. Hadrianus in Plotinæ, & Imp. Antoninus in Faustinæ Augustæ persona constituit, cum ea antè inter homines esse desiisset, quàm testator decessisset, l. si Augustæ 57. d. mod. tit. de legat. 2.

4. Ratio diuersitatis inter Augustũ, & Augustam ea est, quoniam, licet Imperator moriatur, dignitas tamen eius & officium non moritur. Et magis dignitati, quæ non moritur, c. quoniam Abbas, de offic. deleg. c. si gratiose, de rescript. in 6. c. proponebatur, de iudic. quàm personæ relictum videtur, aliud est in Augusta, cuius dignitas mediatam causam habet, & à mariti dignitate, cuius radiis coruscat, dependet, Eoque nomine hoc casu, in relicto,

succeſſorem non habet. Petrus Coſtalius in d.l. Princeps.

5. Nec obſtat, quòd Auguſtus eadem priuilegia Auguſtæ tribuit, quæ ipſe habet, vt dicitur in d.l. Princeps. Id enim in certis tantummodo caſibus locum habet, vt, ſi quis rem alienam à fiſco comparauerit, vel quouis alio titulo habuerit, ſtatim ſecurus ſit aduerſus dominum, vel creditorem hypothecarium l.2.l.3.ſ.eodemq; modo, vbi id etiam ad Auguſtam porrigitur, C.de quadr.præſcript.l.6. in fin.de iur. fiſc. cum olim neceſſaria eſſet præſcriptio quinquennij ex edicto D.Marci, l.5.C.ſi aduerſ.fiſc.& præterea vtilis actio competeret, l.nec vllam 13.ſ. item ſi quis à fiſco 9.de hæredit.petit.

6. Item quemadmodum Princeps ab omnium vectigalium præſtatione immunis eſt, ita & Auguſta, l. locatio 9.ſ. fin.de public.vectig. & commiſ.

7. Item donatio à Principe vel Auguſta procedens, & in eum eamue collata, non eget inſinuatione, l. ſancimus

34. cum

34. cum Authen. seq. C. de donat. Nouella 52. c. 2. vbi dixi.

8. Et facta inter Augustum & Augustam donatio, constante matrimonio, etiam morte alterutrius non expectata, rata est, l. donationes 26. C. de donat. int. vir. & vxor.

9. Et deniq;, quibus donantur Cubicularij Principis priuilegiis, ijsdem quoq; donati intelliguntur, qui apud Augustam, eodem munere funguntur, l. Cubicularios C. de præpos. sacr. cubic. lib. 12.

10. Quorum omnium ratio ea est, quia splendent honore mariti vxores, eorumq; radiis coruscant, l. fœminæ, de Senat. l. mulieres, de dignit. lib. 12. C.

11. Et cum vir & vxor duo sint in carne vna, sociiq; diuinæ & humanæ domus dicantur, l. 1. de rit. nupt. l. aduersus C. de crim. expil. hæred. indignum lex existimauit, marito in altissimo honoris gradu collocato, vxoris dignitatem pariter non concrescere, l. si liberam C. de nupt. Quid enim tàm humanum est,

quàm fortuitis casibus, prosperis vel aduersis coniugis, participem coniugem fieri? l. si cum dotem, §. si maritus, solut. matrim. Meritò absurdum veteres putauerunt, aliquid esse, quod non inter virum & vxorem commune sit. Qua ratione virum ab vxore, contraq; vxorem à viro quicquam accipere vetitum, Plutarchus in problematis scribit, licet Iurisconsulti in aliam rationem conceſſerint, l. 1. de donat. int. vir. & vxor. Atq; hi sunt casus, & si qui his similes sunt, quibus Augusta, iisdem cum Augusto priuilegiis, vtitur. Iohan. Corras. lib. 2. Miscel. c. vlt.

12. Primum itaq; (vt ad propositum reuertamur) Princeps solutus est legibus caducariis & pœnariis, vt sup. fuit dictum.

13. Solutus quoq; Princeps est, solennibus manumissionum. Vnde sine vindicta, ex l. Augusti, Imperator seruũ manumittere potest, l. apud eum 14. §. vlt. de manumiss.

14. Præterea in contrahendis nuptiis

ptiis Princeps non ita obseruat gradus prohibitos, exceptis tamen adscendentibus, descendentibus, & collateralibus, proximi gradus, vt docet constitutio Isaaci Angeli c. 2. & quotidiana testantur exempla.

15. Potest quoq; Princeps quocunq; tempore spargere aurum, cum reliquis Magistratibus, non nisi certis temporibus, argentum spargere liceat, Nouella 105. vbi hæc ratio additur in fine: quòd Imperatorem Deus legem animatã hominibus constituerit, omnesq; leges ipsi subiecerit.

16. Solutus quoque Princeps est, Seruio teste, lege, quæ vetat, in vrbe mortuum sepeliri.

17. Quod igitur dicimus, Principem legibus solutum, legibus non esse subiectum, esse supra leges, id ad casus supradictos pertinet, totumq; eò directum est, vt intelligatur, penes Principem esse omnem potestatem ferendarum vel abrogandarum, aut derogandarum legum, vt Augustinus ait in Epi-

ſtola quadam, Imperatorem non eſſe ſubiectum legibus, qui habet in poteſtate alias leges ferre, non temerè quidem, ſed ex iuſta cauſa & è republica, atq; adeò confirmandi etiam, quæ non iure facta ſunt. Et hoc ſolum eſt, Principem legibus ſolutum, vel ſupra leges eſſe.

18. Cæterùm, lege Falcidia Princeps ſolutus non eſt, l. 4. C. ad l. Falcid.

19. Non eſt quoq; ſolutus Princeps l. Glicia, vnde teſtamentum, in quo Imperator ſcriptus eſt hæres, inofficioſum argui poteſt. Eum enim, qui leges facit, pari maieſtate legibus obtemperare conuenit, l. Papinianus 8. ſ. ſi Imperator 2. de inoffic. teſtamento, Paul. lib. 4 ſentent. tit. 5. ſ. 3.

20. Ex imperfecto quoq; teſtamento, nec Imperatorem hæreditatem vindicare poſſe, ſæpè conſtitutum eſt, l. 3 l. nolumus 20. C. de teſtamentis, l. ex imperfecto 23. de legat. 3. ſ. fi. Inſtit. quib. mod. teſtamenta infir. l. Imperatorem 91. de hæred. inſtit.

21. Et

21. Et in summa, Princeps legibus naturæ, iustitiæ & honestatis solutus non est. Ideo Bald. in l. 1. C. de seruit. & aq. quantumuis, inquit, Princeps solutum se legibus dicat, rationis tamen naturalis dictamine tenetur & obstringitur, cum ius naturale potentius sit, quàm Principatus aut Imperium.

22. Iis igitur legibus, quibus à Principe neglectis, publicum bonum offenderetur, Principem quemcunq; teneri iura omnia voluerunt. Quod & boni Principes agnoscunt, vnde illæ voces: Digna vox maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri, adeò de auctoritate iuris, nostra dependet auctoritas. Et reuera maius imperio est, submittere legibus principatũ, l. digna vox 4. C. de legib. Item decet tantæ maiestati eas seruare leges, quibus ipse solutus esse videtur, d. l. ex imperfecto 23 de legat. 3. Et in d. l. ex imperfecto 3. C. de testamentis, dicitur: licet lex Imperij solennibus Iuris Imperatorẽ soluerit, nihil tamen tàm propriũ

imperij est, quàm legibus viuere. Et Impp. Seuerus & Antoninus: licet (inquiunt) legibus soluti simus, attamen legibus viuimus, d. §. fin. Instit. quib. mod. testamenta infir.

23. Huc pertinent quoque versus Claudiani:

In commune iubes si quid, censesue tenendum,
Primus iussa subi: tunc obseruantior aqui
Fit populus, nec ferre uetat, cum uiderit, ipsum
Auctorem parêre sibi. &c.

24. Et notum est illud Apollonij Thyanei, ad Domitianum, teste Philostrato lib. 8. Hæc mihi dicta sint de legibus, quas si tibi imperare non putaueris, ipse non imperabis.

25. Et Plinius in Panegyrico ad Traianum scribit: In rostris simili religione ipse te legibus subiecisti Cæsar, quas nemo Principi scripsit. Sed tu nihil amplius vis tibi licere, quàm nobis. Quod nunc primum audio, nunc primum disco: Non est Princeps supra leges, sed leges supra Principem.

26. Detestandum igitur, quod Horatius de Achille: Iura negat sibi lata, nihil

nihil non arrogat armis, Et perperàm occinuntur assiduè auribus regum, ab aulicis quibusdam adulatoribus, etiam Theologis nonnunquam, verba d. l. Princeps, Principem legibus solutum, An nescis te Imperatorem, Principem esse, leges dare, non accipere, Plura videte apud Cuia. lib. 15. obs. c. 30. & Corras. d. l. 2. Miscell. c. vlt.

27. De specialibus quibusdam Principis priuilegiis & reseruatis videte Omphal. de offic. & potest. princ. lib. 2. c. vlt. Bossium in tract. de Principe, & priuilegiis eius Tit. 100. Mynsing. cent. 5. obs. 97. cent. 4. obs. 8. vbi tractat de potestate Principis in tollendo iure tertij, & an contra ius diuinum, naturale, gentium, vel ciuile statuere possit.

QVAESTIO LXXIII.

Quæ ad introducendam consuetudinem requirantur?

I.

ET quidem Glossa, & Panormit in c. fi. de consuet. octo consuetudinis requisita recensent, quæ tamen ad quatuor hæc non incommodè reduci possunt. Primò requiritur, vt cõsuetudo sit rationabilis, Secundò, vt sit diuturna, lõga, inueterata, & sine interruptione continuata. Tertiò requiritur actuũ frequẽtia. Quartò tacitus populi cõsensꝰ. De qbus singulis dispiciemꝰ.

2. Primum ergò consuetudinis requisitum est, vt sit rationi consentanea, quia consuetudo est lex, & pro lege habetur, legemq; imitatur, §. fine scripto ius venit. Instit. de Iur. nat. gent. & ciuil. cum similib. Quemadmodũ igitur lex, sancta, honesta, possibilis, Reipublicæ vtilis, nec occasionem delinquendi præbere debet, ita etiam consuetudo. l. quod non ratione 39. de legib. c. erit. dist. 4. c. fin. de consuet.

3. Cæterùm, quæ dicatur consuetudo rationabilis vel irrationabilis, inter

Docto-

Doctores non satis constat: Et diuersas hac de re opiniones & doctrinas tradũt.

4. Prima doctrina est glossæ in c. fin. verb. rationabilis. de consue. vbi definit consuetudinẽ rationabilẽ, quæ nõ improbatur à iure nec Ecclesiasticã disciplinã, & libertatẽ oppugnat: Contrà irrationabilẽ, quã iura reprobant, quæq; Ecclesiasticã disciplinam, & libertatem impugnat. Eamq; probauit Bart, in l. 32. nu. 30. de legib. & c. 1. & vlt. de consuet. Verũ ea doctrina perfecta non est. Nã & aliquando his non repugnat consuetudo, & tamẽ irrationabilis creditur.

5. Secunda fuit doctrina Ioh. Andr. quam refert Abbas Panormitanus in d. c. vlt. nu. 5. de consuet. Iudicem procedere debere, à similibus ad similia, l. non possunt 12. de legib. Sed & hæc doctrina obscura est, cum adhuc non satis constet, quæ inter se sint similia, quæ dissimilia. Qua de re eleganter disputat Iac. Menoch. de arbitr. iudic. quæst. lib. 2. cent. 1. cas. 84. vbi d. l. non possunt, declarat.

6. Ter-

6. Tertia est doctrina Butrigarij & sequacium, qui finem vtriusque iuris considerant. Iuris Diuini & Canonici finis est, felicitas animæ, & vita æterna, finis iuris ciuilis, bonum publicum. Si igitur (aiunt) ad hunc finem respectiuè tendant consuetudines, tanquam rationi consentaneas, admittendas esse, secus si repugnent suo fini.

7. Alij simpliciter affirmant, illam consuetudinem valere, cuius obseruantia non inducit peccatum.

8. Deniqúe communis opinio habet, certam doctrinam circa hoc dari non posse, & ideo arbitrio iudicis committendum, vtrum consuetudo sit ratione fundata, an verò improba, irrationabilis, & potius quædam corruptela appellanda.

9. Iudex igitur discretus & prudens considerabit, vtrum finis consuetudinis sit bonus vel reprobus, an contra ius, vel præter ius, an iusta ratione introducta sit consuetudo, nec ne. Eamq; sententiam adstruunt & defendunt illi, quos

quos adducit Iacob. Menoch. de arbitr. iudic. quæst. lib. 2. cent. 1. cas. 82. nu. 7. 8. 9. 10. & quos adducit Andr. Gail. lib. 2. practic. obseruat. obs. 31. num. 13.

10. Malè igitur Bald. sentit. d. l. 32. n. 32. consuetudinem sine ratione stare posse, cum ratio, illius substantia non sit, argumento l. non omnium 20. de legib. & l. prospexit legislator 12. qui & à quib. manum. lib. non fiant. Fallitur enim Baldus, cum non neget Iulianus, quin omnia rationem habeant, sed illud docet, non esse cuiusuis de vnaquaque legis sententia, arcanam & latentem rationem assequi, Qua de re videto, quæ plenius notaui ad d. l. non omnium 20. de legib. Quam peculiari quæstione aliàs latius expediam. Et omninò videto Iacob. Menoch. de arbitrar. iudic. quæst. lib. 2. cent. 1. cas. 82. num. 13. 14. 15. Et tantum de primo requisito.

11. De Secundo requisito, quot scilicet annorum vsus consuetudinem faciat, quantoque tempore, introducta con-

consuetudo, obfirmetur, similiter diuersæ glossarum & interpretum opiniones reperiuntur.

12. Vna opinio fuit glossæ in d. l. 32. verb. inueterata, de legib. & in c. vlt. de consuet. in 6. Sequuntur illi, quos adducit Iacob. Menoch. de arbitr. iudic. quæst. d. lib. 2. cent. 1. cas. 83. in prin. qui adstruunt decennio consuetudinem firmari: hoc potissimum ducti argumento, quòd leges ad introducendam consuetudinem, longum, & diuturnum tempus requirunt. l. 1. in fin. de aq. plu. arc. l. 2. C. de seruit. & aq. l. 1. C. quæ sit long. consuet. l. diuturna 33. l. sed ea qua 35. de legib. & in l. non tantùm §. vlt. de decur. At longum & diuturnum tempus decennio concluditur, tot. tit. C. de præscript. long tempor. l. si cum fideicommissa, §. Aristo, qui & à quib. manum. §. 1. Instit. de vsucap.

13. Sed hoc fundamentum non subsistit, quia hæc verba, longa & diuturna consuetudo, etiam verificantur in 30. & 40.

& 40. annis, vt in l. 2. & 3. Cod. de præscript. 30. vel 40. annor. l. 1. C. Th. de act. cert temp. fin Cuiac. eod. tit. C. quæ sit long. consuet. Ideoque verba illa, pro rei, cui dictio diuturnum iungitur, qualitate, modò longius, modò breuius tempus inducunt, Corras. de iur. ciuil. in art. redig. part. 2. c. 19.

14 Accedit, quod consuetudo non semper longa & diuturna adpellatur. Nam aliquando etiam dicitur inueterata d. l. 32. §. inueterata, aliquando antiquissima, l. vlt. C. de iur. fisc. quandoquidem plurimorum annorum obseruationem requirit, d. l. sed ea quæ 35. de legib. & Aristoteles 2. Polit. cap. 7. ἔθους παλαιοῦ desiderat: quandoque antiquam & tenacem approbationem, l. 3. Cod. quæ sit long. consuet. vsum longæuum, l. 2. Cod. eod. inueteratum populi consensum d. l. 32. consuetudinē semper obseruatam, l. sine hærede 32. §. pen. de administrat. tutor. Quibus verbis sanè significatur spacium decennio

am-

amplius, & tempus incertũ infinitumque, quod sensim sine sensu labitur, quoad morem fecerit, & habitum in animis ciuium, cuius quidem habitus comparandi ratio, vt non finitur certo tempore, ita nec in populo ex longa consuetudine, inducendi, inferendiq; moris ratio, certo tempore, finiri potest, Cuiac. C. eod. de long. consuet. Et inueteratum dicitur, quod annis quadraginta fuit constabilitum. l. vlt. vbi glossa, C. de fund. Reipub. priu. lib. 11. Iacob. Menoch. de arbitr. iudic. quæst. lib. 2. cent. 1. cas. 83. nu. 4.

15. Secundò mouentur argumento præscriptionis, quæ decem annis inter præsentes perficitur, l. fin. C. de præscript. long. tempor. populus autem, cuius tacita conuentione mores constituuntur, nunquam abest, sed perpetuo præsens est, l. proponebatur de iudic.

16. Sed nec hoc fundamentum subsistit. Obstat enim ei ratio, quam considerauit Baldus in d. l. 32. num. 27. dum ait, præscriptionem esse consuetudinis essen-

essentiam. Sed præscriptio variis modis currit, in mobilibus triennio, in immobilibus decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes, in actionibus 30. annis, contra Ecclesiam communem, quadraginta, contra Romanam, centum. Ergò idem dicendum erat in consuetudine, Nam quod est de esse, & substantia causæ, id etiam est de substantia causati, l. manumissiones, de iustit. & iur. Iacob. Menoch. d. cas. 83. num. 3.

17. Volunt igitur isti, longo tempore, hoc est, decennio, consuetudinem firmari & compleri: Nisi tamen detraheret iuri Ecclesiæ consuetudo, quo casu quadraginta annos desiderant, c. de quarta, de præscript. Innocent. in c. cum dilectus, de consuet. Ioh. Corras. de iur. ciuil. in art. redig. part. 2. c. 18. aut si contra reseruata peculiariter principi (vt sunt legitimatio Spuriorum, insitio vectigalium, pedagiorum. &c. de quibus in c. vnic. quæ sint regalia, glos. in c. quod translationem, de offi. legati:

Omphal. de offic. & potest. Princip. lib. 2. c. vlt. Bossius in tract. de Principe & priuilegiis eius Tit. 100.) aliquid induceret, tunc enim vetustissimam, & memoriam hominum excedentē consuetudinem requirunt, quæ habet vim priuilegii, c. super quibusdam, de verborum signific. vbi, vt ciuitas possit inducere consuetudinem percipiendi vectigal & pedagia, requiritur tempus, cuius initij memoria non extat.

18. Secunda est doctrina Pontificiorum, qui distinguunt in consuetudine præter legem, & contra legem inducta. In hac quadraginta annos requiri, in illa decem sufficere existimant. Andr. Gail. lib. 2. pract. obser. obs. 31. num. 3. Sneid. in §. ex non scripto, quæst. 3. nu. 5. Instit. de iur. nat. &c. Iohan. Corras. de iur. ciuil. in art. redig. part. 2. c. 19.

19. Verùm hæc distinctio, vix est, vt iure

vt iure fundata videatur. Quandoquidem Pontificia lex nusquam ad consuetudinem 40. annos expostulet. Nam Alexandri III. Constitutio d. c. de quarta, de præscriptione, & Ecclesiarum fauore loquitur: & tametsi passim consuetudinem legitimè præscriptam Canones requirant, c. fin. de consuet. c. cumana, de elect. c. cum Ecclesia, de caus. possess. & propriet. hoc tamen ad quadragenarium tempus referendum non est, sed ad decennium, vt Pontificia lex cum ciuili concordet, c 1. de oper. nou. nunc. Corras. d. modò cap. 19.

20. Tertia opinio fuit antiquorum, vt refert glossa in d. l. 32. verb. inueterata, qui ad firmandam consuetudinem centum annos requirebant, hac ratione, quòd consuetudo, longæui nonnunquam temporis appelletur, l. 2. C. quæ sit long. consuetudo. At longæuum tempus, annorum centum esse

dicitur, l. vltim. Codic. de Sacroſ. Eccleſ. nonnunquam etiam illius temporis, quod hominum memoriam excedat, l. hoc iure §. ductus aquæ, de aq. quot. & æſt. at tempus hoc, annorum centum, vel paulò minus eſt, vt tradit Curt. Iun. conſ. 158. num. 16. & Aym. Crauet. de antiquit. tempor. part. 2. 4. part. princ. num. 2.

21. Verùm & hæc opinio, à noſtris crebrius reiicitur, & rectè: quandoquidem non ſemper & regulariter his nominibus adpellatur conſuetudo. Præterea ea admiſſa, vix eſſet, vt aliqua poſſet introduci, ignorantia probationis actuum eam conſtituentium. Et deniq; aduerſatur relata ſuprà Baldi conſideratio de præſcriptione.

22. Vltima opinio eſt Neotericorum ſiue recentiorum, qui nullum certum finitumq; tempus conſuetudini præſcribunt, ſed totum id iudicantis arbitrio committunt, præſertim cum in iure nulla lex extet, qua certũ tempus conſuetudini ſit præfinitum: Iudex igitur,

igitur, vt vir diligens, pro rei qualitate, circumspectè poterit æstimare, an multum temporis decursum sit, vt virium satis habeat consuetudo. In rebus itaq; leuibus, nec magni momenti, statuere poterit, consuetudinem decennio frequentatam, virium satis habere, iuxta communem sententiam priore loco relatam. In grauioribus verò negociis, maius tempus spectabit, vt si de rebus Ecclesiarum agatur, quo casu 40. annos requiri, suprà dictum fuit, nisi fortè agatur de consuetudine introducta inter subditos Ecclesiæ, quo ad bona temporalia, Quo casu illud tempus sufficit, quod in Laicorum bonis requiritur, Iacob. Menoch. de arbitr. iudic. quæst. lib. 2. cent. 1. cas. 83. nu. 7. 8. & ibi per eum adduct. Et deniq; in rebus multùm grauibus arbitrabitur Iudex, consuetudinem esse firmatam solo tempore immemoriali, vt si fortè de reseruatis Principi agatur. Ita Corras. d. l. 32. num. 8. & Corras. d. sæpius c. 19. part. 2. de iur. ciuil. in art. redig. Cui

accedit Iacob. Menoch. d. quoq; sæpius cas. 32. num. 6. 7. 8. 9. 10. Vbi hanc Corrasij sententiam pluribus confirmat, quem omninò videto. Et hactenus de secundo consuetudinis requisito.

23. Tertium consuetudinis requisitum consistit in actuum frequentia, §. ex non scripto, ibi: diuturni mores, Instit. de iur. nat. gent. & ciuil l. 1. vers. quæ in oppido frequenter in eodem controuersiarum genere seruata sunt, C. quæ sit long. consuet. l. an in totum, in fin. C. de ædific. priuat.

24. Cum autem certus actuum numerus in iure diffinitus non sit, & constet ex modò dictis, vnicum actum, quamuis notorium, non sufficere, per illos, quos adducit Iacob. Menoch. de arbitr. iudic. quæst. lib. 2. cent. 1. cas. 81. in princ. quærunt & controuertunt interpretes, quot igitur actus ad firmandam consuetudinem necessarij sint.

25. Qui-

25. Quidam existimant, duos ad minimum actus sufficere. Quæ quidem opinio iure non probatur. Nec enim omnibus in casibus duo actus gesti, arguunt totius populi consensum, Bart. d.l. 32. nu. 11. & 13. vbi distinguit, aliquos esse actus, quorum minor numerus potest consuetudinem inducere, aliquos verò, vbi maior numerus requiritur: imò duo actus non dicuntur actuum frequentiam inducere l. item apud Labeonem 15. §. aliud est 22. ibi, adsectatur, qui tacitus frequenter sequitur, assidua enim frequentia, quasi præbet nonnullam infamiam, de iniur.

26. Altera fuit opinio Baldi in l. 1. num. 2. C. quæ sit long. consuet. & Panorm. in c. vlt. num. 17. de consuet. tot actus exigi, vnde colligi possit populi consensus. Inquit enim Baldus, probari oportere, quod frequenter & plurimum ita obseruatum fuerit. Eamq; communem attestatur Roch. de Curt. col. 56. vers. sed hic successiuè, de consuet.

27. Verùm, horum opinio & doctrina, valdè obscura & perplexa est. Cum nec etiam hoc casu satis constare possit: quibus actibus, secundum rerum & factorum diuersitatem, hæc frequentia inducatur.

28. Vltima igitur, & verior absque dubio est opinio eorum, qui hoc totum Iudicis arbitrio relinquunt, vt scilicet is æstimet, tanquam vir prudens, quot actus, & quot exempla necessaria sint, vt ex eo, quod frequenter factum est, consuetudo confirmata dici possit. Et hanc sententiam probârunt illi, quos allegat Iacob. Menoch. de arbitr. iudic. quæst. lib. 2. cent. 1. Cas. 81. nu. 4.

29. Rursus quæritur, an eos actus iudiciarios esse oporteat, hoc est, foro contentioso obtentos, an verò etiam sufficiant extraiudiciales? Et licet quidem Accurs. in d. l. 32. iudiciarios esse oportere contendat, per text. in l. cum de consuetudine 34. vbi dicitur, explorandum, an contradicto iudicio consuetudo firmata sit, de legib. tamen com-

communis opinio est contra Accurs. quòd non solum actus iudiciales, sed etiam extraiudiciales ad introducendam consuetudinem, sufficiant, dummodo tales sint actus, qui tacitum populi cõsensum arguant & ostendant. Ita sentit Bart. in d. l. 32. num. 13. Ias. num. 41. Bart. in l. diuturna 33. in princ. de legib. Panor. in c. Abbate, num. 13. de verb. sig. per illum textum, Idem in d. c. fin. num. 16. de consuet. Et vtrobique ait, hanc esse communem opinionem, quã etiam Iudices Camerales supremi iudicij Germaniæ sæpè secutos fuisse, atteſtatur Andr. Gail. lib. 2. pract. obs. obs. 31. num. 8. prorsus in fine. Cum enim vim, potestatem, & robur consuetudo, ex tacito populi consensu capiat, d. l. 32. l. sed & ea 35. de legib. & ex actu extraiudiciali satis abundeq; populi voluntas & consensus declaretur, quid mirum, si per actus quoq; extraiudiciales, consuetudo inducatur. Præsertim cum in iis, quæ solo consensu inducuntur, iudicis præsentia nihil prorsus ope-

retur. Iohan. Corras. d. Iæpius c. 19. circ. fin. part. 2. de iur. ciuil. in art. redig. Huc pertinet, quòd contractus, numorum æstimationem, & significationem verborum, ex communi hominum vsu, contrahendi, expendendi, loquendiq; consuetudine, iudicamus. Quinimò ex actibus extraiudiciariis etiam inutilibus (cum ex populi consensu descendat, & consensum quiuis actus, etiã nullus, inferat) consuetudinem induci posse, auctor Cor. d. modò c. 19. circ. fin.

30. Vltimò, ad introducendam consuetudinem requiritur tacitus populi consensus, qui quasi causa proxima est consuetudinis, per d. l. 32. & ibi Bart. in 2. lectur. nu. 10. & in repetit. eod. nu. & ex actuum frequentia, vsu & moribus colligitur l. 2. C. quæ sit long. consuet. puta, si tales sint actus, qui verisimiliter in notitiam populi venire queant, Panorm. in c. fin. eod. de consuet. num. 17. Vbi dicit, non actus, sed tacitum populi consensum, ipsam consuetudinem indu-

inducere. Dicitur enim consuetudo, quasi cõmunis assuetudo c 9suetudo, §. porrò, dist 1 vers. vocatur autem. Guid. Pap. decis. 631 num. 11. Et ideo, quotiescunq; ex coniecturis, talis populi consensus haberi potest, actuum frequentiam non esse curandam, Eamque ibi Guid. communem testatur opinionẽ. Facit textus in d. l. diuturna, de legib. vbi Bart. num. 1. dicit, consuetudinem ex tacita populi conuentione vigorem accipere, vnde etiam differentia inter consuetudinem & statutum colligitur, quod statutum expressum populi, consensum requirat, consuetudo verò, tacito contenta sit d. l. 32. & d. l. diuturna & ibi Bart.

31. Et licet quandoq; consuetudo in scripturam redigatur, vt consuetudines feudorum, nihilomin9 manet consuetudo. Initiũ enim consuetudinis respicimus, tacitũ videlicet populi cõsensum, qui dat esse rei, nõ etiam id, quod ex post facto superuenit. Et plærumq; con-

consuetudines in scriptis rediguntur, ne pereat earũ memoria, & vt certiores cognitioresq; deinceps omnibus sint, l. iubemus §. Sed ne aliqua C. de testament. Ergò non ideo, quòd consuetudines in scriptis redactæ sunt, consuetudinis nomen amittunt, l. imò 36. de legib. cum scriptura nihil inducat, sed probationis dumtaxat operetur effectum. l. contrahitur, de pignor. l. cum res C. de probat. Et hoc præclarè explicat Bart. in repetit. d. l. 32 num. 7. 8. & 9. Ias. ibid. num. 26. Ioh. Corras. de iur. ciuil. in art. redig. part. 2. c. 18. circ. fin.

32. Planè si scriptura moribus aliquid adderet vel detraheret, aut constaret, scribentes condere legem voluisse (quod ex verbo, statuimus, noui iuris promulgatorio, colligitur) vel in alio loco, quàm vbi consuetudo primùm est introducta, describeretur, tunc consuetudo in legem trãsiret. Ioh. Corras. d. modò c. 18. in fin.

33. Cæterùm, qui super consuetudine intentionem suam fundat, is eam pro-

probare debet, quia consuetudo, facti est, c. 1. de constit. in 6. facta autem non præsumuntur, nisi probentur, per text. in l. in bello, §. facta de capt. & postlim. reuers. l. 1. C. de probat. cum similibus. Et probare eam debet cum omnibus suis requisitis, de quibus hactenus dictum fuit, alias succumbet. Qua de re omninò videto Andr. Gail. in practic. obs. lib. 2. c. 31. nu. 14. 15. cum seqq. vsque ad finem. Ioh. Corras. de iur ciuil. in art. redig. part. 2. c. 20. per tot.

QVÆSTIO LXXIV.

An & quando nascendus pro nato habeatur?

I.

AD hanc quæstionem respondet Iulianus in l. 26. de stat. hom. dum ait: Eos, qui in vtero sunt, in toto penè iure ciuili, intelligi in rerũ natura esse, & perinde haberi, ac si iam in rerum natura ac superstites essent, tunc videlicet,

cet, cum de ipsius partus iure & commodis agitur. Atq; ita dictam particulã, penè, intelligit & declarat Paulus in l. 7. de stat. hom. & in l. 231. de verb. sign.

2. Igitur infantes in vtero existentes, quoties de commodo & vtilitate ipsorum agitur, pro natis habentur, & in tempus vsq; natiuitatis, omnia iura ipsis integra reseruantur.

3. Hinc portio, id est, dimidia, quæ ex bonis damnatorum, liberis eorum conceditur l. cum ratio naturalis 7. in princ. de bon. damnat. l. 10. C. eod. etiã vtero concessa intelligitur, hoc est, liberis, qui erant in vtero, damnationis tempore. Cuiac. in Tit. de Excusat. in 2. causa excusat. Atq; ita secundum vtriusq; legis eandẽ inscriptionẽ Paulũ libro singulari, de portionibus, quæ liberis damnatorum conceduntur, Cuia. d. modò loc. d. l 7 accipiendum putat.

4. Similiter capta ab hostibus muliere prægnante, & partus captus videtur, vt proprio iure postliminium habeat d. l 26. vers. nam & legitimæ hæreditates, de stat. hom.

5. Item

5. Item furto subrepta ancilla prægnãte, etiam partus subreptus videtur, quamuis apud bonæ fidei possessorem peperit, ne vsucapi possit d.l. 26. §. præterea si ancilla, de stat. hom.

6. Sic patronum habere videtur libertus, cuius patronus mortuus est, relicta vxore prægnante, §. his consequẽs est, vlt. d.l. 26. de stat. hom.

7. Et substitutus vel proximus posthumo, dum mulier prægnãs est, aut esse putatur, adire hæreditatem nõ potest, quoniam mortis tempore, qui in vtero est, quantum ad moram faciendam inferioribus, & sibi locum faciendum, si fuerit editus, pro iam nato habetur, venter igitur sequentibus, proximis vel substitutis moram facit l. cum quidam 30. §. 1. de adquir. vel omittend. hæred.

8. Legatum quoq; ad tempus liberorum defuncto relictũ, ad posthumũ, siue ventrem prægnantẽ transmittitur, l. sed etsi ad tempus 20. ad SC. Trebell.

9. Sed & legitimæ hæreditates posthumis re-

restituuntur, d. l. 26. vers. Nam & legitimæ hæreditates, de stat. hom.

10. Cur ait Iulianus, legitimæ? an quia aliud est in testamentariis? Sic sanè iure ciuili, si non sint sui posthumi. Nam etsi legitimi nobis hæredes fiant, l. pen. de legat. 1. non tamen fiunt testamentarij, §. 1. Instit. de bonor. possess. Loquitur autem d. l. 26. de iure ciuili nomina im, non de iure prætorio. Nã iure prætorio posthumi rectè instituuntur, & in omnibus partibus edicti pro natis habentur, vt scilicet tàm vice bonor. possess. ab intestato, quàm bonor possessionis contra tabulas, vel secundum tabulas, venter in possessionẽ mittatur, l. vbicunque, l. vlt. de ventr. in possess. mittend. In omnibus ergò partibus edicti successorij, posthumi, qui in vtero sunt, pro natis habentur.

11. Prægnans quoq; mulier, nec torqueri nec vltimo supplicio affici potest, antequam partum ediderit. l. Imperator Hadrianus 18. de stat. hom. l. prægãntis 3. de pœn. Paul. lib. 1. recept. sent.

sent.tit.12.§.5. Quintil. declamat. 277. supplicia, inquit, prægnantium lex differri in diem partus iubet. Idem Clemens Alexandrinus scribit lib. 2. Stromat. & Aelianus lib.5.var.histor.& Plutarchus in lib.de sera mun. vind. & Diodor. Sic.lib.2.histor.suæ,c.3.

12. Quotiescunq; igitur de iure & cõmodo partus agitur, nascendus pro nato habetur, dictis supra iuribus. Cuiac. ad l.2.de excusat Idq; ita accipiendum est, si, qui in vtero sunt, nati fuerint, nam in id vsque tempus omnia iura integra illis reseruantur, dd. supra iurib. Quod si nati non sint, aut mortui nati fuerint, aut antequam perfectè nascãtur, h.e. vterum matris egressi sint, extinguantur, perinde, ac si in viuis nunquam fuissent, habentur, l qui mortui, 129.de verb sig.glos.in verb.legibus, c. 1.de his qui feud.dar. poss.

13. Porrò, licet in supradictis & similibus iuris partibus, is, qui in ventre est, iam natis comparetur: tamen in multis quoque casibus, talis nihil pro-

deſt, niſi editus ſit. Vtputa, poſthumi non habentur pro natis, vt patri ad excuſationem proſint tutelarum & munerum ciuilium, d. l. 2. §. qui autem in ventre eſt, 6. & §. remittit à tutela 2, cum ſeqq. de excuſat.

14. Non proſunt etiam patri, poſthumi, ad remiſſionem annorum, id eſt, vt maturius honores adipiſcatur, vt Accurſ. rectè notauit, ad d. §. 6. verb. in reliquis, per l. 2. de minor. & l. ad Rempublicam, de muner. & honor.

15. Idemq; de aliis ferè omnib. præmiis πολυπαιδίας iudicandum cenſet Cuiac. in d. l. 2. §. 6. de excuſat. Nam & matri non proſunt ad ſucceſſionem in SC. Tertylliano, ſi abortum fecerit, Paulus lib. 4. ſentent. tit. 9. ad SCtum Tertyl. §. 1. & 6. d. l. quod dicimus 231. quæ eiuſdem Pauli eſt ex eodem libro ſingulari ad SC. Tertyl. de verborum ſignific.

16. Legatariis quoque non prodeſt, qui eſt in vtero ancillæ hæreditariæ, l. 9. in fin. ad l. Falcid. Et ſubijcit ibi Papinianus

nianus, quia partus nõdum editus, homo non rectè fuisse dicitur. Sequimur enim Stoicorum sententiam, ἔμβρυα, non esse animalia. Sed tamen Galenus ἐν ὅροις ἰατρικοῖς, & lib. proprio, εἰ ζῶον τὸ κατὰ γαστρὸς, quomodo & leges Lycurgi & Solonis, docet, ἔμβρυον esse animal. Idẽ scribit Galenus in lib. περὶ φιλοσόφου ἱστορίας. Nam quæ abegit partum, punitur, l. Cicero 39. de pœn. l. 4. de extraord. crimin. l. 8. de sicar. l. 2. de mort. infer. c. aliquando, c. quod verò, c. Moses, c. sicut c. semina 32. q. 2 latè & eleganter Cuiac. lib. 19. obs. c. 9.

17. Hinc Tertullianus in Apologet. Nobis verò homicidio seueriter interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidii festinatio est, prohibere nasci: Nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet: homo est, & qui est futurus, & fructus hominis iam in semine est.

18. Propter hos igitur, & similes ca-

sus, in quibus venter necdum editus, nihil prodest. additur in d. l. 26. de stat. hom. particula, penè, item in d. l. 7. de stat. hom. & in d. l. quod dicimus, 231. de verborum significat. aliis, qui in vtero sunt, nihil prodesse, antequam nascantur.

QVÆSTIO LXXV.

An error, in literis vel in constructione commissus, viciet rescripta Principis & Papæ?

I.

ET quod ad literas, constat, ob defectum earum, rescriptum Papæ non viciari, cap. ex parte 11. de fid. instrum. ibi talis proponitur species: Regina quædam Angliæ impetrauit literas quasdam super restitutione spoliationis cuiusdam castri, in quibus deficiebat hæc litera O in hac dictione: spoliârunt, dubitatum fuit, vtrum propter hunc defectum, rescriptum fuerit vitiosum. Et mandat Pontifex, Honorius III. hoc defectu nō obstante

stante, in ipso negocio, ratione præuia, procedendum esse, vnde notatur ibi, propter modicum defectum, non viciari rescriptũ, præsertim cum ex præcedentibus & consequentibus, de mãdantis intentione constare possit. Cum igitur hoc rescriptum, in suis substantialibus, adpareat legitimum, modicus iste defectus in omissione literæ, fortè ob negligentiam, vel nimiam occupationem tabellionis vel scriptoris commissus, ei nocere non debet, argumen. l. errore 7. l. quoniam indignũ 15. l. ambiguitates 24. C. de testament. l. in legatis 21. C. de legat. Ita rectè respondet glossa in d. c. ex parte 11. de fid. instrum.

2. Cæterùm, quod ad errorem in cõstructione, Syntaxi, siue Grammatica, commissum, an is rescriptum viciet, diuersæ sunt opiniones interpretum.

3. Et quidem Abbas Panor. in c. ad audientiam 11. de rescrip. nu. 3. per text. & glos. ibi, in verb. manifestum, simpliciter censet, tàm rescriptum Papæ, quã Principis, ob manifestum constructio-

nis peccatum, siue, vt illi loquuntur, ob fallam latinitatem, viciari.

4. Nec obstat, si dicatur, vicium scribentis in testamentis & instrumentis non nocere, cũ aliàs de veritate seu voluntate testatoris constare possit, per iura supra allegata: Ergò idẽ in rescriptis statuendum esse: Nam respondetur, secundum gl. in d. verb. manifestũ, aliud esse in testamentis, & aliud in literis Papæ. Diuersitatis ratio in eo cõsistit: quoniã testamenta & alia instrumenta, committuntur tabellionibus siue notariis, quorum scripturã siue Latinum nemo corrigit, vnde fit, vt falsa latinitas, testamenta, vel alia instrumẽta, nõ viciet, si aliàs de veritate eorum, & voluntate testantium, satis constet. Et ita voluit glos. ll. supra adductas, accipiendas esse. Sed & fauore quodam singulari testamentorum, quædam recepta sunt, quæ ad alia instrumenta & rescripta produci non debent, l. 1. & ibi DD. C. de SSCtis Eccles. Aliud est in rescriptis, quæ non ita solis notariis cõmit-

mittuntur, sed per multorum manus transeunt,& magna maturitate & deliberatione decoquuntur & perficiũtur, ita vt verisimile non sit, vel minimum hic vicium, nõ animaduersum, residere vel remanere potuisse. Sed omninò, si in sermone peccatum offendatur, tũc fidem rescriptum amittere, & falum præsumi, adeò, vt contra hanc præsumptionem, nulla alia probatio in contrarium sit admittenda. Et has rationes ponderat glossa in d c.ad audientiam, verb. manifestum, de rescriptis, & sequitur ibi Panor.d.nu.3.

5. Alij, vt refert idem Panor.d. c. ad audientiam, nu.2.dicunt, falsam latinitatem non viciare rescriptum, dummodo per figuram aliquam saluari possit. Et adducit exemplum rescripti Apostolici, in hæc verba concepti: Mandamus, quod rectores hospitalis, & aliæ personæ, quæ degere contigerit in eodem hospitali, ibi sepeliantur. In illo rescripto deprehenditur manifesta cõstructionis falsitas. Nam dicitur ibi,

quæ degere contigerit, pro, quas degere contigerit. Verùm hoc vicium saluari posse per figuram Syllepseως. Ita Ioh. Andr. consuluit, vt idem Panor. refert, d. num. 2. ideoq; hunc defectum, rescripto nihil officere. Et de variis iuris figuris videatur elegans glos. in c. forus, de verb. signifi.

QVAESTIO LXXVI.

Hermaphroditi, cui sexui annumerãdi, num homines, an verò monstra, reputandi, & quemodo generentur, siue quæ sit causa generationis eorum?

I.

QVæritur in l. 10. de stat. hom. Hermaphroditi h. e. illi, qui vtrumq; sexum, & masculinum & fœmininum præ se ferunt, num inter masculos, num verò inter fœminas sint referendi. Et respõdet Vlpian. eius sexus æstimandos, qui in eis præualet, & in quo magis incalescunt.

2. Vnde si dubitetur, an hermaphroditus, pro masculo vel fœmina sit reputandus,

tandus, vt testis in testamento adhiberi possit (quoniam fœminæ, testari non possunt) id ex qualitate sexus incalescētis deprehenditur, l. repetundarum 15. §. fin. de testib.

3. Et cum solus masculus, posthumum hæredem instituere possit, l. 4. in princ. de liber. & posthu. hæred. inst. si de hermaphrodito quæratur, an possit, considerandum est, num in eo virilia præualeant, l. sed & quæsitum 6. §. fin. d. mod. tit. de liber. & posthum.

4. Ei quoq; quæstioni abundè hic satis fit, quam tractat Bal. in l. quoties, C. de suis & legit. ex facto de quodā Marchione, qui feudum dedit Titio, ea lege, vt pertineret ad filiū, si esset masculus, aliàs non: natus Hermaphroditus: quæsitum fuit, an succedat in feudo. Et respondit Baldus, rectè succedere, si magis incalescat in eo virilis sexus, secus, si fœmininus. Idem quoque refert idē Bald. de aliena. feud. pater. c. 1. & gl. in l. de quib. & ibi quoq; Ang de legib.

5. Igitur ad dignoscendum sexum in

Hermaphroditis, incalescentiæ & præualentiæ qualitas inspicienda erit, l. 10. de stat. hom.

6. Porrò Plato in Symposio suo comminiscitur oēs homines ab initio androgynos siue Hermaphroditos fuisse, & cum fœminis viros dorso fuisse coniunctos, postea diuisos, indeq; mutuū existere sexuum inter se amorē, in repetēda priori cōiunctione. Verba Platonis hæc sunt: ἀνδρόγυνον γὰρ ἓν τότε μᾶλλον ἦν καὶ εἶδος, καὶ ὄνομα, ἐξ ἀμφοτέρων κοινὸν τοῦτο ἀρρενος καὶ θήλεος: νῦν δ' οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἢ ὀνείδη τὸνομα κείμενον, id est, Androgynon autē tunc quidem erat, vna & species, & nomen ex vtroque compositum, masculo & fœmina, nunc autem nō vtiq;, sed exprobationi nomen inseruit. Legerat forsan Plato, hominis creationē, & mulieris formationē, ex Adami costa, quam cum malè intellexisset, lapsus est in eam fictam coniunctionem.

7. Simili modo & illi nugantur, qui cū Fabula Ouid. lib. 4. Metamorph. tab. 10. narrant, Androgynon factum ex Salma-

macide vna Nympharū Naidum, & filio Mercurii, ideo quod ſtella Mercurii, ob qualitates, quibus præeſt, mediæ naturæ putatur. Nam cum aliæ ſtellæ, ab Aſtrologis dicātur maſculinæ, propter maius robur, quo calorem excitant: aliæ verò fœmineæ, propter debiliores vires, & naturā humidi, cui dominatur Mercurii ſtella, nūc humidum abundē excitat, pro ſitu & motu ſuo, ſicut Iouianus Pontanus docet de reb. cœleſtib.

8. Igitur cauſam Androgynōn, Aſtrologi referunt ad cōmixtiones Mercurii & Veneris. Nam ἑρμῆς Mercurius eſt, & Ἀφροδίτη, Venus. Fingunt n. Veneré compreſſam à Mercurio, talem fœtum edidiſſe, vnde factū eſt, vt eiuſdē ſortis homines, Hermaphroditi dicātur. Qui etiam appellantur ἀνδρόγυνοι, ab ἀνὴρ καὶ γύνη q.d. homo vtriuſque ſexus, & vir & fœmina.

9. Ariſtoteles, Hermaphroditorum generationem tribuit naturæ exuperantiæ, lib. 4. de generat. animal. c. 4. dū ait: quibus autem gemina habere genita-

nitalia accidit, alterum maris: alterum fœminæ, iis semper alterum ratum, alterum irritum redditur, cum per alimẽtum subinde delitescat, quoniam præter naturam est.

10. Cum igitur, materia seminis, perficiendis duobus, vel masculis, vel fœminis, vel cõiunctim, masculo & fœminæ non sufficit, vni tamen redundat, tunc vis Διαπλαστικὴ, id est, procreans, format præter naturæ præscriptum, membra plura nõ necessaria, sc. ad quorum sedes superflua detruditur, vel suopte nutu decumbit materia, idonea potentia, ad figuram illarum partium effingendã. Et hoc modò Hermaphroditi siue Androgyni generantur, vt eleganter traditum est à Peucero in lib. suo de diuinat. mih. fol. 434.

11. Quemadmodum igitur gemelli & Hermaphroditi, pro copia & modo seminis fiunt: ita inutili & manci fœtus, ex defectu materiæ, quę ne vni quidem absoluendo sufficit, procreantur, qui ferè non principalib. membris, vt corde, ce-

de, cerebro, & iecinore, destituuntur, sed extremo quodã mẽbro mutilãtur, vt idẽ Peucerus tradidit, d. mod. loc.

12. Cæterùm, quanquam Androgyni, cum formam habeant humanam, apud ICtos inter homines annumerẽtur: Et solùm existiment monstra, & expungãt ab ordine homiuũ, forma humana destitutos partus, l. non sunt liberi 14. de stat. hom. l. quod certatum est 3. in fi. C. de posthum. hæred. instit. nihilominus olim aliquando inter prodigia, Androgyni fuerunt relati.

13. Et idcirco Lælio Licinio Crasso, & Caio Cassio Coss. Cassini puerũ factum ex virgine sub parentib. iussu Aruspicũ deportatũ in insulam desertã legimus.

14. Item Spurio Posthumio Albino, Q. Martio Philippo Coss. cum ex Vmbria nunciatum esset, semimarem inuẽtum 12. ferè annos natum, id prodigium abominantes Romani Pontifices, iusserunt hunc arceri agro Romano, atque primo quoq; die interfici.

15. Et Lælio Metello, & Q. Fab. Max. Coss.

Coss. Lunæ Androgynos natus, præcepto Aruspicum in mare deiectus est, vt referunt Liu. lib. 9. decad. 4. Plin. lib. 7. nat. hist. c. 3. & 4. Gell. lib. 9. c. 4. & Iulius Obsequens libro de prodigiis.

16. Meminit & Eusebius Pamphilus lib. 4. de vit. Constantini. Constantinũ Impe. lege lata, hoc tertium genus hominum, vita tolli, & auferri constituisse: sicut & extat lex Romuli apud Dionys. Halicar. lib. 1. antiquit. Rom. qua omnis partus monstrosus necabatur & abijciebatur, consilio proximorum.

QVÆSTIO LXXVII.

Qui dicantur iusti liberi & intra quod tempus, iustus & legitimus partus nasci possit, vel non possit?

I.

IVsti sunt liberi, qui ex iusto & legitimo matrimonio nascuntur, l. cum quis, in fi. cum l. seq. in princ. C. de natur. lib. §. vlt. instit. de nupt. §. quibus, instit. de hæredit. quæ ab intest. defer. instit. de patr. potest. in princ. l. 3. & l. filiam, de his qui sunt sui vel alien. iur.

Idq;

2. Idq; etiam procedit in liberis, ſeptimo, poſt celebratas nuptias, menſe, editis l. 12. de ſtat. hom.

3. Hinc partus ἑπταμηνιαῖος, matri prodeſt in SC. Tertulliano, Paul. lib. 4. ſen. tit. 9. §. 5.

4. Et non videtur in ſeruitute cōceptus, cuius mater ante centeſimum octuageſimum ſecundum diem eſt manumiſſa. Nam ſecundum Hippocratē, qui 182. die natus eſt, iuſto tempore natus videtur, l. 3. §. fin. de ſuis & legit. hæred. Hippocrat. περὶ ἑπταμήνου ſiue de, ſeptimeſtri partu. Quem ſequitur Galenus de ſeptimeſt. part. vbi tradunt ſeptimo menſe naſci perfectum partum.

5. Etſi n. exactius dinumeratis omnibus menſium diebus, 182. dies, accidere poſſit, vt ſextum menſem non impleāt. Verbi gratia à Kalend. Martiis, vsq; ante diem pridie Cal. Auguſti, dinumeratione facta, tamen in hoc propoſito, ex ſententia Græcorum ICtorum, ita incunda eſt computatio, vt ſingulis menſibus 30. duntaxat dies tribuantur.

Qua

Qua ratione 182 dies, septimum mensem attingunt Et ita Hippocrates quoque lib. 2. Epidemid. 3. sect. 270. dies pro nouem mensibus computat. Nosq; hanc putandi rationem semper sequimur, vt in nouii, ad l. vbi lex 101 de R. I. & ibi Petr. Fab. notauit, & Cuiac. c 10. & c 13. de diuers. tempor. præscript. & ad Paul. lib 4. sent. tit. 9 §. 5.

6. At videtur huic nostræ sententiæ aduersari Paul d. §. 5. dum ait, septimo pleno. Pleno autem, id est, 210. diebus, qui numerus continet tres decades hebdomadarum, vt & Hippocrates περὶ σπερμῶν ostendit. Non tamen ideo statim consequitur, non nasci partum legitimum circa initium septimi mensis: Nam & 182. partum nasci, Hippocrates scripsit d. lib. περὶ ἑπταμήνου, qui numerus dierum, efficit dimidiam anni partem rotundato numero, Cuiac. ad Paulum, d. §. 5 circ. fin.

7. Igitur ex prædictis, credendum, eũ qui ex iustis nuptiis septimo mense natus est, iustum & legitimum filium esse,

d. l. 12

d.l.12.de stat.hom.& d.l.3.§.vlt.infra de suis & legit.hæred. Quod Pythagoræo numero Paulus adscribit d.§.5. Et Censorinus de die natali: Septimo, inquit, partum iam esse maturũ, eò quod in omnibus numeris, septenarius plurimum possit. Et de occulta ratione & virtute septenarij numeri videatur omninò Epistola D. Ambrosij ad Horontianum, Gellius lib.3.c.10. per tot. & alij innumeri. Septimo itaq; mense nati, perfecti sunt, iusti, legitimi & vitales, per iura & auctoritates supra allegatas.

8. Cæterùm, sexto mense editi, aut citius, non viuunt, vt tradunt Plin.lib. 7.Natur.hist.c.5.& Philip. Melancht. lib. de anima, in quæst. quid est generatiua potentia, §. editi.

9. Similiter, qui octauo mense nascũtur, superstites manere non solent, ex auctoritate Hippocratis in allegat. lib. de septimestri partu, & lib. de Octimest. part. Partus enim duas consequenter succedentes afflictiones ferre non po-

test. Nam septimo mense, quia criticus est, fœtus mouetur ad exitum, cum natura eius valida est. Si autem natura fœtus imbecillis est, non potest edi, sed transfertur in aliam vteri partem. Si itaq; octauo mense in lucem edatur, magis affligit infantem gemina migratio, cum & septimo mense in aliam vteri partem translatus sit, & non multò post criticum tempus, quo non prodest moueri materiam, octauo mense editur. Ita ex sententia Hippocratis in alleg. lib. de octimestri partu, tradit P. M. in d. lib. de anima, in quæst. quid est gener. pot. in alleg. ſ. editi, in fin.

10. Pythagoræi huius diuersitatis rationem, cur scilicet ἐπτάμηνος partus maturus sit, & vitalis, ὀκτάμηνος verò immaturus & non vitalis, vt plærique sua, ad numeri septenarij occultam rationem & virtutem referunt.

11. Mathematici & Chaldæi hanc adsignant rationem, quod decursis, septé mensium spacio, planetarum dominiis, vices redeãt ad Saturnum, qui primor-

diis vi-

diis vitæ in micissimus est, quippe frigidus & siccus, cum vita consistat in calido & humido.

12. Fracastorius, causam breuitatis vitæ octimestrium, ad immaturitatem refert, in lib. de Sympath. & Antipath. c. 11. vnde Hippoc. in lib. περὶ τροφῆς, siue de aliment. tales, ἐκτρώσεις, siue abortus vocat, & pronũciat eas μὴ εἶναι, καὶ οὐκ εἶναι, esse, & non esse, id est, nasci quidem, & viuere, sed quia diu victuri non sunt, esse non videri. Quò detorquet Ioh. Baptist. Pic. distichon in Epigram. vbi gemellos octimestres, masculum & fœminam, vocat neutros, h. e. neq; mares, neque fœmellas, neq; viuos, neque mortuos, quia scilicet præcoces & immaturi, statim morituri, nati sint. Versus habentur lib. Epigr. 18.

γραμματικὴ θυγάτηρ ἔτεκεν φιλότητι μιγεῖσα
παῖδ' ἄρσενα θῆλυν, θῆλυκὸν, ἀδέτερον, h. e.

Filia Grammatici, lusum præluit amoris
Fœmina, mas, neutrum, nascitur inde genus.
Vel.
Masculeam sobolem, muliebrem, tum quoque neutram
Mixta viro, peperit filia Grammatici.

Ita vertit Iohan. Lalamant. in 20. Scholio lib. Hippocr. de hom. ætat. Igitur partus, qui sexto, ante septimum, vel octauo mense prodeunt, imperfecti sunt, & non vitales.

13. Sed an octauo mense editus, pro mortuo sit habendus, & pro monstro abdicandus, vt decisum esse affirmat Matth. de Afflict. in decis. 236. Neapol. incip. Petrus de S. Iuliano, num. 4. 5. & 6. non caret dubio. Nam octauo mense fœtum nasci posse, scribunt Cæcilius & Varro lib. 14. rer. diuin. quos & Gellius refert lib. 3. noct. Attic. c. 16. & Arist. lib. 7. de histor. animal. c. 4. & Plin. lib. 7. Natur. hist. c. 5. affirmant, in AEgypto vsitatum esse, vt octauo mense partus edatur. Addit Plinius in alleg. c. 5. in Italia quoq; fœtus in octauo mense editos, esse vitales, vbi & refert Vestiliam, C. Hercidij, ac postea Pomponij atq; Orfiti, clarissimorum ciuium coniugem, ex his quatuor partus enixam, Sempronium septimo mense genuisse, Suillum Ruffum, vndecimo,

Cor-

Corbulonem septimo, vtrumque consulem: deinde Cæsoniam, Caij Principis coniugem, octauo.

14. Porrò nono & decimo mense post mortem patris, legitimi & maturi partus nascuntur l. 29. in princ. de liber. & posthum. ibi Gallus Aquilius sic posse institui posthumos nepotes induxit: si filius meus, viuo me, morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos, siue quæ neptis, post mortem meam, in decem mẽsibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus, nata erit, hæredes sunt. Et in l. XII. tab. scriptum reperitur: in decimo mense legitimus infans nascitor. Et vsitatissimum hoc esse affirmat P.M. in d. quæst. quid est generatiua potentia, §. hos dies, in fin. vt scilicet mares edantur nono, fœminæ decimo mense.

15. Causam verò talem reddit Hippocrates in lib. de nat. puerper. siue fœtus, cur mulier vltra decimum mensem non gestet vterum. Nam alimentum & augmentum, quod à matre descen-

dit, non amplius sufficiens est partui, vbi decem menses præterierunt, & fœtus auctus fuit. Trahit enim, quod dulcissimum est in sanguine, ad sese, simulque etiam lacte modicè fruitur.

16. Vndecimo mense à morte mariti genitus, non est legitimus. Hinc Vlpianus: post decem menses mortis natus, non admittitur ad legitimam hæreditatem, l. 3. §. pen. de suis & legit. hæred. Et Iustinianus in Nouella 39. c. 2. constituit, eius mulieris, quæ vndecimo mense post mortem viri parit, partum non esse legitimum, sed opus potius naturalis concupiscentiæ, cum verisimile non sit, tempus conceptionis in tantũ extensum. Ideoq; ex serotino nimium hoc partu, viduam scortatam videri, & ex stupro partum concepisse.

17. Et sanè lex 12. tab. h. e. Decemuiri, in decimo mense gigni hominẽ, non in undecimo scripserunt, teste Gel. lib 3. c. 10. circ. med.

18. D. tamen Hadrianus, cum fœmina bonis atq; honestis moribus, nec ambi-

ambigua pudicitia, in vndecimo mense, post mariti mortem peperisset, factúsq; ei negocium esset propter rationem temporis, quasi marito mortuo concepisset, causa cognita, & requisitis veterum Philosophorum & Medicorum sententiis, decreuit, in vndecimo quoq; mense à morte mariti, rectè partum edi posse, vt idem Gellius auctor est loc. præcitato.

19. Et hoc Adriani decretum, vt cum lege Decemuirorum conciliaret Cuiac. ad d. Nouel. 39. c. 2. & ad Paul. lib. 4. sentent. Tit. 9. §. 5. & c. 19. de præscript. intelligit, de mense vndecimo incepto, non perfecto, vel, vt Phauorinus Philosophus apud Gellium d. loc. loquitur, affecto, non confecto, vbi, affecta ea dici ait, quæ non ad finem ipsum, sed proximè fini progressa deductaue erant. Atq; ita vult Cuiac. natum sub finem vndecimi mensis, iustum non esse, natum sub initium, esse iustum.

20. Et An. C. 1567. VVitebergæ pronunciatum est fœmellã in initio vnde-

cimi mensis post obitum patris natam, habendam pro legitima, & ad hæreditatem patris, admittendam esse, vt refert Ioach. Beust. ad l. admonendi fol. 141.

21. Et Charisius auctor est lib. 1. Instit. Gram. Grachum à gerendo nomen accepisse, quod eum mater duodecim mensibus in vtero gestasset.

22. Et Plin. refert, c. 5. lib. 7. Nat. hist. Lucium Papyrium prætorem, secundo hærede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, cum mater partum 13. mensib9 diceret tulisse: quoniam nullum certum tempus pariendi statutum videretur.

23. Et nostro tempore Parisienses admiserunt viduam, quæ 14. mense post mortem mariti pepererat, hac moti ratione, quod apud hæredes defuncti mariti vixisset, diligenter perpetuo adseruata, nunquam à latere vxorum eorum discessisset, hæredes nihil præterea eius honori ac pudicitiæ obiecissent, quinimò, de solenni & perpetuo eius luctu

luctu ob mariti mortẽ testati fuissent. Ideoq; putàrunt, non tanti habendam opinionem communis partus, vt matrona honestissima, cui nihil quicquam obiici posset, quàm quod præter communem morem peperisset, audienda non esset.

24. Quod tamen non temerè ad exemplum trahendum erit, nec passim admittendum, Nam alioquin contra easdem naturæ leges communes tertio etiam mense post matrimonium, partus alicui vitalis facilè obtrudi posset.

25. Quare si hoc casu super partu quæstio incidat, iudex debet, tanquam vir prudens & circumspectus, considerare, omnes circumstantias, diligenter peritos Philosophos & Medicos consulere, boni & innocentis viri officio fungi, l. 4. famil. herciſc. & æquitatem ante oculos habere, l. quod si Ephesi, in fin. infra de eo quod cert. loc. dar. oport.

26. Cæterùm, vt id obiter superiori-

bus adiiciã, de modo fœturæ ita tradîtum est à Schonero lib. 1. de iudic. Saturnus, inquit, vtpote antiquior cæteris, fœtum dirigit primo mense, & materiam constringit: Iupiter secũdo, eodemq; mense motum & rationem confert: Mars, tertio mense sanguinem: Sol, quarto mense, calore suo, membra præcipua format, eoq; mense rationalem animam instillat: Venus, quinto mense figuram, sexum & venustatem addit: Mercurius, sexto mense, extendit vocales arterias: Luna, septimo mense perficit conceptum, propter plenitudinem & perfectionem septẽ planetarum concurrentem, ideoq; partus fit vitalis: A Luna, Saturnus octauum mensem dirigit, qui natura sua frigidus, partum quoq; infrigidat, & ita parum vitalem facit. Nono mense Iupiter maximè dominatur, cuius motu, quo plurimum valet, puer ex tenebris in lucem profertur. Hæ, nugæ videntur Astronomicæ, quas ideo hic inserui, ne studiosi iuris eas ignorarent, vt guerras tamen, euitârent. Cæ-

27. Cæterùm, intra quod tempus possit nasci legitimus partus humanus, rectiq tradunt Hippoc. Gel. Arist. Plin. in loc. sup. allegat. Plutarchus lib. 5 de placit. Philos. c 18. Macrob. lib. 1. c. 6. in som S. cip. & Cēsor. lib. de die natali. Sed hæc Medicis & Physicis plenius discutienda relinquamus.

QVAESTIO LXXVIII.

Quæ requirantur ad publicationem, aperturam & resignationem Testamenti in scriptis?

I.

AD substantiam & esse publicationis Testamenti in scriptis multa copulatiue requiruntur. Primò requiritur, vt hæres descriptus in testamento, mortuo testatore, accedat ad Iudicem ordinarium loci, secundū Bald. in l. publicati 2. C. de testamentis: vel ad magistrum census, in Romana curia, secun

ſecundum Salic. in d. l. publicati, per l. conſulta diualia 23. C. de teſtamentis: In aliis verò ciuitatibus, ad magiſtratum municipalem l. omnia C. de teſtamentis: Vel etiam ad delegatum, Canoniſtæ in c. fin. de fid. inſtrum. Iaſ. in d. l. publicati C. de teſtamentis: & ab eis reſpectiuè, ſecundum facti contingentiam petat, dictam publicationem, iurando in manibus iudicis, quòd eam non calumniādi animo petat, ſed quod putet ſua intereſſe. Rolan. à Valle conſ. 36. num. 9. & 10. vol. 1. Speculat. in Tit. de inſtrument. edit. §. oſtenſo 4. num. 24. in princ. & num. 34. in princ. Ioach. Beuſt. ad l. admonendi, de iureiur. pag. 402. nu. 793. & pag. 403. nu. 794.

2. Et præſtanti iuramentum calumniæ, datur licentia inſpiciendi & deſcribendi teſtamentum, excepta illa parte, quam aperiri defunctus vetuit, & in qua ſcriptus eſt dies & conſul, & quæ ad ignominiam alicuius pertinet. Beuſt. d. pag. 403. num. 793. per l. 2. C. quemad. teſtamenta aper.

3. Se-

3. Secundò requiritur, vt in ipsa publicatione citentur omnes, quorum interest principaliter, publicationem fieri, puta illi, qui ab intestato hæredes defuncto futuri essent. In actibus enim præiudicialibus, debent citari omnes, quorum interest. Roland. à Valle d. cons. 36. num. 11. Speculat. d. §. ostenso 4. num. 26. in princ. Ioachim. Beust. d. pag. 403 num. 795. cum seq.

4. Quod requisitum ampliatur procedere, vt nisi vocentur illi, quorum interest, instrumentum fidem non faciat, licet Iudicis ordinarij auctoritate publicatum fuerit. Speculat. d. §. Ostenso 4. num. 26. vbi subdit, in contingentia facti coram se ita obtentum fuisse.

5. Proindeq; ad probandam hoc casu citationem factam, vtile fuerit, publicum de ea instrumentum fieri, Roland. à Valle d. cons. 36. n. 11. in fine, per c. significavit, de testib.

6. Item ampliatur in tantùm procedere, vt ne quidem citatio generalis hoc casu sufficiat, sed specialis requiratur,

tur, Roland. à Valle d. conſ. 36. num. 12. per l. 1. §. denunciari. de ventr. inſpic. cum alijs ibi allegatis.

7. Quæ tamen ampliatio, ita limitanda, declaranda, & intelligenda eſt, vt tunc demũ procedat, cum ſucceſſores ab inteſtato venientes, certi ſunt, non etiam ſi ſint incerti, tunc enim citatio, vel per proclama, vel per edictum generale facta ſufficiet. Roland. à Valle d. modò num. 12. per notata Salic. & Alberic. de Roſat. in d. l. publicati 2. C. de teſtamentis. Bart. in l. ſi quis inſtituatur, de hæred. inſtit.

8. Eaq; declaratio adeò vera eſt, vt ſi publicatio facta non fuerit, citatis omnibus, de quorum præiudicio agitur, ſi certi ſint, ea non noceat non citatis, nec contra eos fidem faciat. Roland. à Valle d. modò num. 12. in fine, per notata Antonij de Butr. & Iohan. de Imol. in d. c. ſignificauit, de teſtib. Paul. de Caſt. & Salic. in d. l. publicati, in fine, C. de teſtamentis, Ial. in conſ. 67. vol. 3.

9. Ter-

9. Tertio requiritur, vt citentur testes Testamentarij, qui se subscripserunt & sigilla sua adposuerunt, vt veniant coram iudice, & sub iuramento examinati, recognoscant suas subscriptiones & sigilla, ac deponant, se fuisse rogatos à testatore de talibus subscriptionib9 & sigillis, & q9 testator adfirmauerit, in dicta scriptura suum testamentum contineri: Roland. d. cons. 36. nu. 13. per notata Paul. de Castr. Salic. & Alex. in d. sæpius l. publicati C. de testamentis, Iaf. d. cons. 67. & Ioachim. Beust. d. pag. 403. num. 797. cum allegatis.

10. Quod requisitũ, declaratur & intelligitur tunc verũ esse, si testes in eodẽ loco siue territorio sint præsentes, & sine magno suo incõmodo cõparere possint, secus, si non nisi cũ magno suo incõmodo, tunc enim Iudex, eos venire non coget, sed mittet notarium, vel Officialem ad recipiendũ iuramentũ, dictaq; ipsorum, Roland. à Valle d. modò num. 13. per notata Bart. in l. cum ab initio,

modò n. 13. per notata Bart. in l. cum ab initio, quemad. testament. aper. O. neroſum namq; eſt, & cum magna captione & detrimento rerum noſtrarum coniunctum, agnoſcendi cauſa nos auo cari, maximè cum nemini officium ſuũ damnoſum eſſe debeat, Ioachim. Beuſt. d. modò pag. 403. n. 798.

11. Quod ſi teſtes in eodem loco vel territorio præſentes nõ ſint, ſed in alieno territorio abſint: tunc Iudex cõmittet Iudici illius territorij, vt iuramẽtum & dicta teſtium recipiat, eaque ſibi poſtmodum clauſa & ſigillata remittat. Quibus acceptis, ea publicabit & aperiet, Roland. à Valle, d. modò nu. 13. circ. fin. per notata Bart. Baldi & Imolæ in d. l. cum ab initio, quemad. teſtamẽta aper. vbi ſubiicit Bart. optimum conſilium hoc caſu benè notandum, vt ſi quãdo teſtis, alterius fortè Iuriſdictio. ni ſubiectus, ad veniendum cogi non poteſt, Iudex tranſmittat iudici alterius territorii diſtinctos articulos & interrogatoria, ſecũdum quæ teſtes examinen-

minentur & interrogentur, per notata c. præsentium, de testib. in 6.

12. Quartò requiritur, vt tempore delationis iuramenti præstandi testibus, citentur omnes, quorum interest specialiter, & modo, quo suprà, ad videndum deferri iuramentum dictis testibus testamentariis, super recognitionibus chartæ testamentariæ, subscriptionum, & sigillorum, Roland. à Valle d. sæpius cons. 36. num. 4. per notata Imolæ in d. c. significauit, in pen. notabili, de testib. Iaſon in d. cons. 67. col. 3.

13. Quintò requiritur, vt ipsi testes testamentarij, singulariter, separatim, & sigillatim examinentur. Roland. à Valle d. sæpius cons. 36 num. 15 in prin. per notata Salicet. in d. l. publicati, colum. fin. C. de testamentis, & Speculat. in d. §. Ostenso 4. mih. num. 35 in fine.

14. Sextò requiritur, vt testes in suis depositionibus faciant mentionem de subscriptionibus & sigillationibus aliorum contestium, si ea in subscriptionibus omissa fuerit. Roland. à Valle d.

fæpius conſ. 36. nu. 15. per notata Iacob. Butrigarij, Salic. & Corn. in d. l. publicati 2. C. de teſtamentis, Iaſ. d. conſ. 67.

15. Septimò requiritur, vt Iudex omnibus his peractis, interloquēdo pronunciet, ſcripturam teſtamenti publicam, & illi fidem in poſterum plenam & perpetuam adhibendam eſſe, Roland. à Valle d. conſ. 36. nu. 16. per doctrinam Pauli Caſtrenſ. Salic. Iaſ. & Alex. in d. l. publicati 2. C. de teſtamentis. Ioh. Fabr. in §. ſed cum aliquis, inſtit. de teſtamentis, Iaſ. in citato fæpius conſ. 67. colum. 3. in fine.

16. Octauum requiſitū reſpicit Notariū, Is enim in publicatione teſtamenti in ſcriptis ad hunc modum ſe ſubſcribere teſtamento debet. Exemplificato teſtamento, dicet, anno, menſe, die, indictione, & loco talibus, hoc præſens teſtamentum fuit exhibitum, coram tali iudice, præſentibus talibus teſtibus, ſigilla & ſubſcriptiones ſuas recognoſcentibus: Et ego talis, auctoritate tali Notarius, de mandato Iudicis,

illud

illud exemplaui, nihil addens vel minuens, & in publicam formam redegi, originali ipso, quod sigillatum erat, in tali archiuo remanente. Hanc formam præscribit Speculator in d. §. Ostenso 4. nu. 37. vnde eam transcripsit Roland. à Valle d. cons. 36. num. 19. Eiusq; remissiuè meminit Ioach. Beust. d. sup. pag. 403. n. 799.

17. Et addit Speculator nobilitater: Originale debere rursus sigillari à testibus, qui publicationi interfuerunt, & in archiuo, ad perpetuam rei memoriam, sigillatum custodiri, vt fortè vel exemplo deperdito, vel suspecto aut falso conuicto, semper recursus ad originale siue authenticum haberi, & secundùm illud, quoties opus fuerit, aperiri iterùm, coràm Iudice sigillari, de nouo exemplari, & publicari possit. Speculat. d. modò, num. 37. in fine. cum nu. seq. Refert & sequitur Roland. à Valle, d. modo num. 19. Ioachim. item Beust. d. modò nu. 799.

18. Nonò & vltimò, requiritur, vt publicationi, apertioni, & vltimæ huic sigillationi, septem testes adhibeantur. Speculat. d. modò num. 37. in fine. Roland. à Valle, d. sæpius conf. 36. num. 18. Ioachim Beust. d. modò nu. 799. in fine.

QVÆSTIO LXXIX.

Si mulier, defuncto marito, alteri statim nupta, nono postea mense pariat, vtri sit tribuendus partus?

I.

CIrca hanc quæstionem, variæ & diuersæ reperiuntur interpretum diffinitiones. Multi enim hunc partum primo marito adiudicant, propter regulam, qua dicitur: Qui prior est tempore, potior est iure, c. qui prior, de R. I. in 6. cum præsertim secundus alioquin culpandus sit, quod nimia festinatione alterius viduam duxerit, argumento l. 2. §. si quis tamen 8. si quis caut. iudic. sist. caut. fact. non obtemp.

2. Alij

2. Alij secundo marito hunc partum malunt tribui, tùm, quia diutius agrum ipsum coluit, id est, rem cum muliere defuncti habuit, vt hunc partum ederet: argumento l. Titia, de solut. tùm, quia in eius domo, & matrimonio constante, natus est, l. filium 6. de his qui sunt sui vel alien. iuris.

3. Alij contrà, partum hunc, ad vtrumq; pertinere contendunt, argumento l. duo socij, 8. de hæred. instit. ibi, cum duo socij quendam seruum communem, testamento facto, hæredem, & liberum esse iussissent, & postea ruina simul oppressi periissent, responsum fuit, seruum vtriq; socio, hæredem orcinum extitisse. Eo igitur casu, lex, vnum eundemq; seruum (qui vno tempore vnius tantùm domini necessariò est) duorum simul dominorum, & vtriusque in solidum, esse iudicat.

4. Alij propter sanguinis & seminis mixtionem, hunc partum neutrius esse statuunt, l. liberorum 12. §. 1. de his qui not infam.

5. Nonnulli in ea sunt hæresi, prudenter videndum esse, vtri maritorum, partus sit similior, Accurs. in l. quod si nolit 31. §. qui mancipia vendunt 12. de ædilit. edict. propterea quòd ferè fit, vt liberi parentes suos formæ propinquitate referant, vt auctor est celeberrimus Medicus Galenus lib. 2. de Semine.

6. Ideo autem parentes sui similes liberos fere gignunt, quòd in ipso venereæ titillationis articulo, vnam ferè voluptatem, qua perfunduntur, in animo habent, eiq; soli intenti sunt, vt Pli. lib. 7. Nat. hist. c. 12. annotauit.

7. Hinc quæstio illa oritur de similitudine partus, de cuius statu dubitatur, num legitimus sit, an verò adulterinus. Nam plæriq; in ea sunt sententia, vt si adulterum refert, spurius sit & illegitimus, propterea quòd mulier, cum ab adultero comprimitur, de marito semper cogitat, cuius reditū metuit, Iacob. Butrigarius in l. fin. C. de Carbon. edict. Ipsæ porrò imaginationes ad conferendam

rendam fœtui formam, qui tum concipitur, magnam vim obtinent, vt notauit Accurs. in l. quæret, de verbor. sig. Quanquam potest facilè quilibet diuersum statuere, tum experientia, ipsa rerum magistra, edoctus, tum grauium testium & Doctorum auctoritate confirmatus, veluti Phocylidis Græci Poëtæ, qui ait:

Non faciunt similes stuprata cubilia natos.

9. Quocirca Horatius lib. 4. Carm. Oda 5. cum Augustum Imperatorem laudaret, qui summa seueritate adulterium repressisset, inter cætera ait, effecisse, vt continentiæ castitatisq; maius esset studium, ac matronæ sobolem parentibus similem procrearent, his versibus:

Nullis polluitur casta domus stupris:
Mos & lex, maculosum edomuit nefas:
Laudantur simili prole puerperæ:
Culpam pœna premit comes.

10. Et Hesiod. 1. ἔργ. & ἡμέρ. in cæteris

bonis ac præmiis, quæ ait eos homines, qui iustitiam colant, consecuturos esse, hoc numerat, filios parentibus similes, his verbis: πλεῖστον δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι.

11. Et Theocritus in Encomio Ptolemæi, eius mulieris, quæ virum suum non amat, mentem dicit in alio viro semper esse occupatam, eamq; liberos patri dissimiles parere, in hunc modum:

ἀστέργει δὲ γυναικὸς ἐπ' ἀλλοτρίῳ νόος ἀεὶ
ῥηίδιαι δὲ γοναὶ, τέκνα δ' οὔποτ' ἐοικότα πατρί.

Id est, Mulieris virum suum ex animo non amantis semper in alieno mens est, faciles fœtus, liberi nunquam patri similes.

12. Catullus quoq; in eo carmine, quod scripsit in Iuliæ nuptias precatur, vt Torquatus filius nasciturus, suo sit similis patri Manlio: Et facilè insciis (inquit) Noscitetur ab omnibus, & pudicitiam suæ, Matris indicet ore.

13. Et Aristoteles lib. 2. polit. scribit, popu-

populis quibusdam Lybiæ superioris (quos Garamantes esse ex Pomponio Mela suspicatur Lambinus) communes esse inter ipsos vxores: Liberos autem natos, diuidi ex parentum similitudine, in eis expressa: Sic Arist. τὰ μὲν τοι γενόμενα τέκνα διαιρεῖσθαι κατὰ τὰς ὁμοιότητας.

14. Accedit huc, quod videmus, Spurios, vero & naturali patri, non corpore dumtaxat, vultu & lineamentis, sed moribus etiam atq; ingenio, similes euadere, l. super statu Cod. de quæst. c. si gens, dist. 56.

15. Et non est verisimile, adulteram in ipso voluptatis & conceptionis tempore, magis de viro absente cogitare, quàm de præsente adultero, quem in complexu tenet, in quo tum corpore, tum animo tota hæret, & in eum coniectos oculos habet, eumq; continenter impura lasciuia, & omni blanditiarum genere delinire studet.

QVÆSTIO LXXX.

Cur aliàs patri, aliàs matri, partus sit similior?

I.

IN huius quæstionis diffinitione sequimur Aristotelem de generat. animal. vbi ait: Si viri maior vis fuerit, similem illi partum fore: Contrà, si fœminæ semen exuperet, eius simulachrum & formam, partum accepturum: Sin verò æquales ambo vires contulerint, vtrisque similem fore, diuersis tamen corporis partibus & locis.

2. A qua sententia non longè aberat Anaxagoras, similem ei fore prolẽ, dicens, qui plus seminis contulisset. Refert & sequitur Iohan. Corras. ad Arrestum Tholosanum, habitum inter Martinum Guerram, & Arnoldum Tillium, annotat. 5. pag. 35.

QVAESTIO LXXXI.

Mem-

Monstrosi vel portentosi partus, quando prosint, vel non prosint, Et quomodo ostenta, portenta, monstra & prodigia inter se differant?

I.

PHysici inter ostenta, portenta, monstra, & prodigia distinguunt. Ostenta dicuntur ab ostendēdo: Portenta, quasi, quæ porrò sunt, intentent: monstra, à monendo, vel, vt maluit Cicero, à monstrando: prodigia, de Ceronis sententia, quasi prædicia, vel, vt cæteris placuit Etymologicis, quod diuinitus proagantur futuris, & consecuturis rebus, h.e. ante illas propellantur.

2. Per ostenta intelligunt Physici non solum in aëre picturas, & sæpè animaduersas imagines confligentium exercituum, crepitus & fragores concussorum armorum, ac similium, sed quæcunq; in sublimiore illo syderū cœlo, perpetuis orbium circumuolutionibus, Dei iussu, insolenter accidunt.

3. VIpian9 Iurisconsultus ex Labeone defi-

definit ostentum omne, contra naturam cuiusque rei genitum factumq;, & duo eorum genera facit. Vnum, quoties quid contra naturam nascitur, tribus manibus fortè aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria est: Alterum, cum quid prodigiosum videtur, quæ Græci φαντάσματα, id est, visiones vocant, l. ostentum 38. de verbor. sig.

4. Et ostentorum magnam varietatem, non vetusta solum, sed recentia etiam obseruarunt tempora, quæ aliàs aliæ causæ, Deus, sancti Angeli, sæpè Diaboli, effingunt.

5. Sic paulò ante mortem Iohannis Ducis Saxoniæ Electoris, Isenaci conspectæ sunt hæ effigies: Primò arbor antiqua, marcida, & euersa: Secundo loco, expeditus eques, gestans arborẽ, sed truncatam ramis: Tertio, canis venaticus: Quartò, magna & atra crux in densa nube: Quintò, ex ea nube fulmen excuti horribile, cum ingenti fragore, sonituq; terribili, tanquam deferre secum

cum vim flammarum visum est, vt pagum, in quem traiici videbatur, incensurum putaretur, & puella exterrita, magna voce matris imploraret opem, seq; susci pi ac tegi flagitaret.

6. Hoc ostento, vt euentus docuit, significatæ fuerunt mutationes dom9 Saxonicæ, & clades ac calamitates Ecclesiarum.

7. Cum Dæmones sese variis speciebus ostendunt, spectra & φάσματα adpellantur, nonnunquam etiam portenta, si terribilia sint, & adspectu horrida.

8. Monstra propriè illa adpellant Physici, quæ ex animantibus nascuntur, non sui generis specie, sed aliena ac dissimili, nimirum quæ vel diuersarum rerum formis variè consutis, vel natura rei facie distorta, confracta, alioue modo defædata constant, aut mutila sunt, & truncata, aut plurium non necessariarū partium integrorumue corporum adhæsu coalituq; naturæ modum prætergrediuntur. Græcis sunt, πρόσια.

9. Por-

9. Porrò exempla monſtroſorum partuũ, varia in Hiſtoriis leguntur, quarum maximè notabilia hic recitabo.

10. Anno 1496. Romæ in Tyberi inuentum eſt monſtrum, capite & ceruice aſinina, humeris manibuſq;, & pedibus ſquamatis, ad extrema vſq;, dextra manu in Elephantinum pedem, ſiniſtra in humanam ἀκρόχειρα, quinq; diſtinctam digitis, dextro pede in bouis vngulam, ſiniſtro in aduncos Gryphium vngues deſinente, ventre muliebri & mãmis, facie ſenili ad dextrũ clunem, collo Draconis exerto è poſterioribus.

11. Anno 1531. Auguſtæ Vindelicorum mulier peperit primò caput humanum, membranis inuolutum: ſecundò, bipedem ſerpentem, cui lucij caput, corpus ranæ & pedes, cauda lacertæ: Tertiò, porcũ õnibus partibus integrũ.

12. Anno 47. ad oppidum Bitterfeldt, vitulus in agro repertus eſt, oculis, naribus, & auribus humanis, vertice tonſo & miniato, rictu & pectore vitulino, cruribus anterioribus vitulinis, poſte-

posterioribus humanis & breuibus admodum, sed vtrisq; desinentibus, partim in vngulas vitulinas, partim in humanos digitos, qui vngulas superabant, & separatim propendebant.

13. An. 50. captum affirmãt in mari Balthico, non procul ab Haffnia, piscẽ humana facie, capite circumtonso, instar coronæ Monachorũ, corpore squamis cucullæ specie obsitis.

14. An. 40. vidit Hassia editum fœtum, geminis capitibus reflexis in dorsum, quorum sese facies obuersæ inuicem minaci adspexerunt vultu:

15. An. 47. Louanij nati feruntur gemelli, distinctis corporibus, vni adhærentibus capiti.

16. Põtanꝰ testẽ citat, q̃ adfirmârit, allatũ sibi arietẽ exẽteratũ, q̃ põcordia & intestina geminata habuerit, cor vnicũ. Alia exẽpla q̃ plurima refert Peucer. de diuin. in c. vit. vbi agit de Teratoscopia.

17. Cæterùm, remotiores horũ mõstrorũ causas, referunt Physici & Astrologi, ad infaustos ac tetros syderũ concursus

cursus & configurationes, quæ insigniter, vel inchoata à natura corporum lineamenta, peruertunt & deformant, vel alienas rebus affermãt & inducunt species.

18. Propiorum causarum, quanta sit vis ad generandum, præsertim matricis, seminum haustarum sub ipso concepto imaginum, aut pòst cogitatarum, videmus. Hinc mulieres simulachra sæpiusculè statuasq; in delitiis habuisse, similesq; partus enixas, scimus.

19. Nec desunt in eam rem exempla ex bonis auctoribus. Nam Hieronymus in Genesin, Hippocratẽ scriptum reliquisse tradit: suspicione adulterij mulierem liberatam, quæ pulcherrimum infantem pepererat, vtriq; stirpi & paternæ & maternæ dissimilẽ, quòd è regione cubilis, non absimilis effigies depicta esset.

20. Extat item declamatio Quintiliani, qua adulterij accusatam, quòd AEthiopem peperisset, validissime defendit, probato AEthiopis simulachro.

Vul-

21. Vulgata est item Iacobi astutia, Genes. 30. Is virgas varii coloris effictas, in canalibus posuit, vt cum venirēt gregesad bibendum, in aspectu earum conciperent: factumq; est, vt in ipso calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerēt maculosa, varia, & diuerso colore respersa.

22. Item si distincta matrix concepit semina, gemellos illa gignunt & formant, eosdemq; absoluunt, si suppetat materia: Si constituendis duobus integris distinctum semen non sufficiat, vni ex redundante & superflua materia, plura adiungunt membra, aut vni thoraci duplicata adplicant. Hinc partus bimembres, bicipites, ternis quaternisvé manibus & pedibus.

23. Sæpè etiam ex conceptis iam, inchoata seminibus ἔμβρυα, coitu secūdario, aut peruertuntur, aut ruptis involucris, vel dilabuntur ad latera, vel procumbunt, atq; ex mutato situ, distortam aut deformen adipiscuntur speciem.

24. Sæpè ἐν διακυήσει, permixtione aut affluxu nouæ materiæ, turbantur & viciantur ducta à natura, ceu prima fœtuum, lineamenta: aut fit acceſſio in parte aliqua, vel membri cuiuſpiam adnati ac ſuperuacanei, vel naturalis magnitudinis regulam prætergreſſi, quod videlicet in concipiendo fœtu materiæ ipſius plus conſtiterit, quàm quod neceſſarium eſſet parti illi conſtituendæ, vel aliena ſpecie prominentium παραφύσεων. Quales viſæ ſunt παραφύσεις in infante, Anno &c. 50. Friburgi nato, cui præter aſpectum tortuoſum, & quadrilaterum, frontis loco, ſolida & dura eminuit excreſcentia, verticis loco altera.

25. Sed ſeminum in fœtura præcipua vis eſt, quæ ſi maiore ſuperent copia, quàm corporis eſt opus conſtitutioni, atque agens illa & procreans vis, ceu duplicata, præualeat æquabiliter ad vtrumlibet ſexum cõſummandum, ita vt aut prorſus vincat, aut rurſus vincatur, eodem ſexu, aut virili, aut muliebri, gemellos fingit. Si

26. Si e contrario, partim superarit, partim succubuerit, in diuersum res geritur, atque alter mas, fœmina altera gignitur: Quod tamen contingit rarius, ac plærumque parum diu viuunt.

27. Si, vt dixi, perficiendis duobus, deficiat materia, vni tamen redundet, formatur vis διαπλαστικὴ, præter naturæ perscriptum membra plura non necessaria, scilicet ad quorum sedes, superflua detruditur, vel suopte nutu decũbit materia, idonea potentia, ad figuram illarum partium effingendam. Et hoc modo Hermaphroditi & Androgyni generantur, vt dixi supra quæstio. 76. nu. 10. & 11. vbi vide.

28. Quod si ne vni quidem absoluendo, satis adsit materiæ, ab aliqua parte comminuti mutiliq; procreantur fœtus, qui ferè non principalibus destituuntur membris, vt corde, cerebro, & iecinore, sed interim mutilantur.

29. Nonnunquam etiã ex præpostera

& impiissima ac fœdissima libidine ac commixtione monstra nascuntur, quæ cum forma hominum, bruta animantia referunt, quibus & Deus, & ipsa natura offenditur, & ex æquo, mulieri, viro & bruto mors irrogatur, Leuit. 20. c. mulier 15. q. 1.

30. Vltimo loco, quòd prodigia attinet, ea partim in elementis, partim in mixtis corporib. cõspiciuntur. Ex aere, sanguine, lacte, frumento, lapidibus, sulphure, igne, antiquis temporibus sæpè pluisse legimus.

31. Nostra ætate, imbres sanguineos, scintillantes inter pluendum guttas & feruidas, pluuias frumentaceas, inusitatę magnitudinis grandines, ceu arte, figuris hominum expolitas, multæ senserunt gentes. Atratas paludes sanguine fluxisse, Terram in cruentas erupisse scaturigines, Aristas guttatim sanguinem extillasse, statuas & simulacra in templis, copioso sudore diffluxisse, etiam extersa & siccata, historiæ tradunt. Et his annis similia viderunt multi.

Pro

32. Profluxit è terra riuus copiosi sanguinis ad oppidum ditionis Hildesiæ, Bockelheim: Quod oppidum paulò post ab eo exercitu, qui vagatus est in Saxonia, oppugnatum, atque incensum, magna ex parte conflagrauit.

33. Non procul à Mersburgo, magna palus, certis vicibus in cruorem versa, adeò rubuit, vt immersa quæuis tingeret.

34. Manantem ex aristis cruorem Silesia vidit. Sudarunt simulachra Bernburgi, quod oppidum in Ascanienſi situm est principatu.

35. Vetera exempla variorum prodigiorũ recenſentur in Iulii Obſequentis annotatis, quò remisisse suffecerit. Et fusissimè tota hac de re videatur Peucerus in lib. de diuinat. c. vlt. de Teratoscopia.

36. His ita euidentioris intellectus gratia præmissis, Paulus ICtus in l. non sunt liberi 14. de stat. homin. quæ extat lib. 4. senten. tit. 9. §. 3. docet, mulieri, si monstrosum aliquid aut prodigiosum

enixa fuerit, nihil proficere, quod non sint liberi, qui contra formam humani generis, conuerso more procreentur.

37. Contrà Vlpianus in l. quæret. 135. de verbor. sign. prodigiosum vel monstrosum partum, matri prodesse, ait, in hunc modum: quæret aliquis, si portentosum vel monstrosum, vel debilem, mulier ediderit, vel qualem visu vel vagitu nouum, non humanæ figuræ, sed alterius magis animalis, quam hominis partum, an quia enixa est, prodesse ei debeat? Et magis est, vt hæc quoque parentibus prosint. Subijcit rationē Vlpianus: Nec enim est, quòd eis imputetur, quæ qualiter potuerūt, statutis obtemperauerunt: Neque id quod fataliter accessit, matri damnum iniungere debet.

38. Ait ICtus, fataliter, vt ostendat, Dei Opt. Max permissione & voluntate id accidisse, non etiam dedita opera, coeundo fortassis cum bruto, vel alio modo, hunc partum causando.

39. Quid igitur hic respondebimus? Dice-

Dicemus cum Cuiacio, ad d. §. 3. tit. 9. sent. Pauli, d. l. 14. loqui in SCto Tertulliano, contrariam verò l. 135. loqui in lege Papia. Igitur in SCto Tertulliano, monstrosus & prodigiosus partus matri non prodest. In l. verò Papia, prodest. Diuersitatis ratio aliqua reddi potest. Odiosa enim est lex Papia, quę orbas eorum, quæ in testamentis relinquũtur, semisse mulctat, auctore Nicephoro lib. 7. cap. 47. Et ideò Ambrosius in Lucæ c. 3. erat, inquit, deforme, liberos non habere, quod etiam legum ciuilium fuit auctoritate mulctatum. In SCto igitur Tertulliano de lucro certatur, in lege Papia de damno. Plus autem fauendum est his, qui de damno vitando, quàm de lucro captando, certant, l. vltim. §. sin verò creditores, C. de iur. delib. Postea tamen hac in parte SCto Tertulliano derogatum, per l. 2. C. de iur. liber. Cuius quoq; meminit Imperator in §. sed nos, institut. de Senatusconsulto Tertulliano.

40 Huc quoq; pertinet & illud, quod occidens monstrum, formam hominis non habens, sed potius formam animalis, eò quod non præsumatur habere animam, non puniatur lege Cornelia de Sicariis: aliter dicendum esset, si faciem hominis haberet, vt Bald. Aret. & Imola docent, in l. quod dicitur, de liber. & posth.

41. Prodigiosi quoq; partus, formã hominis non habentes, testamentum non rumpunt, si prætereantur à patre, l. quod certatum, C. de posthum. hæredi. instit. Secus si formam hominis habeant, licet nati sint gibbosi, vel debiles, l. inter cætera, de liber. & posth.

42. Dicitur autem partus prodigiosus formam hominis non habere tunc, quando magis refert brutum quàm hominem, & magis opera animalis facit, quàm hominis, vt si mugiat, tanquam bos, vel comedat herbas, pascendo instar animalium, nec faciem hominis, sed animalis habeat.

43. Monstrosi quoque partus, instar alio-

aliorum liberorum, à parentibus sunt alendi, l. si quis à liberis. de liber. agnos. quia non est imputandum eis, quod monstrosi sunt, l. maximum vicium, C. de liber. præter. Nec est culpa eius, qui nascitur, vt in simili de naturalibus scribit textus, in c. nasci 56. dist.

41. Et denique monstrum, figuram hominis habens, baptizari potest, Cardin. in Clem. vnic. §. ad hoc, de sum. trinitat.

45. Cæterùm, quibus ampliata sunt tantùm officia membrorum, vt si quis sex aut plures digitos habeat, siue in manibus siue in pedibus, l. idem Ofilius ait 10. §. sed si quis 2. de ædil. edict. quia alicuius effectus videntur, & pro liberis habentur, matri prodesse placuit, d. l. non sunt liberi 14. de stat. hom. Paul. d. lib. 4. sent. tit. 9. §. 4.

QVÆSTIO LXXXII.

Quibus hodie modis liberorum emancipatio fieri possit?

I.

EMancipatio (quæ nihil aliud est, quam patriæ potestatis per actum iuris solẽnem, dissolutio) solennibus olim venditionibus & manumissionibus expediebatur, vt ab Vlpiano in frag. tit. 10. in princ. & tit. 19. §. 2. 3. & 4. & à Caio lib. 1. tit. 6. §. 4. & à Theophilo, ad §. præterea, instit. quib. mod. ius. patr. potestat. soluit: plenius traditur: Quibus hodie antiquatis, nuda apud Magistratum contestatio sufficit, l. fin. C. de emancip. liber.

2. In Gallia, ex consuetudine quorundam locorum, filius ducens vxorẽ, habetur pro emancipato & sui iuris, in omnibus acquisitionibus, vt & apud Bituriges. Idem quoq; receptum est, consuetudine Senensi, Blerensi, & Burgundiæ, vt traditum est à P. Gregor. in Syntag. part. 2. lib. 11. cap. 10. numero 10.

3. Iure quoq; Saxonico, per nuptias, aut domicilii mensæq; separationem,

aut

aut diuisionem, vt quibusdam placet, emancipatio fieri solet: licet textus Landr. lib. 2. tit. 19. solennitatem iudicialē requirat, dum inquit: Der Vater mag den Sohn wol von jm sondern / mit seinem Gutt / vor Gericht das der Sohn annemen will / wie wenig oder klein es sey. Idq; verius videtur, vt scilicet separatio tantum iudicialis, qua pater filium sui iuris esse iubet, & a se seiungit, emancipationem inducat, non etiam extraiudicialis.

4. Tamen iure ciuili, quod quidem ad locum attinet, non requiritur, vt in iudicio fiat, sed potest quocunq; loco emancipatio coràm iudice fieri, d. §. præterea, instit. quib. mod. ius patr. potest. sol. l. emancipari 36. in princ. de adopt. & emancipat ita, vt scriptura tamen, seu actorum interpositio publica, interuenire debeat, l. emancipatione 11. vbi DD. C. de fid. instrument. c. quoniam contra, de fid. instrumen. l. 3. C. de emancipat. VVesenbec. d. tit. de adopt. num. 6.

Tacitè

5. Tacitè quoq; præsumitur emancipatus filius, si pater eum diu passus sit res suas, vt patrem familias, gerere l. 1. C. de emancipat. Et Paulus ICtus, verbum diu, decennium interpretatur, ad præscribendam libertatem sufficiens tempus, quando manumissio à non habente potestatem facta fuit, l. si cum fideicommissa libertas 16. §. Aristo respondit 3. qui & à quib. manu. lib. non fiant. Sine manumissione autem, Diocletianus & Maximianus, bonæ fidei possessionem pro libertate 20. annorum præscribunt, l. 2. C. de long. temp. præscript. quæ pro libert. non contra libert. opponit. Et ita hodie seruari, tradunt Andr. Barbatia, in l sciendum, col. 26. in fin. vers. & adduco, de verbor. obligat & Bald. in l. post mortem 25. de adopt. & emancipat. scilicet filiumfamilias, qui per 20. annos seorsim à patre habitauerit, negociando vt emancipatus, pro emancipato haberi.

6. Meminit & Constantinus Harmenopulus lib. 1. epit. tit. 17. §. qui vult filium

filium, quem in potestate habet, emancipare &c. Nouellæ cuiusdam constitutionis Cæsaris Leonis, quæ est in ordine 25. vbi in fine disponitur, filiū haberi pro tacitè emancipato, qui non contradicente patre, sibi certum & stabile viuendi genus delegit, cui res suas prudenter & studiosè gerenti, pater minimè aduersatus est, sed per se viuere eum permiserit, quamuis necdum ad eam peruenerit ætatem, qua matrimonium contrahere potuerit. Quia ex diuturnitate temporis, omnia præsumuntur solenniter acta, omniaque necessaria solennitate supplentur, argum. l. qui in aliena §. sed si non, de acquir. hæred. l. cum de in rem verso, de vsur. l. hoc iure, §. ductus aquæ, de aq. quot. & æst. l. 1. §. deniq;, de aqu. plu. arc. l. sciendum, de verb. sign.

7. Et ideò non obstat rescriptum Diocletiani & Maximiani, l. non nudo 3. C. de emancip. quo deciditur, non nudo consensu, patria potestate, liberos, sed solenni actu, liberari: Nam hoc silentio

silentio paterno neque nudus consensus, sed solennis præsumitur.

8. Sanè si filius Burdegalæ per annum seorsim à patre habitauerit, patria potestate liberatur: quemadmodum & in Burgundia filius à patre seorsim habitans, pro emancipato habetur. P. Gregor. in Syntag. part. 2. lib. 11. c. 10. nu. 10. & 11.

QVÆSTIO LXXXII.

Quomodo sacrilegium Iure ciuili, quomodo item Iure Pontificio definitur?

I.

SAcrilegium aliter Iure ciuili, aliter Iure Pontificio definitur. Nam iure ciuili sacrilegium est furtum rei sacræ, ex loco sacro factum, l. sacrilegi. 9. §. 1. ad l. Iul. peculat. Iulius Clarus lib. 5. receptar. sentent. §. sacrilegium, in prin. vbi hanc definitionem communiter à DD. approbari ostendit.

Igitur

2. Igitur, secundum Ius ciuile, vt sacrilegium committi dicatur, duo copulatiuè requiruntur. Primò, vt res sacra furto sit subtracta: Secundò, vt de loco sacro sit sublata. vnde si res sacra, è loco profano sit sublata, aut econuerso, res profana è loco sacro, iure ciuili sacrilegium non erit, sed simplex furtum, l. Diui 5. d. t. ad l. Iuliam peculat. Iul. Cla. d. mod. loc. vbi proponit exemplum de quodam Gerhardo de Cœpa, quem ait ob furtum calicis sacri, ex loco profano, condemnatũ fuisse à senatu Hispanico, pœna pecuniaria, in fures statuta, 28. Iulii An. &c. 57.

3. Cæterùm, secundum Ius Pontificium, sacrilegium est furtum, vel rei sacræ, vel ex loco sacro factum, & ita alterutrum sufficit, vel rem sacram esse ablatam, quamuis è loco profano: vel ex loco sacro, quamuis rem profanam, c. si quis contumax §. sacrilegium ergò, vers. vel non sacrum, c. quisquis §. similiter sacrilegium, & §. fi. 17. q. 4. Iul. Cla. d. §. sacrilegium, in fine principii.

Pona-

4 Ponamus nunc statuto imponi pœnam sacrilegio, dubitatur, num sacrilegium sit definiendum secundum ius Canonicum, an verò secundum ius ciuile: Et quidem Iulius Clarus in d. §. Sacrilegium §. fin. ita distinguendum putat, & considerandum, vtrum de pœna sacrilegio, à Laicis, an verò ab Ecclesiasticis imposita agatur: vt priori quidem casu, Iuris ciuilis, in posteriori autem casu, Iuris Pontificii definitio sit sequenda.

5. Porrò constitutio Carolina publicorum iudiciorum, h.e. **In der Peinlichen Halßgerichts Ordnung / art. 171.** expressè & indistinctè Iuris Pontificii definitionem sequitur, dum sacrilegium dicit, furtum grauius & atrocius, illudq; diuidit in tres species, videlicet in furtum rei sacræ è loco sacro factũ, in furtum rei sacræ è loco priuato factum, & in furtum rei priuatæ, è loco sacro factum, his verbis: **Stelen von geweiheten dingen / oder Stätten / ist schwerer den andere Diebstäle / vnd geschicht in**

dreyerley

dreierley weise. Zum ersten/ wen einer etwas heiligs oder geweihets stilt an geweiheten stätten. Zum andern/ wen einer etwas geweihets an vngeweiheten stätten stilt. Zum dritten / wen einer vngeweihet ding / an geweiheten stätten stilt.

6. Quæ autem sit pœna sacrilegii iure communi, consuetudinario, siue statutario, & quomodo ea, secundum qualitatem rerum, personarum, temporis, & sexus, temperanda sit, eleganter docet Iulius Clar. in d. §. Sacrilegium, vers. sed quæro, quæ sit pœna sacrilegii, Carolus 5. in der Peinlichen Halßgerichts ordnung art. 172. 173. 174. vbi vide, cum huiꝰ loci non sit, plenius ea hic pertractare.

QVÆSTIO LXXXIV.

Num animal brutum & irrationale delinquens, puta hominem interficiendo, coitum humanum admittendo, vel simile quid committendo, pœna mortis adfici debeat?

I.

ET primò quidem pro sententia negatiua militat hoc fundamentum, quòd scilicet delicta, quæ sine animo atq; culpa committuntur, puniri non debeant, vt eleganter notat Accursius in l. respiciendum §. delinquunt, de pœn. Cum itaq; in Brutis ipsis, neq; animus neq; culpa considerari possit l. 1. §. ait 3. si quadr. paup. fecis. dic. mirum videri non debet, si in ea animaduertere prohibitum sit.

2. Et hanc sententiam de iure veriorem, & communem, dicit Iul. Clar. lib. 5. recept. sent. §. fi. q. 99. nu. & 8. allegat. ad hoc Sapiam in l. imperium 3. nu. 6. de iurisd.

3. Verùm de consuetudine, in multis locis seruari contrarium idem testatur. Et in specie Guido Papæ decis. 238. atteſtatur, se vidisse in Burgundia quendam porcum suspensum in patibulo, quòd puerum occidisset.

4. Et hæc consuetudo fundata est in l. Diui-

Diuina Exod. 21. vbi Deus iubet, vt si bos cornupeta occiderit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruatur, nec comedantur carnes eius.

5. Scribit tamen Iulius Clarus in præallegato loco, hanc sibi consuetudinem nunquam placuisse, neq; vnquã se eam in praxi obseruatam vidisse, nisi eo casu, quo homo cum bruto animali carnaliter commiscuisset, tunc enim propter detestationem criminis (dicitur enim talis coitus fieri contra naturam humani generis, c. hoc ipsum §. 1. 33. q. 2.) & abolendam facti memoriam, & terrorem aliorum, brutum illud, cum homine vel suspendendum, vel comburendum esse.

6. Et in hoc casu ita etiam cautum fuit in lege diuina, Leuit. 20. vbi in hæc verba scriptum est: Qui cum iumento & pecore coierit, morte moriatur, pecq; quoq; occidatur. Mulier, quæ succubuerit cuilibet iumento, simul interficietur cũ eo, sanguis eorũ sit super eos. Quod reperitur in c. reos. 23. q. 5. &. c. mulier 15. q. 1.

7. Et ita fuit in facti contingentia ad mortē damnatus per Senatum Burdegalensem quidam, qui nixum fecerat cocundi cum bruto animali, licet impeditus, opus non consummasset, vt refert Boër. decis. 316. à princ. vsque ad num. 5. exclusiuè.

8. Et per nixum intelligimus summum & extremum conatum, summam opem, ita vt per delinquentem non steterit, quo minus ad actum proximum & immediatū peruenerit, Boër. decis. 316. num. 1.

9. Et licet aliàs de iure & consuetudine generali, conatus non puniatur, nisi sequatur effectus. Boër. d. num. 1. & 2 tamen fallit hoc in crimine Sodomiæ atrocissimo & inhumanissimo, Boer. d. nu. 2 Nam in eo & aliis similibus atrocissimis & nefandissimis actibus, voluntas, & non exitus, consideratur. Boer. d. decis. 316. num. 4.

10. Idq; tunc procedit, si ad aliquem actum ordinarium, & propinquum ad factum, processum fuerit: Nam aliàs

solus

solus tractatus, & sola ordinatio, non punitur, etiam in atrociſſimis, Boer.d. num.4. Idque in terminis probari videtur d.c.mulier.15.q.1.vbi dicitur, mulierem, quæ acceſſerit ad omne pecus, & vult aſcendi ab eo, interficietis, & pecus morte moriatur. Dum dicit textus, & vult aſcendi ab eo, innuit, nudum conatum actui proximum, licet conſummatio, ſeu ſeminis eiaculatio nondum acceſſerit, ſufficere, Boer.d.num.4 cum multis aliis, pro confirmanda hac ſententia ibi per eum adductis.

11. Atque ita, vt ad propoſitum reuertamur iure conſuetudinis, in nefandiſſimo hoc ſcelere, bruta etiam animalia vnà cum hominibus puniuntur. Quemadmodum huius rei exempla quædam adducit Boer.d.deciſ.316.poſt nu.6.in quibus dicit, viros, prius ſtrangulatis animalibus, combuſtos fuiſſe.

12. Et in ſimili caſu conſuluit Rolan. à Valle vol.1.conſ.7. in cauſa videlicet Antonini Brunelli, qui cum imputatus fuiſſet de coitu aſinæ, ex ſolius mulier-

culæ Agnesinæ depositione, quæ deposuerat, se Antoninum vidisse coëuntem cum asina, atq; ita de actu proximo, & immediato, verùm cum vnica erat testis, nec omni exceptione maior, sed multis nominibus reprobanda: ideo Rolandus consuluit pro Antonino, eumq; & à tortura, & à carcere liberandum censuit, sicuti etiam postea eum absolutum & liberatum scribit, prorsus in fine d. cons. 7.

Et hæc pœna confirmata est à Carolo 5. in der Peinlichen Halßgerichts Ordnung art. 116. his verbis: So ein Mensch mit einem Viehe vnkeuscheit treiben/die haben das leben vorwirckt/vnnd man sol sie der gemeinen gewonheit nach/mit dem Fewr vom leben zum Tode richten.

13. Et licet bruti animalis in sententia expressa mentio non fiat, tamen iudices & potestates, plerumq; etiam bruta, ex notissima Germaniæ consuetudine, vnà comburere solent.

14. Non

14. Non est etiam hoc loco prætermittenda consuetudo, quæ viget in nonnullis regionibus, procedendi etiam contra locustas, mures, limaces, & huiusmodi animalia, fructibus terræ damnum inferentia. Qua de re in facti contingentia consultus Chassanæus consil. 1. valere huiusmodi processum & anathematizationem respondit, afferens nonnulla exempla, præsertim nu. 124. & seq. Quod tamen nunquam apud se vidisse, aut in practica seruatum, atteſtatur Iul. Clar. d. lib. 5. §. fin. num. 8. in fine.

15. Sed & in inanimata nonnunquã pœna exerceri solita fuit. Refert enim Suidas, moris fuisse antiquis, in Prytaneo Athenis, telum, lapidem, & similia in conspectu poni, ignoto auctore cædis, & res inanimatas etiam in iudiciũ adducere, vt iudicarent, an exterminãdæ essent. Suidas in verb. δίκη πρυτανείῳ.

16. Hinc Demosthenes in orat. contra Aristocratem, non, inquit, homines nodo, sed etiam animantes, atq; etiam

inanimata, atq; cædes ab inanimatis factæ, in Prytaneo iudicabantur.

17. Scribit & rursum Suidas, Niconis Thasij, pugilis cuiusdam statuam, lege Draconis, apud Thasios, coram iudicibus ream actam, ab hæredibus cuiusdam æmuli Niconis ab statua oppressi, cum illa ab eo cæsa, casu eum oppressisset, tandemque à iudicibus necis damnatam, in mare demersam fuisse. Hanc tamen non Niconis, sed Diomedis athletæ statuam fuisse, tradit Eusebius lib. 3. de præparat. Euang. in cæteris cum Suida consentit. Refert P. G. in Syntag. part. 3. lib. 36. c. 15 nu. 9.

18. Et Muscornus, in tract. de iurisdict. mih. pag. 37. in Historiis Atheniensium scriptum reperiri, ait, sacerdotem quendam occisum fuisse, cumque lateret, quis eum interfecisset, gladium, quo ipse occisus est, penes eum repertum, in mare, veluti in pœnam, deiectum fuisse.

QVAE-

QVAESTIO LXXXV.

Num merum imperium, in corpus mortuum exerceri possit, siue num cadauer hominis mortui, pœna adfici possit?

I.

ET secundum Accursij glossema in l. 3. de Iurisdict. negatiuè respondetur. Et Accursio adstipulantur etiam l. defuncto, de public. iudic. l. 2. C. si reus vel accusat. mort. fuer. quib. in locis dicitur: crimina omnia morte extingui omninò debere. Et hanc communem esse conclusionẽ, post Hieronymum Cagnol. in l. pupillum qui §. in hæredes, nu. 4. vers. & prædicta, de reg. iur. attestatur Iul. Clar. lib. 5. recept. sentent. §. fin. q. 51. num. 12. Iohannes Baptista Nicolai in tract. de vtriusq; iur. reg. in verb. siue regula, delictum soluitur morte delinquentis, in princ. vbi multas auctoritates pro confirmanda hac sententia adducit.

2. Hinc est, quòd cadauer vel corpus mortuum, quo ad pœnam corporalem, ob vsuras, sequestrari non possit, Nicol. Boer. decis. 287. n. 2. Fran. Ripa in tract. de peste c. de remed. præseruat. contra pestem n. 101. Didac. Couar. lib. 2. var. resolut. c. 1. nu. 10.

3. Non potest quoq; corpus mortuũ impediri, ne sepeliatur, etiam ex debito guarentigiato, cui parata est executio, Abbas Panor. in c. ex parte la. 1. de sepult. Felin. in c. sicut, eod. Marsil. sing. 199. Grammaticus decis. 82. imò si creditor vexat debitorem moribundum, ius suum amittit, Authent. item, Authent. sed neq; C. de sepulch. violat.

4. Item cadauer vel corpus mortuum suspendi aut comburi non potest, Bossius in pract. criminali, Tit. de execut. num. 18.

5. Vnde factum est, vt sententia, quæ aduersus aliquem data fuerit, si tempore eiusdem sententiæ mortuus ipse sit, valere non dicatur, vt elegan-

ter

ter tradit Ang. in l. 2. C. qui testamentum fac. posſ. vbi vehementer Iudices maleficiorum reprehendit, qui defunctorum corpora ſuſpendi permittunt. Quod ipſum quoque firmat Bald. in l. vnic. num. 11. Cod. ex delict. defunct. Alex. in d.l. 2. num. 3. Iaſ. num. 2. Decius num. 8. & alij complures, quos refert Iacob. Menoch. de arbitr. iudic. quæſt. caſ. 285. num. 1. & 2. & Ioh. Corraſ. in Arreſto Tholoſano, annotat. 94. ant. fin.

6. Vnde fit, vt nobiles nonnunquam curent, ſibi ſanguine coniunctos, in carcere, veneno eis dato, necari, vt euitent pœnam ignominioſam & turpem, eis in foro, & publicè inferendam. Cuius rei memorabile exemplum Venetianum refert Iacob. Menoch. d. c. 285. nu. 6. quod videto. Qui tamen ibidem n. 5. ex Baldo, Marſilienſi, & aliis ibi allegatis, refert, illos affines ob violatum carcerem, eâdem pœna eſſe puniẽdos.

7. Verùm cum huiuſmodi eueniunt caſus, poteſt Iudex iuſtis de cauſis ex ſuo

ex suo arbitrio iubere, hos ita vita functos, vel laqueo suspendi, cremari, discerpi, dilaniari, vel aliis ignominiis affici, vt docuerunt illi, quos recenset Iacob. Menoch d. cas. 285 num 7. Idq; vsu & praxi receptum multis in locis aliquot exemplis testatur Iulius Clarus d. quæst. 51. num. 15. Iohan. Corras. d. Arresto Thol. annotat. 94. circ. fin. Sed operæ precium me facturum existimo, si huius arbitrij causas principaliores recensuero.

8. Prima itaque causa ea esse potest, vt hac ratione coherceatur audacia eorum, qui magis decus, quàm vitam faciunt, atque ducunt. Cuius rei duo memorabilia exempla refert Iacob. Menoch. d c 285 num. 8. & 9. vnum ex Plinio lib. 36. natur. hist. c. 15 de Tarquinio Prisco: alterum ex Plutarcho, de claris mulieribus c. 10. & Gellio lib. 15. noct. Attic. c. 10. quæ ibi videantur.

9. Secundò, ob publicam quoq; vtilitatem, in mortuos aliquid moliri licet, & corpora damnatorum per frusta

secari

secari possunt, cum videlicet suspensi vel submersi, Scholasticis atq; Studiosis artis Medicæ, ad sectionem vel Anatomiam conceduntur, vt scilicet hac ratione, Medici, pro conseruandis corporibus nostr is, fiant peritiores. Et extra controuersiam est, perfectam Medicinæ cognitionem, non magis absque Anatomicis dissectionibus comparari posse, quàm veram aliquam alterius artis scientiam, absq; ipsiusmet proprij & genuini subiecti notione. Et quæ vtilitatis publicæ causa fiunt, etsi in contumeliam alterius cedant, non sunt redarguenda, nec pro iniuria reputari possunt, l. quod reipublicæ, de iniur. Et huius vtilitatis argumento scitè tradit Bart in l. fi. §. vlt. de pig act & Bald. in l. fi. C. de execut. rei iudic. vt si Carnifex non reperiatur, vilis quidam homo cõditionis cogi possit, vt carnificis officio fungatur. Et licet Bart. in l fin. de cadauer. punit. de hoc casu nostro dubitauerit, propterea quòd corpora damnatorum frustratim dilaniari temerè

non

non debeant, quodq; hic terminus, de lure, expresse diffinitus non sit, tamen practica & consuetudo, sectiones istas comprobauit, vt ego plenius hac de re dixi, sup. quæst. 8. quò lectorem remitto. Et hasce duas causas hactenus relatas, annotauit Iacobus Menochius d. cas. 285. num. 7. cum seqq. vsque ad fin. quibus addi possint & sequentes.

10. Tertia causa est, quod merum imperium in mortuum exerceri potest, nec delictum morte extinguitur, quando reus delinquens conscientia perpetrati sceleris se interfecit, postquam iam erat accusatus, vel inquisitus de crimine, vel in eo deprehensus, tunc enim cadauer eius suspendi, comburi, vel aliter, pro ratione delicti & arbitrio iudicis, puniri poterit. Quo casu, iudicis erit, diligenter delictum commissum considerare. Quod si atrocitatem quandam habere videretur, haud dubie, mortuum punire posset, Idque eò magis faciendum esset, si aliquo modo adpa-

adparêret, eum id fraudulenter feciſſe. Vnde ne fraus ipſi proſit, & vt cæteri ab eiuſcemodi delictis deterreantur, hoc caſu pœna, quæ viuo debebatur, mortuo etiam infligi poterit. Et hæc omnia, eleganter reperio tetigiſſe Baldum in l. 2. C. qui teſtamentum fac. poſſ. Quem ſequitur Iacob. Menoch. de arbitr. iudic. quæſt. cal. 284. num. 14. in fine.

11. Atque ita hic, in caſu furis, ob furtum ſuſpecti, non tamen conuicti, aliquando hunc in modum pronunciatum memini. Als jhr vns zwey vnterſchiedliche berichte wegen eigenthetlicher entleibung N. N. vermutlichen / doch noch nicht genugſamb bey leben vberzeugten Pferddiebes / zugefertigt / vnnd euch des Rechten darüber zuberichten gebeten / demnach erkennen vnd ſprechen wir Dechand / etc. darauff vor Recht / dz des entleibten Cörper / nach dem er für das offentliche Peinliche Halßgerichte fürgeſtellet / zum Galgen geführet / vnd daſelbſt vorſcharret werden müge / V. R. W.

12. Sed

12. Sed & talis de scelere imputato conuictus bonis priuari poterit. quæ fisco cedunt. Ita respondit Marcianus in l. 3. de bon. eor. qui mort. sibi consc. Quoloci in §. idem rescripsit ita, demum id procedere intellexit, cum hic eo crimine innexus fuerit, quo, si conuinceretur, bonis careret. Menoch. d. num 14.

13. Efficitur etiam talis intestabilis. Nam conditum ab eo testamentum, irritatur l. si quis filio §. eius, de iniust. & irrit. testamento, d. l. 2. C. qui testamentum fac. pos. vbi las. num. 1. Dec. num. 2. & cæteri omnes. Iacob. Menoch. d. num. 14.

14. Quarta causa, ex qua merum imperium in mortuum exerceri potest, conspicitur in pœnis, quæ sepulturam denegare dicuntur l. 2 de cadauer. punit. vbi Marcellus sic scribit: si quis in insulam deportatus, vel relegatus fuerit, pœna etiam post mortem manet, neq; licet eum inde transferre alicubi. Ex quibus verbis eleganter colligit ibi

Bart.

Bart. eum, qui in ciuitate, dum vita fruitur, morari non potest, neq; etiam post mortem, vt sepultura honoretur, ad eam reduci posse.

15. Ex his itaque illud perspicuum est, crimina, ob quæ humatio prohibetur, nullo vnquam tempore extingui necesse esse. Cuius quidem rei ea ratio esse potest, quam præclare adfert Baldus in l. vnic. C. ex delict. defunct. in quant. hæred. conuen. in qua ait: nulla alia de ratione constitutum esse, vt pœnæ, quibus animata corpora afficiuntur, morte ipsa finiantur, nisi, quia pœnæ sunt sensus. Cum itaq; corpora mortua non sentiant, iure factum videtur esse, vt pœnæ post mortem ipsam extingui dicantur. Quæ quidem ratio cum cesset in iis pœnis, quæ humationem ipsam omninò tollunt, propterea quòd sepulturæ priuatio corpus sine animo solum existens, respicere videtur, sequi necesse est, vt pœnæ istæ post mortem etiam manere dicantur. Hæc

ita notauit Hier. Muscor. in tract. suo de Iurisdict. mih. num. 50.

16. Quinta causa, qua merum imperium in mortuum exerceri potest, est in latrone famoso, & viarum obsessore. Eius enim corpus licitè dari potest feris atq; volucribus, post mortem dilaniandum, vt voluit Accurs. in l. 1. arbor. furt. cæsar. idq; nititur probare ex l. capitalium §. fi. de pœn. quæ tamen illud non probat. Nam in illo §. nihil aliud dicitur, nisi latrones famosos, ijsdem in locis, quibus grassati sunt, suspendi oportere, quod intelligendum est, ipsis adhuc viuentibus, Hieron. Muscor. in tract. suo de Iurisdict. mih. nu. 54. Est tamen hæc causa communi omnium consensu approbata, vt idem Muscor. notauit d. modò loco.

17. Idq; ideò magis in delictis hisce atrocioribus admittendum est, cum interest Reipublicæ, cæsorum corpora vel cremari, vel discerpi & dilaniari, vel aliter puniri, vt perditorum hominum infausta memoria prorsus deleatur §. interdum

terdum,& ibi Accurs. Instit. de hæredit. quæ ab intest. defer. & qui tantum nefas animo concipere aut designare auderent, talium suppliciorum spectaculo arcerentur: Corras. in Arrest. Tholos. Annot. 94. per l. 1. C. ad l. Iul. repetund. c. quapropter 2. q. 7.

18. Et quoniã criminũ genera, q̃ pro sui magnitudine tali fœditate digna sint, recensere non est facile, id iudicis arbitrio relinquendum est l. 1. §. 1. de effract. Qui si expedire iudicabit, vt in mortui corpus exempla etiam edantur, iure poterit facere, Bald. Ias. & Dec. in l. 2. C. qui testamentum fac. poss. Idq; vel maximè, cum hodie iudices de criminibus non nisi extraordinariè cognoscunt l. hodie, de pœn.

19. Quæ cum ita sint, non est, quod cuiquam tàm à ratione videatur alienũ. homini iam mortuo pœnam irrogari. Corras. d. annot. 94. per l. 2. de cadauer. punit. Accurs. in d. §. interdum.

20. Quò illud etiã pertinet, q̃ legib9 interdũ edicitur, in detestationẽ nefandi

fandi cõcubitq, & beluinæ Sodomiæ, vt beſtiæ quoq; ſæua morte puniantur, Exod. c. 22. Leuit. 20. c. mulier 15. q. 1. c. reos §. 1. 23. q. 5. Qua de re ſup. in quæſt. proximè præcedente, fuſius dictum fuit.

21. Quin & Canonicæ ſanctiones (quæ tamen in pœnarum genere iure ciuili ſunt mitiores) iubent, vt ſi Monachus, qui voto paupertatis ſe omnium rerum poſſeſſione abdicauit, poſt mortem reperiatur aliquid ſuum poſſediſſe, eius cadauer è ſepulchro effoſſum, in ſterquilinium proiiciatur, vel in latrinam deturbetur, Iohan. Corraſ. d. annotat. 94. in fine, per c. cum ad monaſterium §. 1. de ſtat. Monach.

QVAESTIO LXXXVI.

Num membri alicuius abſciſſio, meri ſit Imperij, & quorum membrorum mutilatio permiſſa ſit vel non ſit?

I.

ET quidem quod membri abſciſſio ſit pars meri imperij, docet Accurſij gloſſema, cõmuni-

muniter approbatum, dum ait, merum Imperiũ esse animaduersionem in corpus animatum, siue totum siue partem, Accurs. in l. 3. de Iurisdict. Idem Accurs. in l. 2. C. de offic. eius qui vic. alt. obt. & l. 1. verb. possit, de offic. eius cui mand. est Iurisdict.

2. Abscissio capitis, vt præcipuæ & nobilioris partis hominis, semper lethalis & mortifera est, propter neruorum paria, & iugationes, quæ ex capite in corpus hominis vniuersum diffunduntur, & propter sedem animæ præcipuam, quæ in eo est.

3. Eaque pœna, & in Iure Diuino & humano vsitatissima est, quam nonnunquam, aliorum quoq; membrorum amputatio præcedit, vt capitis pœna durior sit & acerbior. Cuius rei exemplũ extat in supplicio Idoli Dagon. In cuius templum cum Philistini arcam Dei, à populo Dei ereptam, deposuissent, inuentus est Dagon iacens super faciẽ suam in terra, abscissis capite, & duabus palmis super limẽ 1. Reg. 5. Ioseph. lib. 6.

antiquit. Iudaic. Sic Iudas Maccabæ9, Princeps Iudæorum, victoria potitus ope Dei, aduersus blasphemum Nicanorẽ, præcepit caput Nicanoris & eius manum cum humero abscindi, & Hierosolymam deferri, vbi suspẽdit caput in summa arce, & linguam blasphemam eius præcisam, iussit particulatim auibus dari, manum autem contra templum suspendi, 2. Macc. 15. Iure etiam ciuili capitis amputatio frequens, vt in multis disciplinæ militaris exemplis videre est in l. 3. per tot. de re milit.

4. Sunt & aliorum membrorũ amputationes, quæ tamen vitam non adimunt, & Iure Diuino & humano vsitatissimæ, quæ plærumq; ratione talionis irrogantur, hoc est, vt ea quis corporis parte puniatur, qua deliquit, vt ita imponatur pœna membris, quibus delictum, vt instrumentis, perpetratũ fuit.

5. Sic manus Ieroboamo, q̃ extenderat, iubendo virũ & prophetã Dei capi, exaruit, Dei vindicta, donec oratione Prophetæ sanitati restitueretur 3. Reg. 13. Ma-

13. manus Nicanori, qua bellauerat iniustè in Iudæos, ãputata: & lingua, qua blasphemias in Deũ ꝓtulerat, cõscissa, votatilibꝰ cœli exposita fuit. 2. Marc. 15.

6. Zacharias, qui lingua dubitare se ostenderat de pollicitis Dei, lingua obmutuit in præfinitum vsq; natiuitatis D. Iohannis Baptistæ tempus, Luc. 1.

7. Et extat lex in Deuteronomio c. 25. in hæc verba: si habuerint inter se iurgium viri duo, & vnus contra alium iurgari cœperit, volensq; vxor eruere virum suum de manu fortioris, miserit manum, & apprehẽderit verenda eius, abscindes manum illius, nec flectêris super eam vlla misericordia. Qua in lege amputatur manus mulieri apprehẽdenti verenda concertantis cũ marito.

8. Et in Nouella 42. c. 1. §. pen. scriptori librorum hæreticorum, siue eos scribat ad pulchritudinem, siue ad velocitatem, manus amputari iubetur.

9. Sic Iure Insubrum, eandẽ pœnam sustinẽt, qui contractũ falsum feudi seu prædij clientelarij præscripserunt lib. 2.

Feud.t.55. De prohibit. feud. alienat. per Frider.post princ. vers.scriba verò: Item qui contra statutum pacis, aliquẽ vulneràuerint lib.2.Feud. t. 27. de pac. tenend.& eius violat. in princ. vers. si quis alium.

10. Et exactori publico, non ex legis præscripto,apocham conficienti,& res susceptas, ex fide non describenti, manus amputandæ ius præsidibus provinciarum dat Iustinianus, in Nouella 17.c.8.

11. Sergius quoq; Galba Imperator numulario,non ex fide versanti pecuniam, manus amputari iussit, mensæq; eius adfigi. Sueton. in Galba c. 9.

12. Sic fallario incisos digitorum neruos, Alexandri decreto, Lampridius in Alex. Claudii decreto,præcisas manus, Sueton. scribit in Claudio.

13. Fabius Maximus, Claudius Flaccus,& Cæsar, transfugis, dextras præcidere solebant, quasi fidem dextra promissam, rupissent, Frontinus lib. 4. στρατηγικ. Val.Max.lib.2.c.2.Appianus in An-

in Annibale. Hircius 8. comment. Cæs. Petrus Fab. 1. Semestr. c. 18.

14. Sed & seruis fugientibus ad barbaros, hoc est, hostes, pes amputabatur l. 3. C. de ser. fugit.

15. Sic ex Nouella consti. Elect. Sax. part. 4 const. vlt. si relegatus sciens, contra præstitum iuramentum reuertatur, cum amissione duorum priorum digitorum. cum quibus iurauit, iterùm relegandus est. Quod si secundò redeat, cum perpetua relegatione, fustigabitur. Quod si tertiò reuertatur, gladio punitur.

16. Et desertoribus crura & poplites, incidi iussit Cassius, vt auctor est Gallicanus in eius vita.

17. Constantinus Imperator lenoni & persuasori, iubet liquido plumbo meatus oris claudi, l. 1. C. Th. de rapt. virg.

18. Periuro ex Nouella quadã Leonis & Constantini, lingua præcîdi iubetur.

19. Iustiniano, Zonara teste, pædicatoribus, virilia amputari iussit.

20. Leo Imperator in Nouella sua constit. 32. constituit, vt adulteris, viro & fœminæ, nasus abscinderetur. Quod, tanquam ineptè factum, Martialis lib. 3. Epigram. his verbis ridet:

Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho,
Nil hac peccatum est parte, marite, tibi,
Stulte quid egisti, nil hic tua perdidit vxor
Cum sit salua tibi mentula Deiphobi.

21. Oculorum quoque effossio, pro pœna aliquando irrogata fuit. Sic vnus oculus pro primo furto eruebatur apud Longobardos l. si quis latro, de latronibus, in legib. Longobard. Quam pœnam etiam in furibus certo casu comprobauit Carol. 5. in der Peinlichen Halßgerichts ordnung art. 159.

22. Et VVisigothorum lex statuit oculorum erutionem, patri vel matri, qui abortu, necem gestati vteri, procurauerit l. fin. de excutiente homin. part. lib. 6. ll. VVisigot. tit. 3.

23. Locrensium lege lata à Zaleuco, adul-

adulter vtroq; oculo priuari debebat, Val.Max.lib.5.c.6.

24. Octingenti Græci captiui à Persarum Regibus turpiter mutilati corpore fuerunt, quibus quidem aliis manus, aliis pedes, quibusdam nares, & aures præcisæ. Si qui autem scientia, arte, aut disciplina aliqua excellerent, iis membrorum omnium, exceptis quibus ad exercendas suas artes vterentur, extremitates amputatæ fuerunt, qui subactis Persis ab Alexandro Magno in ea miseria inuenti, immunitate donati sunt, vt auctor Diodor. Sicul. in Anno 6. Alexandri lib. 17. bibliothecæ suæ.

25. Nares furibus amputantur, & conspirantibus in patriam, legibus Longobardorum: De quibus omnibus videto, quæ notauit Cuiac.lib.7.obs.c. 13. P.G. in Syntag. part. 3. lib. 31. c. 16. per tot. Et quæ ego notaui ad Nouel. 42. & ad l. 2. ad l. Iul. Maiest.

QVAE-

QVÆSTIO LXXXVII.

Si lex, consuetudo, vel statutum, irroget manus amputationem, vtra sit amputanda. Et si delinquens vnicam tantum habeat manum, nunquid ea sit amputanda?

I.

Hæc quæstio depẽdet ex fine quæstionis proximè præcedentis. Et quidẽ Odofredꝰ in Authe. sed nouo iure C. de ser. fug. respondet, quod debeat amputari, quæ deliquit, argumento l. si fugitiui 3. C. de ser. fugit. vel etiam illud relinquit arbitrio & electioni rei, qui deliquit, argumento l. plerumque de iur. dot. l. cum is, §. fi. de condict. indeb. Vbi in obligationibus alternatiuis, quando quis debet illud aut illud, semper est electio debitoris.

2. Sed contra Odofredum tenet glossa in Nouel. 134. c. vlt. & in d. Authe. sed nouo iure, C. de ser. fugit. Quam DD. ibi

DD. ibi sequuntur, quæ vult, eam manum esse amputandam, quæ est imbecillior, aut quæ minus valet. Quoniam pœnæ molliendæ sunt potius, quàm exasperandæ l. pen. de pœn.

3. Sed quid si illa sit tabida vel arida? Et Petrus de bella Pertica, & Cynus in d. Authent. sed nouo iure, putant, hoc casu, validiorem esse amputandam, propterea quòd tabida vel arida sit inutilis, & pro nulla habenda, arg. l. qui clauũ §. item sciend. de ædil. edict. & argum. l. quoties, qui satisd. cog. vbi, quoties alicui viciosè cauetur, vel satisdatur, perinde est, ac si penitus cautum non fuerit, & argumento l. 1. §. fin. quod cuiusque vniuers. nomine, vbi, si in iudicio procurator non idoneus compareat, vel compareat ille, qui non est legitimus, perinde est, ac si nullus penitus comparuisset. Sic etiam in casu proposito, cum manus tabida inutilis sit, videtur habenda pro nulla: sicq; Petrus de bell. Pert. & Cynus putârunt, amputandam esse validiorem.

4. Ta-

4. Tamen istis non obstantibus, contra Petr. de Bel. Per. & Cyn. DD. communiter tenent per glos. in d. Auth. Sed nouo iure C. de ser. fug. aridam illã manũ, quia in ea minimũ quis possit, ãputandam esse, Et sic glossa intelligenda videtur de ea manu, quæ possit minus, quàm altera, & tamen aliquid possit.

5. Et hæc sentẽtia glossæ æqua videtur, & fundata in regula, q̃ nõ tantũ in delictis, verũ etiã in omnib9 cõtractib. locum habet, qua dicimus: Semper in obscuris, q̃ minimũ est, sequẽdũ esse, l. semp in obscuris de reg. iur. Nã quãuis manus sit arida, & ob id sine vsu, tamen nihilominus retinet nomẽ manus. Perinde, vt dicim9 in arbore, cui9 radices, licet desiẽrunt viuere, tamen tantisper appellatur arbor, donec adhæserit solo l. 3. §. quod si quis, arbor. furt. cæs. Et desinit tum dici arbor, quando est mota loco, quia tunc adpellatur lignũ, l. ligni, de legat. 3. Sic etiam iudicandum est de manu, vt sic is, cui amputatur vtcunque arida manus, tamen dica-

dicatur satis punitus esse, cum nulla absciſſio sit sine dolore. Et vt etiam dolor absit, tamen ipsa fœditas & deformitas est pro pœna. Eamq; sententiam vsu exigente, Iohannes Sich. in d. Auth. Sed nouo iure, nu. 8. se in praxi secuturum scribit, adeò vt non esset permissurus nocenti, si vel vltro vellet meliorem manum porrigere carnifici, aut si vellet pedem validum offerre pro ista putrida manu. Nam vt manus, & deinde vilior absc indatur, introductũ est fauore publico, argumento l. quos, de postul. cui nemo priuatus potest renunciare, vt notatur in glos. l. quod fauore, de ll. text. & communiter DD. in c. si diligenti, extra de for. comp.

6. Quid si is, cui manus ex consuetudine vel statuto, amputanda est, vnicam tantùm habeat manum, nunquid ea erit amputanda? Et quidem Iacob. Butrig. quem sequuntur Alber. de Rosat. & Salic. in d. Authent. Sed nouo iure, putant, illam vnicam manum

manum amputandam esse, Idq; argu. l. Stichum aut Pamphilum, de solut. in princ. vbi, si dixero: Stichum aut Pamphilum, vtrum voluero, mihi dare spō. des? & Titius annuat, certè mortuo Sticho, priusquam Titius moram committat, debetur præcisè Pamphilus. Vnde etiam in defectu alterius manus, argumento huius l. videbatur amputanda illa vnica & reliqua.

7. Quam tamen sententiam, vt inhumanam plærique; reprehendunt in d. Auth. Sed nouo iure, vnde Bald. Ang. Paul. de Castr. & reliqui ferè omnes ibi putant, eo casu illam vnicam manum non esse amputandā, quia nemo ignorat, eum, qui tantum vnam manum habet, si eam amittat, grauius puniri, quā si duas haberet, argument. l. illicitas, verb. vnico lumine, de offic. præs. Et ita pœna egrederetur delictum. Vnde cēsent supradicti, quos etiam sequitur Sich. in d. Auth. Sed nouo iure, num. 9. statutum vel consuetudinem, dicentem manum alicui amputandam, intelligi

ligi de eo, qui vtramq; manum habeat. Et sic pœnam illam de manu, esse conuertendam in aliam pœnam pecuniariam: Quod in iure non est nouum. Nam sæpè commutantur pœnæ pecuniariæ in corporales, & econtra l. si quis id 7 §. in 3. seruos de iur. dict. l. fi. de sepulch. violat l. 1. §. generaliter, de pœn. cum similibus.

8. Potest tamen sententia Butrigarii & sequacium sustineri, si alterâ quis manum per delictum vel culpam suam, ante iam amisisset. Item si iam lata esset sententia, de vnica manu amputanda, vnde si diceret Iudex: Pronuncio, Titio delinquenti, manum amputandam, certè fieret in manu executio, licet eam Titius delinquês haberet vnicam, argum l. si emptione §. pen. de cõtrah. empt. Nam postquam sententia definitiua est lata, non potest a iudice reuocari aut corrigi, præsertim si sit valida, l. 1. & ibi glos. pulchra, sentent. rescind. non poss. quod secus est in sentẽtia interlocutoria, l. quod iussit, de re

iudic. Atq; ita duobus istis modis sententiam Butrigarii & sequacium intelligit & declarat Iohan. Sichard. in d. sæpius Auth. Sed nouo iure, C. de seru. fugit. nu. 9. in fin. cum sequenti.

QVAESTIO LXXXVIII.

Furtum literarium quale sit, & à quibus commissum?

I.

FVrtum literarium illud appellant, quod in transcribendo aliorum scriptis & laboribus, & pro suis venditando & arrogando, veri auctoris nomine dissimulato & suppresso, subdolè & fraudulenter committitur. Quæ descriptio non obscurè colligi potest ex Tiraq. variis in locis inf. allegandis, Pet. item Gregorio in Syntagmate lib. 36. c. vlt. num. 13. & Fr. Duareno in epistola ad F. Balduinum scripta, cui titulum fecit, de plagiariis, & alienorum scriptorum compilatoribus, quæ etiãnum inter opera eius extat. Quibus in lo-

in locis supradicti auctores, qui tale quid committunt, modò fures, modò plagiarios, modò compilatores, expilatores, veteratores, prædones, interuersores, suppilatores, vocitant. Hos Cassius Seuerus, similes esse dicebat furibus, qui poculis alienis mutarent ansas, ne à dominis agnosci possent, vti notauit Duarenus in d. modò epistola.

2. Huius furti multos passim insimulatos fuisse legimus. Cuius rei elegans exemplum extat apud Vitru. lib. 7. Architectonicæ, de Poëta quodam huius furti nomine insimulato & conuicto ab Aristophane comico. Is enim, cum à Ptolemæo Philadelpho inter Poetas certantes arbiter constitutus esset, præter omnium expectationem victorem eum declarauit, qui & Regi & spectatorib. ineptissimo esse videbatur. Causam rogatus, cum Rege in bibliothecã profectus, reliquorum furta detexit, & eum, quẽ victorem declarauerat, ob id ipsum, quod sua attulisset, præmium

auferre voluit. Vnde & rex, reliquos, vt furti conuictos, condemnauit, & Aristophanem muneribus amplissimis ornatũ, bibliothecæ suæ præfecit. Refert id exemplũ ex Vitruuio Pet. Gregor. in Syntagmate d. lib. 36. num. 13. Francis. item Duar. paulò fusius, in d. modò epistola ad Balduinum, & nouissimè Theodor. Zuuinger. in theatro suo volum. 19. lib. 2. mih. in tertiana & vltima editione, pag. 3560. col. 1. sub tit. literarii fures.

3. Huius quoq; furti nomine Fidentinum notat Martialis lib. 1. Epigram.

Quem recitas, meus est, ô Fidentine, libellus,
Sed male, cum recitas, incipit esse tuus.

Et iterum:

Nostris versibus esse te poetam
Fidentine putas, cupizq; credi?
Sic dentata sibi videtur AEgle,
Emtis ossibus, Indicoq; cornu.
Sic quæ nigrior est cadente moro,
Cerussata sibi placet Lycoris,
Hac & tu ratione, qua Poëta es,
Caluus cum fueris, eris comatus.

Et

Et rursus ibidem:

Fama refert nostros te Fidentine libellos,
Non aliter populo, quàm recitare tuos.
Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam,
Si dici tua vis, hæc eme, ne mea sint:

4. Et ibidem idem Martialis Epigrãmate 20. ad Quintianum, alium quendam Poëtam plagiarium huius furti nomine perstringit, his versibus:

Commendo tibi, Quintiane, nostros,
Nostros dicere non tamen libellos
Possum, quos recitat tuus Poëta.
Si de seruitio graui queruntur,
Assertor venias, satisq; præstes
Et cum se dominum vocabit ille,
Dicas esse meos, manuq; missos,
Hoc si terq; quaterq; clamitaris,
Impones plagiario pudorem.

5. Sic Demetrius Latinus Poëta ab Horatio ridetur, quòd aliena carmina surriperet, & pro suis cantaret, vnde & Simius dicitur ab eo *Simius iste*
Nil præter Caluum, & ductus cantare Catullum.

6. Sic Numenus Pythagoricus Philosophus, Apanua oriundus, Platonis ingenium nota perstringit, quod velu-

ti plagio surripuerit ex Mosaicis libris, quæ de Mundo & Deo prodidit, vnde & Platonem, Mosen vocat Ἀττικίζοντα, id est, Atticisantem, vt auctor est Hesychius Milesius lib. Illustr. περὶ ὀνόμων.

7. Sic Cn. Flauius, libertinus & Scriba Appii Claudii, librum, actionum ciuilium formulas continentem, patrono surreptum, cum populo exposuisset, populum sibi ita deuinxit, vt & Aedilis & Tribunus factus fuerit, vnde & liberiste, Ius ciuile Flauianum cognominatum fuit, licet ipse, de suo nihil adiecisset, sed Appii labore actiones in illo contentæ, compositæ, conscriptæque essent, vt à Liuio lib. 9. in fin. Cicerone pro Mur. 2. Valer. Max. lib. 2. Instit. antiqu. & Gellio lib. 6. noct. Attic. & Pomponio in l. 2. de orig. iur. proditum est.

8. Bartolus quoque noster, qui Iureconsultorum Princeps, Coryphæus, & antesignanus à nostris adpellatur, veterum nominibus prætermissis, eorum

rum inuenta sibi attribuit, præcipuè Nicolai de Matarellis Mutinensis dogmata, vt ex Angelo & Castrense recitat Fichardus in eius vita: Licet ipse aliter de se scribat in l. nõ solum §. morte, num. 10. de oper. nou. nunc. dum ait: Ego de omnibus mentionem facio, vt quod aliorum est, furari non arguar, & in eo, quod meum est, cognoscar.

9. Similiter Iohannes Andreæ Bononiensis, in Iure canonico excellentissimus, multa ex cõsiliis Oldradi Laudensis sibi vendicauit, suppresso auctoris nomine: Quare & Baldus eum insignem furem alienorum laborum exclamat, furtaque eius prodit, vt auctor est Fichard. in eius vita.

10 Huius quoq; furti nomine vehemẽtissimè inuehitur in Chassanæum Tiraquellus, in ll. connubialibus multis in locis, veluti in l. 1. nu. 51. l. 2. num. 43. 44. 45. 50. l. 5. nu. 14. 15. l. 7. num. 8. 19. 66. l. 9. nu. 135. l. 11. nu. 28. l. 12. nu. 8. l. 13. nu. 42. l. 15. num. 105. Et in tractatu de vtroq; retractu §. 1. gl. 9. nu. 76. circa fin. dicit,

Chassaneum, plus quàm sexcentas paginas integras, ne vocabulo quidē mutato, ex legibus suis connubialibus in tractatum suum de gloria Mundi, trāsscripsisse.

11. Sed & Chassaneus Tiraquellum plagii insimulare & accusare non dubitauit, dum in libris suis de gloria Mundi scribit, unum Lud. Cœlii Rhodigini libros compilasse, & suppresso Cœlii nomine, multa inde in libros suos connubiales transtulisse, vt ipse Tiraquellus refert, d. modò nume. 76. vbi se à falsa ista accusatione & criminatione Chassanæi, defendit, vt ibi plenius videre licet.

12. Deniq; Leonardus Aretinus, Procopii Gothicam Historiam, à se cōuersam, suppresso auctoris nomine, tanquā suam, & è variis Historicis hinc inde collectam, Iuliano Cæsariano Cardinali, qui ad Varnam ab Amurathe cæsus periit, dedicauit. Cuius tamen furtum Christophorus Persona Romanus detexit, qui Procopium Latinè loquē-

tem

tem fecit, vt auctores sunt Iouius in Elogiis, & Cuspinianus in Iustiniano. Ex hæc exempla pro declaratione huius furti sufficere existimo. Qui plura desiderat, is consulat Theodor. Zuuinger. Pet. Gregor. & F. Duar. in locis supra allegatis.

13. Cæterùm F. Duarenus in d. supra epistola ad Balduinum, hosce librorum suppilatores, ad instar aliorum furum & latronum, publico odio & cohercitione dignos censet, quòd multũ noceant studiis, & non minus Reipublicam lædant, quàm ij, in quos lege Fabia de plagiariis animaduertitur. Quod ego facilè in iis concesserim, qui vel totum aliquod scriptum, vero auctore suppresso & dissimulato, sibi vendicant, vel ab aliis alio sensu scripta, falsò & subdole corrumpendo, distorquent. Absq; eo, cum Iustiniano nostro potius dicẽdum existimo, qui subtiliter ab alio factum, vel addendo, vel detrahendo, vel in aliam, & quidẽ meliorem formam, redigendo emendat,

laudabiliorem esse eo, qui primus quid adinuenit, & meritò totum id suum facere, sibiq;, citra vllam reprehensionē, asscribere posse, Iustinianus in epistola de conceptione Digestorum ad Tribonianum scripta, §. sed neq; ex multitudine auctorum 6. in fine. Et Comico teste: Nihil est dictum, quod non dictum sit antea.

14. Si quis igitur transcriptione vti velit, laudabile & ingenuum iudico, auctorem, vnde transumptum sit, non subticere, vt quid nostrū, quid itē aliorum sit, dignosci possit, ne furti vel plagii à quoquam iure redargui possimus, vt Bartolus se feciſſe gloriatur, in d. l. non solum, §. morte, nume. 10. de oper. nou. nunc.

15. Et secundum Baldum in proœm. feud. num. 2. Ias. in §. fin. num. 31. Instit. de actio. per text. l. hæreditatum §. fin. ad l. Falcid. laudis alienæ occultator, furi rectè adæquatur.

16. Et aliàs benignum, plærumque ingenui pudoris est, per quos profeceris,

ris, non diffiteri. Vt Cotta scribit in memorabil. verb gemmæ, & Neuizan. in Sylua nupt. lib. 6. num. 58. circ. med. Vnde id refert, Frideric. Pruckmannus in tract. de regalib. §. venatio. num. 45. & 46. Quod & ego in tota hac centuria, fideliter & candidè præstiti, & in omnibus aliis centuriis (si dominus me superstitem voluerit) postmodum edēdis, ne quis laude sua defraudetur, σὺν θεῷ, similiter præstabo.

QVÆSTIO LXXXIX.

Quibus modis, siue quàm variè, prorogatio Iurisdictionis fieri possit?

PRO maiori evidentia huius quæstionis breuiter hic præmittendum, prorogationis verbū, & in iure nostro, & apud classicos auctores variè accipi.

1. Quandoq; refertur ad terminos & di-

& dilationes. Quo casu prorogatio nihil aliud est, quam dilationis labentis, nondum tamen lapsæ, extensio. Et tũc non noua, sed eadem cum prima dilatione intelligitur, Maranta in Speculo suo, part. 4. dist. 12. num. 2. Quandoq; refertur ad compromissa, l. diem proferre, de arbitr. vt si arbitris per partes potestas prorogandi arbitrii data fuerit, Quo casu etiam partibus absentibus, arbitrium prorogare rectè possunt, d. l. diem proferre, in princ. Est tamen notificanda partibus, aliàs non astringit. Maranta d. loc. nu. 2. in fi. Quandoq; Imperium prorogari dicitur, cum illud noua rogatione in tempus longiꝰ profertur. Sic Liuius lib. ab V. C. 8. Duo, inquit, singularia hæc ei viro primum contigere: prorogatio imperii, non ante in vllo facta, & aucto honore, triumphus. Et Cic. ad Q. Fratr. lib. 1. Quod si tibi bellum (inquit) aliquod magnũ & periculosũ administranti, prorogatum imperium viderem, tremerem animo &c. Omphal. lib. 1. ciuil. Polit. cap.

105.

105.num.19. Quandoq; prorogatio, vt hoc loco, iudicii siue iurisdictionis extensionem significat. Maranta d. loc. nu.3.in prin. Omphal.d.nu.19.

2. Et quatuor modis iurisdictionis prorogatio contingit. Primo modo prorogatur Iurisdictio, de persona ad personam, veluti cum iurisdictio iudicis limitata ad certas certę ciuitatis vel territorii personas, per consensum partium, porrigitur ad alias personas, iudici non subiectas, l.1.& 2.de iudic.l.si cõuenerit, de iurisd. Marant.d. loco nu.3.

3. Secundo modo prorogatur iurisdictio, de re ad rem, vtputa si iurisdictio & cognitio iudicis ad certam quantitatem restricta & limitata, extenditur consensu partium ad maioris quantitatis summam. Atque ita fiat extensio de summa minori, ad maiorem, & sic de re ad rem. Maranta d.part.4.dist.12.n.3.

4. Tertio modo prorogatur iurisdictio de tempore ad tempus, vt puta si iurisdictio iudicis limitata ad annum, per partes porrigatur vlterius. Atq; ita exten-

extensio fiat de vno tempore ad aliud, Maranta d. dist. 12. nu. 3.

5. Quartò prorogatur iurisdictio, de loco ad locum. Quod licet controuersum, magis tamen approbatur, per ea, quæ allegat Maranta, in d. dist 12 nu. 3. ante fin. Idq; dupliciter contingit, vno modo, si consuetudine vel statuto inductũ sit, vt iudex iudicaturus sedeat pro tribunali in palatio: vel Rector Academiæ consistoria celebret in loco consueto: possunt partes consentire, vt iudicet in alio loco eiusdem ciuitatis. Et talis prorogatio absque dubio valet, cum subsistat in loco eiusdem iurisdictionis, Maranta d. dist. 12. num. 3. ante fin. Altero modo, cum extra locum iurisdictionis, partium consensu potestas iudicandi transfertur. Veluti si partes consentiant, vt iudex Perusinus, cognoscat & pronunciet in territorio Bononiensi. Quod licet controuersum sit, magis tamen approbatur, talem prorogationem valere, maximè, si interueniat consensus iudicis illius loci,

loci, puta Bononiensis, Alex. in l. fin. de iurisdict. vbi arguit de loco ad tempus, iuxta l. vinum, si cert. pet. Marant. in d. part. 4. dist. 12. nu. 3. in fin.

6. Hoc tamen procedit duntaxat in iudice habente iurisdictionem de iure communi, non etiam in iudice habente iurisdictionem de iure speciali, vt est delegatus. Hic enim extra territorium, etiamsi partes & iudex illius territorii in istam prorogationem consentiant, iudicare aut cognoscere non potest, Maranta d. distinctio. 12. numero 4.

7. Fit autem prorogatio, vel expressè vel tacitè. Expressè, cum partes expressè consentiunt in iudicem non suum, l. 1. & 2. de iudic. l. si conuenerit, de iurisdict. c. significasti. de for. compet. Tacitè, cum quis patitur se conueniri coram iudice incompetente, & non declinat eius forum, cum possit, Maranta d. dist. 12. nu. 5.

8 Cęterũ, vt prorogatio iurisdictionis rectè procedat, hæc requirũtur. Primò requi-

requiritur, vt iudex, cuius iurisdictio prorogatur, ad eius controuersiæ, quæ inter litigatores orta est, cognitionem decisionemq;, iurisdictionem sufficiẽtem habeat. Vtputa si rei spiritualis cõtrouersia fuerit, iurisdictionem spiritualem vel Ecclesiasticã exercere possit. Sin de crimine agatur, crimina cohercendi potestatem habeat. Alioquin non veteris iurisdictionis prorogatio extensioque, sed nouæ potius iurisdictionis collatio dicetur, quæ in priuatorum potestate sita non est, l. priuatorum, C. de iurisdict. omn. iudi. Hannet. in tract. de ordin. iudic. part. 1. c. de prorogat. iurisdictio. §. eum tamen iudicem.

9 Secundo requiritur, vt iurisdictio, quæ prorogatur, ordinaria sit, non delegata, Hanneton. d c. de proroga. iurisdict. §. necessarium quoq; est.

10. Tertio requiritur, vt prophani sint, qui alterius iudicis iurisdictioni subijci debent. Beneficiati enim, quiq; maiores ordines adepti sunt, in alium iudi-

iudicem, etiam Eccesiasticum, sine Episcopi sui consensu, expressè consentire non possunt c. significasti, extra de for. compet. Nisi fortè contrahendo, vel delinquēdo id tacitè agant, Innoc. Ioh. Andr. & Panor. in d.c. significasti. Iudicis verò prophani iurisdictionem, neq; expressè, neq; tacitè, neq; Episcopi aduersarijq; sui consensu accedente, neq; suo iureiurando adiecto, prorogare possunt c. si diligenti, extra de for. compet. Fori enim priuilegium iure communi Ecclesiasticis cōcessum, personale non est, sed toti potius Ecclesiasticorum collegio publicè inductum, d.c. si diligenti in fin. ideoq; priuatorum pactionibus ei derogari non potest l. Iurisgentium 7. §. si paciscar, de pact. Hannet. d. c. de prorogat. Iurisdict. §. Deniq;.

QVÆSTIO XC.

Iurisdictio Saxonica quotuplex sit, Et quæ eius exempla?

I.

IVrisdictio præter alias diuisiones, etiam diuidetur in Iurisdictionem iuris communis scripti, & in municipalem siue statutariam. Bald. in l. 1. C. de emancip. liber. De illa fusissime dixi ad Tit. 1. lib. 2. ff. Ad statutariam hoc loco refero Iurisdictionem Saxonicã, cum ius Saxonicum nihil aliud sit, quàm ius statutarium. Duæ autem Iurisdictionis Saxonicæ species numerantur. Vna Imperij, sub qua comprehenduntur omnes gradus meri & mixti Imperij, altæ videlicet & mediæ iustitiæ. Quæ vulgò adpellatur, iurisdictio superior, siue pœnalis, die Obergerichte/ Item peinliche Gerichte/ Halßgerichte/ Item Bluthan/ quando videlicet pœna concernit diminutionem vitæ, amputationem manus, aut alterius membri, wan die klage an haut vnd haar gehet/ hoc est, quãdo pœna ascendit ad fustigationem, secundum additionem Latinam lit. F. art. 13. lib. 2. &

lib. 2.

lib. 2. art. 28. Landr. lit. F. & glossa Weichb. art. 16. §. Ihr sollet wissen. Et iudices, qui superiore hac Iurisdictione armati sunt, appellantur, Peinliche Richter/Oberrichter.

2. Eaq; Iurisdictio olim non poterat conferri nisi à solo Rege, Landr. lib. 3. art. 64. §. des Königs Ban (nam bānum etiam tunc temporis appellabatur) mag niemād leihen den der König selbst/ & art. 69. art. 59. lib. 1. §. bey Königs Ban/ & lib. 1. art. 3. Hodie confertur non solum à summo Principe, sed etiam ab aliis inferioribus ordinibus Imperij, puta à Ducibus, Marchionibus, Comitibus, vt qui benè meritos vasallos suos de certis castris vel mansis, cum omnimoda iurisdictione subfeudant, idque exinueterata quadam cōsuetudine, teste VVesenbecio cons. 45. num. 36. vol. 1. propterea quòd summo Princeps vbiq; locorum in imperio præsens esse non potest. Landr. lib. 3. art. 52. §. der Keyser mag in allen Landen nicht sein.

3. Ad hanc igitur Iurisdictionem pertinent omnes querelæ & accusationes, super quibuscunq; delictis & maleficiis, quæ Saxo vocat Vngerichte/ Landr. lib. 1. art. 68. in princ. lib. 2. art. 13. & 16. vbi glossa, in fin. & art. 28. Weichb. art. 38. 70. 71. 88. & 89. Item Lehenr. c. 2. 3. & c. 61. in glossa. Ac notat Chilianus König in suo processu Saxonico c. 138. etiam pro iniuriis atrocioribus, quarum cognitio pertinet ad superiorem, non autem ad inferiorem iudicem. Et in informatione, quæ habetur ad Landr. von öber vnnd vntergerichten sub Rubric. Rathschlag auff Ober vnd Erbgerichte / describuntur, specialiter omnes causæ ad cognitionem superioris iudicis pertinentes.

4. Enumerantur etiam speciatim crimina ad hanc Iurisdictionem pertinentia in constitutionibus prouincialibus Ducum Saxoniæ in Thuringia c. 21. vtputa crimen hæreseos, veneficij, incantationis, sacrilegij, incestus, raptus mulierum, fractæ pacis, violentiæ publi-

publicæ, & grassationum, homicidij, incendij, proditionis, periurij, seditionis, binorum sponsaliorum & nuptiarum eodem tempore, luxuriæ contra naturam, prædationis aratrorum, & molendinorum, relegationum ex prouincia, ciuitate, vel pagis, inuasionis violentæ alienarum ædium, furti vltra tres solidos, Receptationum, Violationis membrorum virilium, aut mamillarum muliebrium, Consilij aduersus superiores, Sepulchri violati, Iniuriarum atrocium, quatenus personis priuilegiatis fiunt, & criminaliter, ad pœnam fisco adplicandam, intentantur, Plagij, criminis falsi cuiuscunq;, Stellionatus, item eorum, qui vnam rem duobus vēdunt vel oppignorant, Reuelationis secretorum in iniuriam alterius, Finantiarum, & venalium decretorum, Pacis domesticæ, murorum violationis vel fractionis, gladiorum cum quibus alicui inferuntur vulnera, terminorum motorum, nouorum vectigalium, Piscinarum læsiones, Famosorum libellorū,

maleficiorum, vulnerum, item deformitatum, quæ faciei alicuius ingeruntur, transfossionum, ictuum, contusionum, ex quibus periculum vitæ fluit, membrorum mutilationis, & absciſſionis, vsq; ad vulnera qualiacunque inclusiuè.

5. Altera ſpecies Iuriſdictionis Saxonicæ vocatur ſimplex iuriſdictio, vulgò die Erbgerichte / Nider oder vntergerichte / Et iudices, die Erbrichter / oder vnterrichter / vt notat gloſſa pen. art. 33. lib. 3. Landr. & lib. 1. art. 68. in princ. vbi textꝰ deſcribit cauſas ad cognitionem inferioris Magiſtratus pertinentes.

6. Generaliter autem in hanc ſpeciem Iuriſdictionis includuntur cauſæ pecuniariæ, quas vocamus, ſchůlde vnd gůlde / vt ſunt, petitiones hæreditatum, tranſactiones ſuper ciuilibus cauſis, pignorationes, punitiones minorum delictorum, puta, furti infra tres ſolidos, vetitarum mercium & armorum diſtractiones, vetitorum ludorum, iudicialium contumaciarum, & impudi-

pudicorum gestuum, deniq́ue iniuriæ non atroces, ictus, consutiones, pulsationes, vellicationes crinium, werffen/ braun vnd blaw schlagen/ Blutrusten/ & omnes aliæ qualescunq́; percussiones, quæ sine fusione sanguinis fiunt Chil. König in sua practic. c. 138. num. 10. per text. Landr. lib. 1. art. 68. & lib. 2. art. 16. ibidemq́; glossa & Apostilla, Weich. art. 38. cum seqq. & glossa Landr. iuncta ibi Apostilla lib. 3. art. 37. glos. Lehenr. c. 1. circ. fin. De qua re tota fusissimè & plenissimè agit Colerus in tract. suo de processib. execut. part. 2. c. 1. à num. 105. vsque ad finem capitis, & Sneid. in tract. de feud. part. 2. c. 1. quæst. 6. §. circa prædicta notandum, quos vide omninò.

QVÆSTIO XCI.

Quomodo Iurisdictio probanda sit?

I.

VArij traduntur modi probandæ Iurisdictionis. Primò probatur Iurisdictio ordinaria per scripturam vel literas patentes. Bald. in l. prohibitum col. 3. cum seq. C. de iur. fisc. lib. 11. quam doctrinam se alibi non legisse testatur Ias. in l. more col. 8. num. 53. vers. item aduerte, de Iurisdict. vnde id refert Iosephus Mascard. in tract. probat. vol. 2. conclus. 945. num. 1. vbi multos alios pro confirmanda hac doctrina adducit.

2. Cuius conclusionis duæ possunt assignari rationes. Vna est, quòd iurisdictio ordinaria, quando conceditur, semper in scripturam sit redigenda, vt si fortè negetur, per eam probari possit Mascard. d. conclus. 945. nu. 2.

Altera est, quod nullus iudex præsumatur, nisi probetur. Cum enim iurisdictio sit qualitas quædam accidentalis, quæ naturaliter homini nō inest, necessariò probanda erit. Mascard. d. conclus. 945. n. 3.

3. Va-

3. Valent tamen acta agitata coram iudice ordinario, licet potestas eius vel iurisdictio per literas patentes probata non fuerit, nec tenetur iudex originariam suam potestatem ostendere, ad hoc vt actus & processus coram ipso agitati valeant, Mascard. d. conclus. 945. num. 4.

4. Planè si ab altera partiũ potestas & iurisdictio iudicis negata fuerit, omnino ea ostensione originariæ potestatis probanda erit, cum per negationem res fiat dubia. Mascard. d. conclus. 945. num. 12.

5. Quod licet apud Mascard. d. modo conclus. num. 13. controuertatur, per DD. ibi ab ipso allegatos, qui volunt, semper pro iurisdictione ordinaria præsumendum, adeò, vt etiamsi negata fuerit, tamen probari non debeat, poterit tamen hæc repugnantia ita conciliari, si dicamus, superius DD. dogma ita procedere, vt scilicet plenè iurisdictio illa probanda non sit, sed quod sufficiat probare iudicem istum, qui con-

trouersia mouetur, semper habitũ, nominatũ, & pro iudice cõmuniter ordinario reputatũ, ad hoc, vt acta per eum, valeant Masc. d. concluſ. 945. n. 14.

6. Sed & ſi notorium ſit in loco, iudicem illum, cui controuerſia mouetur, tempore latæ ſententiæ, ſe pro iudice ordinario geſſiſſe, acta coram illo agitata, valebunt, etiamſi poteſtas vel iuriſdictio eius per literas patẽtes probata non fuerit. Nam in hac notorietate, alia probatio non requiritur. Imò, nullitatem & defectum poteſtatis obijciens, quaſi calumnioſus, erit repellendus. Maſcard. d. concluſ. 945. nu. 17.

7. Idq; vel tum maximè procedit, ſi ſententia lata ſit aduerſus præſentẽ, & non contradicentẽ: quia tunc propter auctoritatem rei iudicatæ, & partis aduerſæ tacitũ conſenſum, pro huiuſmodi iuriſdictione præſumitur, ac contrarium aſſerenti incumbet probatio, iuxta doctrinam communiter approbatam, per eos, quos allegat Maſcar. in d. ſæpius concluſ. 945. nu. 18.

8. Præ-

8. Præterea, si lis coram tali iudice, de cuius potestate dubitatur, à partibus contestata fuerit, si postmodum nullum dicant, non audiuntur, nisi nullitatem, vel defectũ potestatis ostẽdant. Mascard. d. concluſ. 945. n. 19.

9. Iurisdictio quoq; delegati per scripturam probari debet, siue per exhibitionem rescripti in probanti forma, vt loquuntur. Nam delegatus quis non præsumitur, nisi constet de delegatione, & delegatus non habet Iurisdictionem naturalem, sed accidentalem, non mirum igitur, si partes citatæ, huic credere non teneantur, nisi mandato sufficienti exhibito. Mascard. d. vol. 2. concluſ. 948. nu. 1. 2. 3. 4.

10. Sanè si rescriptum delegati semel fuerit exhibitum, ac parte citata registratum, & postea amissum, posset per testes deponentes super tenore illius, & amissione eius, iurisdictio delegata rectè probari, Mascard. d. modò concluſ. 948. nu. 5.

11. Sed & aliter hoc casu amissionis rescripti semel exhibiti, & parte vocata registrati, potestas delegati probari posset, si nimirum ad ipsum delegantem pro fide delegationis confugeretur, Mascard. d. modò concluſ. 948. num. 6.

12. Potest & Iurisdictio delegati probari per solum sigillum delegantis, etiamsi ipsum instrumentum manu alterius scriptum fuerit. Quoniam sigillum appositum eandem vim habet, quam habet subscriptio, manu propria facta. Mascard. de probat. vol. 1. concluſ. 491. num. 1. 2. 3.

13. Quod tamen tunc demum procedit, si producens & exhibens huiusmodi sigillum, non fuerit persona domestica eius, cuius dicitur sigillum. Nam si domestica eius persona fuerit, tunc productio eius est suspecta, & potestatem delegati non probat. Mascard. modò concluſ. 491. nu. 4.

14. Poterit & præsumptiuè delegatio probari, si videlicet probetur per testes,

testes, assertum delegatum, se, vt delegatum, gessisse, sentẽtiam publicè protulisse, notoriè, sciente, ac patiente ipso delegante. Ex tali enim scientia & patientia superioris, præsumitur delegatio facta, & mandatum superioris præcessisse Mascard. d. vol. 1. concluſ. 492. num. 1. & 2. Quæ tamen cum sit fundamentum intentionis, ab allegante erit articulanda & probanda. Masc. d. modò concluſ. 492. num. 3.

15. Secundò probatur Iurisdictio: per impositionem & exactionem collectarum siue gabellarum, & solutionem census, factam ciuitati, huiusmodi Iurisdictionem prætendenti, vnde si dicat testis, quòd viderit homines illius ciuitatis soluere collectas, iurisdictionem satis probauit. Mascard. concluſ. 946. num. 1

16. Tertiò probatur Iurisdictio per electionem officialium. Mascard. d. concluſ. 946. num. 2.

17. Quartò probatur Iurisdictio per publicationem proclamatum, Mascard. ibid. n. 2.

Quin-

18. Quintò probatur Iurisdictio per custodiam ciuitatis. Mascard. ibid. num. 2.

19. Sextò probatur Iurisdictio per receptionem decimæ. Mascard.d. modò concluſ.946.num.3.

20. Septimò probatur Iurisdictio, & eius exercitium, ex captura delinquẽtium, & transmissione citationum, si tamen obœdientia earum interueniat. Nam sola citatio siue præceptum, quod facit dominus, non probat Iurisdictionem, nisi subditi citationi & præcepto obtemperauerint. Mascard. d. concluſ.946. num.4.

21. Octauò probatur Iurisdictio, per solam erectionem furcarum: etiamsi per centum annos nullus suspendendi actus exercitus fuerit. Mascard. d. concluſ.946.nu.10.& 11.

22. Nonò probatur Iurisdictio & superioritas illius esse, ad quem appellationes deferuntur, quoniam semper appellationes solent & debent dirigi ad illum, qui est superior in Iuris-

Iurisdictione. Mascard.d.concluſ.946. num.13.& 14.

23. Decimò, Iurisdictio probatur per gratias & liberationes à delictis factas, siue in particularibus casibus, siue generaliter factæ fuerint, Mascard. d. concluſ.946.num.15.& 17.

24. Vndecimò, probatur Iurisdictio, per liberationes factas à præstatione Homagij.Mascar. d. concluſ.946. num.18.

25. Duodecimò probatur Iurisdictio territorij,per instrumenta continentia iuramenta fidelitatis per homines istius territorij. Mascard. d. concluſ. 946.num.19.

26. Quod tamen in antiquissimis tantùm,in quibus probatio per testes fieri non potest, locum habet. Mascar. ibid. num.21. Et quando adparet iuramentum fidelitatis fuisse præstitum ab eo,qui illud ritè præstare poterat.Masc. ibid. num.22.

27. Decimò tertiò probatur Iurisdictio

dictio per instrumenta liberationis à fidelitate. Nam vt priuatio præsupponit habitum: Sic liberatio à fidelitate, arguit & præsupponit ius obligationis. Mascard. d. concluſ. 946. nu. 20.

28. Decimo quartò præsumitur & probatur Iurisdictio ex eo, quòd quis condit statuta & decreta generalia ad decisionem quarumcunque causarum ciuilium & criminalium, Id quod solius est Principis, Mascard. d. modo conclusione num. 23. & 24.

29. Et satis est, quòd ipse Princeps mandauerit ea statuta & decreta publicari, quodq; fuerint publicata, etiamsi effectum nullum habuerint, hoc est, etiamsi nullus in promulgatum statutum vel edictum incurrerit. Solus namque actus iste promulgationis siue publicationis, ad acquirendam & probandam possessionem Iurisdictionis in aliqua ciuitate vel prouincia, sufficit. Mascard. d. concluſ. 946. num. 25.

30. Decimo quintò probatur Iurisdictio, etiam per testes singulares, vt à

quàm

quàm plurimis traditum est, quos accumulauit Mascard. d. vol. 2. concluſ. 947. num. 1.

31. Quod licet controuertatur per eos, quos citat Anton. Gabrielius Rom. in com. concluſ. ſub. tit. de teſtibus concluſ. 2. num. 20. verſ. contrariam opinionem: poteſt tamen ea ſcribentium diſſenſio tolli, ſi dicamus, concluſionem noſtram de teſtibus ſingularibus tunc procedere, quando agitur de probando in genere iuriſdictionem: contrariam verò opinionem locum habere, cum quæritur de vna ſpecie Iuriſdictionis tantùm: tunc enim teſtes debent ſe referre ad eandem ſpeciem iuriſdictionis, non ad diuerſas.

32. Exempli gratia: Si duo teſtes deponant de diuerſis actibus eiuſdem ſpeciei Iuriſdictionis, dicetur probata Iuriſdictio, quoad illam ſpeciem, ſed ſi duo teſtes deponant de diuerſis ſpeciebus Iuriſdictionis, vnus de actu meri imperij, alter de actu Iuriſdictionis ſimplicis, alius de honore & reue-

rentia extraiudiciali: isti testes non probabunt, nec facient plenam probationem, quoad vnam speciem, probabunt tamen, quoad ipsum genus.

33. Proindeq; si vnus testis dixerit, quòd Titius die Lunæ fecerit aliquem suspendi: alius testis de alia suspēsione, die Martis facta, deponat: alius rursus de alia, die Mercurij facta: licet hi testes sint singulares, respectu diuersarum suspensionū & temporum, tamen probant. Quoniam Titius non intendit probare suspensiones, sed Iurisdictionem, quæ ex suspensionibus probatur. Atque ita respectu finis testes illi non sunt singulares.

34. Similiter, licet testes inferant ad actus diuersos, veluti, si vnus deponat vidisse decapitari homicidas, alius, fures suspendi, alij de aliis actibus diuersis, necessariò tamen ad probationem Iurisdictionis inferunt. Mascard. d. concl. 947 num. 2. & 3.

35. Potest & ita responderi, singularitatē in loco, tempore, personis, & aliis

circum-

circumstantiis commissam, testib9 non officere, aut eorum testimonium infirmare, si circumstantiæ illæ non sint de substantia illius probationis, vt in casu probādæ Iurisdictionis genericæ Masc. in d. concluſ. 947. num. 5. vbi hanc responsionem adfert ex Iohan. Andr. in c. qualiter & quando col. 3. vers. & idem, de accusat.

36. Potest & tertiò responderi, singularitatem testibus hoc casu non nocere, quod quilibet illorum actuum, de quo vnus tantùm testis deponit, satis sit ad probandam iurisdictionem, non secus ac si probata esset per duos testes, cum per vnicū actum probetur iurisdictio in vniuersum, dummodo actus ille sit vniuersalis, & denotet animum facientis esse, vt vniuersaliter velit possidere. Mascard. d. concluſ. 947. num. 6. vbi ipse hanc solutionem approbat, & pro fundanda ea se remittit ad conclusionem proximè præcedentem, num. 6.

37. Et supradictos probandi modos, ferè omnes complectitur VVesenb. ad

tit. de Iurisdict. num. 12. dum scribit, Iurisdictionem probari per notorietatem, instrumenta, priuilegia antiqua, testes, qui de actibus exercitæ Iurisdictionis testantur, puta præceptis, mulctis, executionibus, perceptione reditum & aliorum commodorum, collectis, per antiquam formam, præsumptionem iuris, qua vnumquodq; præsumitur illius esse Iurisdictionis, cuius est territorij, & eum aptitudine totam Iurisdictionem obtinere, qui exercitiũ certorum actuum præscripsit, secundum communem, licet Bart. & alij contrà sentiant, tantum scilicet intelligi præscriptum, quantum est possessum. Quorum opinio vera videtur VVesenbecio, cum alius est in generali possessione Iurisdictionis, aut cum Iurisdictio præscripta, non est fundata Iure communi. Extra hos casus, verius & receptius esse, vno Iurisdictionis actu præscripto, reliquos etiam, qui eiusdem generis sunt, præscriptos videri.

38. Idem VVesenbec. in cons. 95. nu. 25.

num.25. vol. 2. aliquot modos probandæ omnimodæ Iurisdictionis recenset: Veluti notorietatem, famam, & viciniæ opinionem, actus variè exercitos, erectionem furcarum, quæ ab antiquo illic steterunt, & vsurpatæ sunt, personales capturas, incarcerationes ob crimina perpetrata, concessiones securitatum, sicher gleit zu rechte / vnnd vor vnrechter gewalt / ordinationes iudiciorum criminalium, electionem iudicum Richter vnd Schöppen / ius torquendi, sententiandi in causis criminalibus, exequendi, & similes actus, de quibus ad Montanum Bald. Socin. Ias. & alios remittit.

39. Chassanæus quoque in consuet. Burg. mih. fol. 91. modos istos in vnum quasi fasciculum collegit, dum scribit, Iurisdictionem probari, per expressas vel tacitas assertiones, vulgi opinionem, sententias iudicum, perceptiones redituum, custodum appositionem, exercitium Iurisdictionis, furcarum erectionem, census solutionem.

40. Mascardus etiam in tract. suo de probat. vol. 2. conclus. 1053. multos modos tradidit, quibus merum imperium probetur, vtputa concessionem superioris, inuestituram, traditionem ensis, literas delegationis in casibus, quibus merum Imperium delegari potest, consuetudinem, præscriptionem, exercitium diuersorum actuum, puta furcarum erectionem, suspensiones, exoculationes, mutilationes. Quos modos ipse latius ibi declarat, & de plærisque hactenus pluribus visum fuit.

QVÆSTIO XCII.

An & quando Rubricæ ad decisiones causarum, ad instar textuum, allegari possint?

I.

AD huius quæstionis decisionem, sciendum, Rubricarum alias esse perfectæ orationis, aliàs imperfectæ. An autem Rubrica perfectam vel imperfe-

perfectam orationem habeat, ex dictionibus, quibus singulæ Rubricæ incipiunt, deprehenditur.

2. Regulariter igitur Rubrica dicitur perfectam habere orationem, quando incipit per dictionem VT, vel NE, veluti: Vt ex legibus, senatusue consultis bonorum possessio detur. Vt in flumine publico nauigare liceat. Vt actiones ab hæredibus & contra hæredes incipiant. Vt intra certum tempus criminalis quæstio terminetur. Vt nemo inuitus agere, vel accusare cogatur. Vt, quæ desunt aduocatis partium, iudex suppleat. Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur. Ne quid in flumine publico fiat, quò aliter aqua fluat, atq; vti priore æstate fluxit. Ne quis eum, qui in ius vocabitur, vi eximat. Ne fideiussores, vel mandatores dotium dentur. Ne quis in sua causa iudicet, vel ius dicat. Ne pro dote, mulieri, bona mariti addicantur. Ne sanctum baptisma iteretur.

Ne vxor pro marito, vel maritus pro vxore, vel mater pro filio conueniatur, cum multis similibus.

3. Et hæ & similes Rubricæ, quæ plerumq; regulam iuris continent, ad decisiones causarum, vt ipsi textus, allegari possunt.

4. Imperfectam orationem habere Rubricæ dicuntur, cum incipiunt per dictionem A N vel SI, veluti, An per alium causæ appellationum reddi possunt: An seruus ex suo facto post manumissionem teneatur: Si ager vectigalis vel Emphyteuticarius petatur: Si familia furtum fecisse dicatur: Si mensor falsum modum dixerit: Si pars hæreditatis petatur: Si quis ius dicenti non obtemperauerit: Si tabulæ testamenti extabunt. Cum aliis infinitis similibus, tàm in Pandectis, quàm Codice.

5. Imperfectã quoq; orationẽ continẽt Rubricæ istæ, de locato, de statu hominũ, de his qui sunt sui vel alieni iuris.

6. Et hæ Rubricæ, vt imperfectæ, ad decisiones causarum allegari non possunt,

sunt, sed vel formant tantùm quæstiones, quas textus postea vel nigrum decidit, vel solum ad demonstrandam naturam nigri tendunt. Qua de fusius videatur Sebast. Medic. in Tract. de Leg. Statut. & Consuet. part. 2. q. 10. per tot.

7. Et remissiuè de Rubricis multas vtiles quæstiones vide apud Ias. in Rubric. Instit. de act. Bart. Salic. & DD. in in l. 1. si cert. pet. vbi isti, & præsertim Ias. pro more suo multa vtilia de Rubricis comportauit, puta: An omnes Rubricæ, Legum, Decretalium, & Statutorum, sint Authenticæ: An & quando ad decisiones causarum ad instar textuum allegari possit, vel non, vbi notat istã distinctionẽ Rubricarũ in perfectas & imperfectas, modò à me adnotatam: item an & quando rubricarũ continuationes sint necessariæ: An ex ordine earum argui possit, & quomodo: An & quando nigrum declarent, amplient, vel restringant Rubricæ. Et deniq;, in conflictu & contradictione Rubri & nigri, quodnam cui præferendũ,

vbi sciendum, nigro, tanquam posteriori, & magis deliberato, standum esse.

QVÆSTIO XCIII.

Cur Medici dicantur Parabolani?

I.

PArabolani sunt, qui ad curanda debilium ægra corpora deputantur l. parabolani 18. in prin. C. de Episc. & cleric. qui & parabolarij Iulio Firmico: Paraboli, Socrati: parabolani lib. 16. C. Theodos. Tit. 2. l. 43. appellantur, vt annotauit Cuiac. ad Nouel. 3.

2. Medici igitur, parabolani, parabolarij, paraboli, parabalani, dicuntur. Nec refert, vtra appellatione vtâris, cum singulæ suos auctores habeant.

3. Dicuntur autem Medici Parabolani, ἀπὸ τοῦ παραβάλλεσθαι, quòd se coniiciunt in magna pericula, propter frequentem ægrorum contactum & curã. παράβολον, Græcis audacem, temerarium,

rium, confidentem, periclitatorem, cuiusmodi ferè sunt Medici, significat. vnde rectè fortassis Medicũ dixeris ἐπιψοχίνδυνον ein wagehals/ Et παράβαλλα, Græcis sunt summis periculis obiecta. Connanus lib. 2. Commentar Iuris c. 10. nu. 5. Turneb. 13. aduersar. c. 23. Et sic Medici parabolani à temeritate, & præsenti periculo, quo se exponunt, dicti sunt, eâdem penè forma ac ratione, qua bestiarij, qui cum bestijs depugnaturi sese demittunt. Cuiac. d. Nouel. 3. ex Iul. Firmico lib. 8. Matheseos.

4. Accursius, in l. si duas 6. §. grammatici, in verb. circuitores, de excusat. tutor. & in d. l. parabolani 18. C. de Epis. & Cler. medicos, ideo parabolanos, dici existimat, quòd multas habeant parabolas, sintque aliquando loquaciores.

5. Eamq; Accursij expositionem, in contemptum & vituperium Medicorum, vertit Franciscus Petrarcha lib. 4. Inuectiuarum in Medicum cap. vlt. Oportet enim Medicos minimè esse

esse loquaces, vel testimonio Arnoldi à Villa Noua, Medici celeberrimi, in lib. de regulis generalibus curationis morborum, doctrina 1. Aphoris. vlt. Quo spectat etiam illud incerti auctoris lib. 2. Epigrammatωn Græcorum: ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσέντι πάλιν νόσος, id est, Medicus garrulus ægrotanti iterùm morbus. Et Virgilius lib. 11. Medicam artem mutam appellare videtur, cum inquit:

Scire potestates herbarum, vsumq; medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

6. Et hæc Medicorum, vt ita dicam, mutitas & pauciloquentia, cum in garrulitatem & multiloquium, vt hac ratione vulgi iudicio doctiores videantur, degenerârit, factum est, vt paraboläni, hoc est, garruli, secundum Accursij expositionem, Medici, in iure ciuili, dici meruerint.

7. Verùm, huiusmodi appellationis ignominiam diluere volens, eleuare, & in bonam partem transferre. Arnoldus ille à Villa Noua Aphorismorum doctrina

ctrina 7. c. 3. ita scribit. Parabolæ Salomonis ostendunt, quòd quæ sapientes in considerationibus naturalibus protulerunt, conuenienti Metaphora mortalibus adaptantur. Doctor gratiosus & efficax parabolis vtitur ad occulta per sensibilia declaranda. AEterni Doctoris Euangelica lectio testatur eundem fuisse parabolanum. Sapiens igitur ad exemplum illius præmissa reducit in parabolas oportunas.

8. Andreas Alciatus lib. 4. disputat. c. 9. aliam interpretationem huius nominis adfert. Autumat. n. parabolanos fuisse plebeios, qui famulitio vel Ecclesiarum, vel hospitalium Xenonumue deputati erant, & quasi adscriptitij glebæ, vt sicut illis omni vita ab agrorum cultura recedere non licebat: Ita his ab seruitio ægrorum, qui in Nosocomiis, id est, valetudinariis, residebant, recedere non sit concessum. Eosq; dici à Græca præpositione παρὰ & βωλος, quæ vox glebam denotat.

9. Deniq; Andreas Tiraquellus in tract.

tract. de Nobilitate c. 31. n. 421. parabalanos, Medicos quidem esse non negat, sed dictos eos putat ab eâdem præpositione παρὰ & βάλλω. Qua voce glans significatur, ideo quòd Medici sæpissimè in sua cura suppositoriis, vtuntur, quæ ob similitudinem glandis, βάλανοι, Græcis adpellantur. Sed prior appellatio, vt verior, à plerisque approbata est.

QVAESTIO XCIV.

Quomodo, & in quos blasphemia committatur, & quomodo puniatur?

I.

BLasphemia, ἀπὸ τοῦ βλάπτειν τὴν φήμην, est ōne & quodvis conuicium, contumelia, vel maledictum, in Dei numen, vel sanctos eius prolatum, Iul. Car. lib. 5. sentent. §. Blasphemia 4. in princ. cum vers. seq. vbi multis exemplis id declaratur. Emanuel Soarez in verb. blasphemia num. 26.

2. Et

2. Et in constitutionibus Caroli 5. art. 106. blasphemia definitur, der Gott zumist / das Gott nicht bequem ist / oder mit seinen worten Gott / das jhm zustehet / abschneidet / die Allmechtigkeit Gottes / seine heilige Mutter / die Jungfraw Maria / schendet.

3. Quoties igitur de Deo negatur id, quod in eo est: aut ei tribuitur id, quod in eo non est: aut id, quod in eo est sacrum, (vt nomen eius & verbum) ab hominibus vulgare fit ac profanum, vt si Dei beneficia in execrationem conuertantur vel concepta formula per passionem, sanguinem, & vulnera Christi iuretur, toties blasphemia in Deum committitur. Leuit. 24. 2. Reg. 19. Esaiæ 52. Roman. 2. vers. 24. Apocalyp. 16. vers. 21. Math. 9. vers. 3. & vers. 34. Math. 26. vers. 66. Marc. 2. vers. 7. Iohan. 10. vers. 36. Actor. 6. vers. 11. 13.

4. Cæterũ, in hominẽ quæ conuiciia, iniuriæ, maledicta, & execrationes fiũt,

vtputa

vtputa in magistratum l. vnic. C. si quis Imper. maledix. in parentem l. 1. maximè in fin. de obs. parentib. & patron. præstãdis, in sanctos Dei seruos, Exod. 5. 1. Reg. 18. 3. Reg. 21. 1. Paralip. 20. Hier. 24. Lucæ 7. Act. 2. 5. 6. 7. 16. 21. 26. 1. Corinth. 4. vers. 13. 2. Petri 2. vers. 2. Apocalyp. 2. vers. 9. propriè blasphemia non est.

5. Et licet Bart. in l. item apud Labeonem 15. §. ait prætor, de iniur. existimet etiam aduersus homines blasphemiam dici posse: tamen id vsum loquẽdi respuere, testatur Iul. Clar. in d. §. blasphemia, in fine princ. vbi subiicit, ideoq; in eo, qui malum alteri imprecatur, blasphemiæ pœnam locum non habere.

6. Pœna autem blasphemiæ de iure diuino, est lapidatio, Leuit. 24. de iure Canonico, publica pœnitentia, c. 2. de maledic. Cuius forma præscribitur à Gregorio IX. Pontifice in d. c. 2. Qua tamen pœna non teneri clericos, ne scilicet propter huiusmodi publicam satisdatio-

dationem, clericalis ordinis auctoritas vilescat, communiter receptum testatur Iul. Clar. in d. §. blasphemia, versic. sed quæro 3. de Iure ciuili, vltimũ supplicium, §. fi. h. N. n. Quam tamen pœnam hodie pauciſſimis locis vſu frequentari, meritò deplorat Iul. Clarus in d. §. blasphemia, d. versic. sed quæro 3.

7. Hodie igitur, vt plurimum blasphematores arbitrariè puniuntur, vel capitaliter, vel præcisione linguæ, fustigatione, addictione ad triremes, exilio, vel alia quadam pœna arbitraria, pro qualitate, grauitate, frequentia delicti, aliisvé circumstantiis. Qua in re, statuta & consuetudines locorum, maximè sunt attendendæ, Iul. Clar. in d. §. blasphemia, d. vers. sed quæro 3. VVesenbec. ad l. Iul. Maiest. in fin. In constitut. Caroli V. d. art. 106. So einer Gott zumist etc. (repetantur verba supra relata) Der sol durch die Amptleute oder Richter / von Amptswegen angenommen / eingelegt / vnd darumb an Leib / Le-

ben/oder Gliedern/nach gelegenheit vnd gestalt der Person/vñ Lästerung gestrafft werden. Doch so ein solcher Lästerer angenommen/vnnd eingelegt ist/das sol an die Obrigkeit mit notturfftiger Vnterrichtung aller Vmbstende gelangen/die darauff richten vnnd vrtheilen bescheidt geben/Wie solche Lästerung/den gemeinen vnsern Keyserlichen Rechten gemeß/vnd sonderlich nach inhalt besondern Articuln vnser Reichsordnung/gestrafft werden sollen etc.

8. Et legimus in Tomo 4. ordinat. Reg. Galliæ tit. 6. sub Philippo Valesio Francorum Rege, blasphemum ad torquem pependisse à prima hora vsque ad nonam: iterantem blasphemias, ad eundem torquem, die nundinarum alligatum, eiq; suprema labra ferro candente ita diffisa, vt dentes adparerent: tertia vice, labium inferius: quarta, vtrumq;: quinta, linguam, vt qua parte peccasset, eadem etiam puniretur.

9. Qui tamen per iram, lasciuiam, vel

vel ebrietatem blasphemauerit, mitius puniendus erit, Iul. Cla. in d. §. blasphemia vers. excusari potest 6. item §. fin. quæstio. 60. versic. præterea quæro 12. in fine. Emanuel Soarez. verb. blasphemia nu. 27.

10. Consuetudo quoq; loci blasphemantem à pœna ordinaria excusat, Iul. Clar. in d. sæpius §. blasphemia vers. itē pōt excusari 7. vbi notabiliter subijcit, non admissos à senatu Hispaniæ articulos & exceptiones blasphemorum, suũ delictum, consuetudine & vsu totius prouinciæ, eleuantium.

11. An autem blasphemiæ damnatus, non capitaliter, fiat infamis, aliter dijudicari non potest, quàm ex tenore sententiæ, & statutis prouinciarum, l. 13. §. 6. de his qui notant. infam.

12. Crimen autem hoc, cum cōmunis fori sit, tàm à Ciuili, quàm Ecclesiastico iudice puniri potest, Iul. Clar. in d. §. blasphemia, versic. reperio etiam, 4. in fine. Iudæus tamen blasphemus, à ciuili iudice puniendus est, cum

fori sit secularis: nisi fortè iudex ciuilis in puniendo negligens sit, quo casu, etiam Iudæum, Ecclesiasticus iudex, punire posset, vt cõmuniter receptum attestatur Iul. Clar. in d. §. blasphemia, vers. sed pone 5.

13. Cæterùm, vtrum in hoc crimine probando, exceptiones contra personas testium admittantur, controuertitur apud Iul. Clar. in d. §. blasphemia, versic. reperio etiam 4. vbi videte.

14. Alia de pœna blasphematorum, & temerè iurantium, addito ex ordina. Imperii König Maximiliani Satzung vber die Gottslästerer / im abscheidt zu Wormbs / An. etc. 1495. auffgerichtet / fol. 32. Item im abscheidt zu Coln / Anno 1512. fol. 91. Item in reformation guter Policey zu Augspurg / An. 1530. fol. 242. 226. 227. Anno &c. 1548. fol. 53. 55. & alibi. Item in ordinat. Elect. Saxoniæ mihi fol. 40. & fol. 58. Chil. Konig. in tract. pœnar. ciuilium & criminal. sub tit. von Peen der Gotteslästerung vnnd Schwerer 44.

QVAE-

QVÆSTIO XCV.

Quæ sint iustæ exhæredationis causæ, propter quas parentes liberos, & econtra liberi parentes rectè exhæredare possint?

I.

PRimò parentes rectè exhæredabunt liberos, si impiæ, ab ipsis sibi illatæ manus erunt, c. 3. §. 1. Nouella 115. facit l. 1. §. si filius 2. de obseq. parentib. & patron. præstand.

2. Si grauem, inhonestam, & atrocē contumeliam & iniuriam à liberis perpessi fuerint, d. Nouella 115. c. 3. §. 2. facit d. l. 1. §. 2. de obseq.

3. Si publico iudicio, de crimine, quod aduersus Principem aut Rempublicam non sit, ab ipsis fuerint postulati, d. Nouella 115. c. 3. §. 3. Constan. Harmenop. lib. 1. epit. tit. 6. c. περὶ κεκωλυμένων, id est, de prohibitis testib.

4. Ait Iustinianus, quod aduersus Principem vel Rempub. non sit. Vnde

discimus, liberos, parentes accusare posse maiestatis, quemadmodũ & vxor maritum, Harmenop. d. loc. seruus dominum; & libertus patronum, l. 7. §. 2. ad l. Iul. Maiest.

5. Si liberi cum maleficis, vt malefici, commercium habuerint, d. Nouella 115. c. 3. §. 4. Ait Iustinianus: vt malefici: vnde colligimus, non continuò cõdemnandum esse, qui inter maleficos in itinere aut hospitio fuerit repertus: cum, nisi sit societas latrocinii, talis nõ puniatur, N. 22. c. 15. §. si igitur, vers. aut latrocinii sectantem vitam, l. 39. §. 4. ad l. Iul. de adult.

6. Si vitæ parentum veneno vel alio modo insidiati fuerint, d. N. 115. cap. 3. §. 5.

7. Si filius cum concubina patris, vel nouerca sua, rem habuerit, d. c. 3. §. 6. Priuigni enim cum nouerca consuetudo incestuosa est, l. 17. C. de nupt. Et concubinæ patris consuetudine filius abstinere debet in tantum, vt nec vxorem eam ducere, si velit, possit, l. 4. C. de nupt. Si

8. Si parentes, calumnioſa liberorũ delatione, in grauia diſpendia conie&ti fuerint, d.c.1.3 §. 7.

9. Si filius (nam ad fœminas hoc nõ extenditur) parente in carcerem conie&to, ac opem ipſius interceſſionemq; implorante, pro perſona ipſius, æreue alieno, in quantũ facere poteſt, fideiubere noluerit, d.c.3. §. 8. Aliàs regulariter filius nõ cogitur æs alienũ patris exſoluere. l.5. §.16. de agnoſ. & alend. libe. à parent. l.1.2.3. C. ne filius pro patr. &c.

10. Item cauſa iuſta ingratitudinis eſt, ſi filius parentes teſtamentum facere prohibuerit, d.c.3. §.9 l. 23. C. de inoffic. teſtam. Quod ſi ex hac cauſa filiũ non exhæredauerint, vtpote, quia poſtea nunquam eis contigit poſſe facere teſtamentum, placet, filio auferri hæreditatem quaſi indigno, & fiſco vindicari, d.cap.3. §.9. verſic. ſi autem, l.1. ſi quis aliq. teſt. prohib. l. 2. C. eodem, Paul. lib. 5. ſentent. tit. 12. Quòd ſi duo ſint filii, vnius factum alteri non nocet, l. 2. §.1 ſi quis aliq. teſt. prohib.

Ideoq; pars tantum eius fisco vindicatur, qui prohibuit, pars seruatur ei, qui non prohibuit: sicut iure prisco solus sine cohæredibus sacris obligatur, qui solus pecuniam exegit, quam defunctus prætermiserat, ne sacris alligaretur, Cic. lib. 2. de legib. Si vnus sit filius, assem vindicat fiscus.

11 Præterea legitima exhæredationis causa est, si filia minor 25. annis cõditionem nubendi honestam, & dotem secundum vires patrimonii sui, offerẽtibus parentibus, obtemperare noluerit, sed luxuriosam vitam honesto coniugio prætulerit, d. c. 3. §. 11.

12. Potest quidem filia impunè, iusta tamen de causa, nuptias, à parente oblatas, detrectare, argument. l. 18. l. 20. C. de inoffic. testament. Si tamen eas detrectauerit, eo saltem fine, vt luxuriosam vitam eligeret, rectè, vt ingrata, à parente exhæredari potest, l. 19. C. de inoffic. test. d. c. 3. §. 11.

13. Quod si filia 25. annum excesserit, & parentes, dum ei honestam nubendi

bendi conditionem non quærunt, filia in corpus suum fortè peccauerit, vt ingrata, exhæredari non poterit, cum nõ sua culpa, sed parentum id commisisse intelligatur, d.c.3. §.11. vers. Si verò, Authent. Sed si post, inde desumpta, C. de inoffic. testament. Igitur filia maior 25. annis patre cessante ei honestam nubẽdi conditionem quærere, non ob id exhæredari poterit, quòd in corpus suum peccauerit, h. e. quod semel fortè, aut aliquoties, clàm tamẽ, peccauerit, quia nemo id punire rectè potest, cuius ipse admittendi occasio fuit. Aliud dicendum erit, si meretricio more, turpiter & flagitiosè vixerit, d. l. 19. C. de inoffic. testam.

14. Quod tamen de iure Saxonico non obtinet, quo filia meretrix, existimatione, non etiam hæreditate priuatur, Landr. lib. 1. art. 5. ibi dicitur: Ein Weib mag mit Vnkeuscheit / jhre Weibliche Ehre krencken / jhr Recht verleurt sie damit nicht / noch jhr Erbe. Idq;, nc, exuta hæreditate, cogente necessitate me-

retriciæ vitę penitꝰ seſe mancipet, vtq; parentes diſcant, in tempore filiabus de honeſta nubendi occaſione proſpicere, gl. d. art. 5. §. Ein Weib.

15. Item ſi filius vel filia, furioſi parentis curam nullam habuerit, poſtea ſanitate recepta, iure exhæredari poterit: vel ſi in ipſo furore deceſſerit inteſtatus, aut mutato teſtamento, quod ante furorem fecerat, in quo filium, vel extraneũ hæredem ſcripſerat, qui poſtea teſtatorem furore correptum non procurauit, hæredi legitimo vel teſtamentario aufertur hæreditas, quaſi indigni, & non fiſco, ſed extraneo adplicatur, ſi quis ſit, qui pietate motus teſtatò, nec quicquam conuentis admonitisq; liberis, vel aliis hæredibus, furioſi eius curam ſuſceperit, d. c. 3. §. 12. Auth. liberi furioſi, inde deſumpta, C. de Epiſc. audient.

16. Ac licet quidem de furioſo parente tantùm Iuſtinianus loquatur, cõſtat tamen generaliter etiàm ei, qui ægrotum non curat, hæreditatem auferri quaſi

ri quasi indigno.l.3.de iis,quę vt indig. auser. Sicut etiã ex eadẽ causa, dominiũ serui,& ius patronatus amittitur,l. 1.§. sed scimus C.de Latina liber.tollẽ. Atq; ita generaliter quoq; in libris βασιλικῶν scriptum est,filium,qui ægrotũ, inopem, imbecillum patrem non curat,alit,defendit.ob hanc causam iure exhæredari posse.

17. Quo sanè exemplo manifesto cõprobari potest,non esse hanc causarum exhæredationis & ingratitudinis enumerationem restrictius accipiendam, ita vt ad similes, vel grauiores, porrigi non debeant,vt inf.q. proximè sequẽte pluribus monebo.

18. Liberi quoq;,qui parẽtem captiuũ non redimunt ab hostibus, ab eo postliminio reuerso,exhæredari iustè poterunt: vel si parens apud hostes decesserit, hæreditas liberis, imò generaliter legitimis omnibus, vel testamentariis hæredibus, si fortè antè captiuitatem testamentũ fecerit,quod lege Cornelia confirmatur eo moriente apud hostes:

his

his inquam omnibus, si negligentiores fuerint in redimendo captiuo, hæreditas aufertur quasi indignis, & Ecclesiæ, non fisco, applicatur, ea conditione, vt quicquid ex hæreditate peruenerit, in redemptionem captiuorũ insumatur, vt, vnde illi à suis non sunt redempti, aliorum redemptio procuretur, & ita pœnæ quodammodo æqualitas vel proportio seruetur. Est enim hoc singulare in pœnis inferendis, vt pœna, quàm fieri possit, maximè, delicti speciem, animo delinquentis obiecisse videatur, vtq; per ea quisq, puniatur, per quæ peccauerit. Igitur qui maior 18. annis (ignoscitur enim ætati minoris, seu non exephebi) parentem captiuũ redimere neglexerit, quod ab eo alioquin potuit testamento capere, id captiuorum redemptioni cedet, d. c. 3. §. 13. & Authent. si captiui alicuius, inde desumpta, C. de Episc. & cler.

19. Adeò autem hic liberandi parẽtis captiui fauor procedit, vt exephebi h.e. minores 25. annis, maiores tamen 18. pos-

18. possint in hūc finem, mutuò accipere pecuniam, resq;, suas proprias, vel etiam parentis mobiles, vel immobiles, etiam absq; decreto, pignori obligare. Et contractus huiusmodi, ac si à persona suæ potestatis & legitimæ ætatis facti fuerint, firmi reputabuntur: nec vllum præiudicium inde generabitur iis, qui cum his contraxerunt: Et pater postliminio reuersus, hos filii sui, suo nomine, celebratos contractus, ratos habere cogitur, eisq; tanquam suis debitis, obligabitur, d. c. 3. §. 13. vers. In huiusmodi verò causis.

20. Deniq; ob hæresin, liberi iustè à parentibus exhæredari possunt, d. c. 3. §. 14. Authent. idem est, de Nestorianis, inde desumpta, C. de hæret. & Manich.

21. Et generaliter hæretici liberi, non succedunt patri, nec ex testamēto, nec ab intestato, l. cognouimus 19. C. de hęretic. & Manich. N. 118. in fine. Non succedunt etiam hæretici agnatis vel cognatis: Et his deficientibus vel exclusis,

fis, si defunctus plebeius fuerit, fiscus vocatur: si clericꝰ fuerit defunctus, Ecclesia vocabitur intra annũ, post annũ fiscus, d. §. 14. vers. ꝙ si filii quidem oẽs.

22. Quòd si quidam filiorum orthodoxi sint, quidam hæretici, hoc casu Orthodoxi soli patri succedunt, d. §. 14. vers. quod si fortè ex filiis.

23. Quid si filii hæretici postea resipiscant? Sanè eo casu Orthodoxi, fratribus resipiscentibus restituẽt portionem suam sine fructibus medii temporis, nulla prorsus administrationis ratione reddita, d. §. 14. vers. si verò posthac fratres, ab Ecclesia separati.

24. Et hactenus de 14. ingratitudinis causis, ꝓpter quas parentes liberos exhæredare possunt: Quas superior ætas, memoriæ causa hisce versiculis paululũ à VVes. ita immutatis, comprehendit:

Bis septem ex causis exhæres filius esto,
Si patrem feriat vel maledicat ei.
Carcere detrusum si neglegat aut furiosum
Criminis accusẽt vel paret insidias.
Si dederit damnũ graue, si nec ab hoste rede-
Testariué vetet: se societué malis. (mit, si

Si Mimos sequitur, vitietué cubile paternũ, Non Orthodoxus, filia si meretrix.

Nunc breuiter referam causas, ob quas parentes à liberis rectè exhæredari possint, quæ cum superiorib. fere concurrunt, cum correlatinorũ vna eademq; sit natura, & quod dispositũ est in vno, idem quoq; disponi debeat in altero, de quo argumento latè Eberhard. in Top. legal. loc. à correlatiuis.

25 Si itaq; pater accusauerit filium de crimine capitali, excepto crimine hæresεos, vel læsæ Maiestatis, rectè exhæredari poterit, d. Nouel. 115. c. 4. §. 1.

26. Si pater immiscuerit se nurui, vel concubinæ filiæ, d. c. 4. §. 3.

27. Si venenis aut maleficiis, aut alio modo, parentes filiorum vitæ insidiati probabuntur, d. c. 4. §. 2.

28 Si parentes filios suos testari prohibuerint de rebus, in quib. testandi licentiam habent, h. e. de castrensi vel q. castrensi peculio, d. c. 4. §. 4.

29. Si pater veneno, vel alio modo insidiatus sit vitæ vxoris, & è diuerso, si mater insidiata sit vitę mariti, d. c. 4. §. 5.

30. Si pater filium in furore constitutum, curare & nutrire neglexerit, d. c. 4. §. 6.

31. Deniq; si pater non sit Catholicæ religionis, sed hæreticus, rectè à filio exhæredari potest, d. c. 4. §. 8.

Atq; ita 14. causæ ingratitudinis recensentur, propter quas parentes liberos, 8. tantum, ob quas liberi parentes exhæredare possunt. Ratio autem diuersitatis, cur sc. liberi ex plurib. causis, quàm parentes, exheredari possint, secundum Iaſ. in Authen. non licet parenti, C. de liber. præter. vel exhæred. in princ. ea est, quòd maiorem affectionem habeant parentes erga liberos, quàm liberi erga parentes, cum amor descendat, nō adscendat, & nullus affectus vincat paternum, l. fin. C. de curat. furios. &c. & pater plus diligat filiū, quàm seipsum, secundum Accurs. in l. isti quidem, de eo quod met. caus. vbi autem maior cadit affectio, ibi etiam maior ingratitudo, & iniuria committitur: Inde est quod liberi magis & pluri-

pluribus ex causis ingrati fiunt, erga parentes, quàm parentes erga liberos, & consequenter, pluribus ex causis exhæredantur. Hinc igitur illa causarum imparitas, secundum Ias. d. loc.

QVÆSTIO XCVI.

An liberi à parentibus ob causas æquè graues vel grauiores, quàm quæ suprà quæstione proximè præcedente, enumeratæ sunt, exhæredari possint?

I.

IN hoc articulo duæ sunt contrariæ interpretum opiniones, vna affirmatiua, altera negatiua. Qui affirmatiuam tuentur, hisce potissimum fundamentis insistunt.

2. Primò adducunt æquiparationẽ filij, & vasalli, circa amissionem hæreditatis & feudi, quod scilicet ex ijsdem causis, quibus filius exhæredari possit, vasallus etiam feudo excidat, per text.

Tit. quæ fuit prim. cauſ. benefic. amitt. lib. 2. Tit. 24. ibi poſtquam eſſent multæ cauſæ expreſsæ nominatim, propter quas Vaſallus feudo priuari poſſit, ſubijcit poſtea textus: *Sed quia natura nouas deproperat edere formas, poteſt multis modis contingere, vt aliæ emergant cauſæ, quibus videatur iuſtè adimi poſſe feudum. Ideoque Iudex ſolers, & diſcretus, & æquitati obſecundare ſolicitus, cuncta ſubtiliter diſpenſans, prouideat, ſi qua fuerit antiquioribus ſimilis ſeu maior, vt proinde ſciat, an beneficium ſit amittendum, an nihilominus retinendum.*

Si igitur Vaſalli & liberi circa cauſas amiſſionis æquiparantur, & in Vaſallo cauſas habemus certas, & definitas, & tamen iſthic diſpicere iubemur, an aliqua ſimilis, vel maior cauſa incidat, vt etiam propter eam non expreſſam in lege, poſſit Vaſallus priuari feudo: certè idem erit in exhæredatione liberorum, vbi licet aliqua cauſa non ſit expreſſa, eſt tamen expreſſis vel ſimilis

milis vel maior, debent liberi propter eas etiam posse exhæredari.

3. Secundò mouentur, argumento l. 35. minimè, de relig. & sumpt. funer. vbi filius parentem, & econtra parens filium, patriæ proditorem, sine scelere & impunè interficere potest, adeò, vt etiam præmio hoc nomine interfector adficiendus sit. Si igitur, inquiunt, permissum est, filium, vel parentem, proditorem, impunè occidere, certè multò magis hoc casu proditionis, inter patrem & filium exhæredatio mutua & reciproca concessa erit.

4. Tertiò mouentur per glossam singularem & solennem, vt adpellant, in l. fin. verb. voluerit. C. de reuoc. donat. quæ præter quinq; causas reuocandæ donationis in illa l. nominatim & taxatiuè expressas, addit, *ex alia etiam simili causa donationem reuocari posse, licet ibi expressim non enumeretur*, vtputa si donator redigeretur ad inopiã & egestatem, & à donatario non aleretur.

5. Quartò mouentur argumento ab absurdo. Si enim (aiunt) hanc extensionem à causis expressis, ad non expressas non admittimus, datur materia filiis offendendi parentes impunè, cum facilè fieri possit, vt liberi etiam alias ingratitudinis, impietatis, & iniuriarũ causas, aduersus parentes, admittere possint, quæ in Nouella 115. nominatæ & diffinitæ non sunt. Atq; ita dispositio legis, redderetur elusoria & inanis, quod admittendum non est.

6. Eaq; sententia affirmatiua communis & vera perhibetur, à qua in practica non esse recedendum, licet disputando multa in contrarium adduci possint, monet Iul. Clar. in thesauro recept. sentent. §. testamentum, quæst. 41. nu. 2. in fin. Eiusq; adstipulatores penè sunt infiniti. Eam n. adstruunt & defendũt Guilhel. de Cun. in authent. non licet C. de liber. præter. & exhæred. & ibi quoq; Ias. & Alex. de Imola. Idem Alex. sibi contrarius, in l. si quis id quod, nu. 18. vers. & ista faciunt ad quæstionem,

de iu-

de iurisdict. om. iudic. & in cons. 203. vol. 2. vbi hanc consulendo approbauit. Felin. in c. pastoralis, num. 2. extra de rescript. Iohan. Bertachin. in suo repertorio, in verbo, exhæredatio, vers. exhæredationis caus. Hippolyt. Marsil. in suis singularibus, sing. 78. vbi eleganter discutit rationes & argumenta, quæ pro cõtraria sententia adducũtur. Petr. Geard. in suis sing. sing. 1. Nicol. Eberh. in Topic. suis legal. loc. ab exceptione ad regulam. vers. quinto istud potest induci. Iohan. Francisc. à Ripa in l. d. fin. quæst. 41. C. de reuocand. donat. & in Rubric. extra de iudic. nu. 20. vers. confirmo inductiones. Barthol. Chassan. in consuet. Burgund. des successions. Rubric. Ou ne peult exhæreder §. 2. vers. sed quæro, Paul. Paris. cons. 29. num. 51. & 52. Melchior Cling. Instit. de exhær. liber. vers. potuit quoq;, vbi etiam meminit Hier. Schurff. in publica disputatione hanc sententiam defendendo obtinuisse. Iohan. Sichard. in d. authen. Non licet, nu. 7. cum seqq. C. de liber.

præter. vel exhæred. V Veſenbec. in ſuis parat. tit. de liber. & poſth. hæred. inſtit. verſ. Et quamuis Iuſtinianus taxatiuè loquatur. Philip. Dec. in c. cum ſpeciali num. 5. extra de appella. Carol. Molin. in ſuis addit. ad d. conſ. Alex. 203. vol. 2. verb. ſimiles: & ad lectur. Decij in d. c. cum ſpeciali, in verb. ſimilis, lit. A. Auctor Analys. Inſti. tit. de exhæredat. liber. c. poſſunt ne liberi à parentibus ex cauſis æquè ſimilibus, aut maioribus exhæredari. Iul. Clar. in d. §. teſtamentum q. 41. nu. 2. Didac. Couar. in c. Raynutius nu. 16. verſ. alias verò cauſas miſſas facimus, extra de teſtamentis. Viui9 in ſuis com. opin. in verb. filius vltra 14. cauſas. Vaſqu. in tract. de ſucceſ. lib. 2. §. 17. num. 101. verſ. nam ſola paritas vel ſimilitudo rationis, Iacob. Menoch. lib. 2. Cent. 2. de arbitr. iudic. quæſtio. Caſ. 130. donatio materna quib. ex cauſ. reuocetur. num. 4. & 5. & in 3. Cent. caſ. 267. num. 6. Bald. Aluarot. & FF. in d. tit. quæ fuit prim.

cauſ.

cauſ. benefic. amitt. in vſib. feudor. Hi igitur DD. omnes, hanc ſententiam adfirmatiuam adſtruunt, & defendunt.

7. Contrariam verò ſententiam negatiuam, quam Alex. de Imol. ſibi contrarius in d. authent. non licet, C. de liber. præter. num. 4. in puncto iuris veriorem aſſerit, propugnant & ſequuntur, Martin. Laudens. in l. 1. §. fin. de iuſt. & iur. Alex. de Imol. ſibi contrarius, in d. modò authent. non licet, nu. 4. verſ. tamen non puto: Vigl. Zuuichemus, Inſtit. de exhæredat. liber. circ. fin. author artis Notariatus lib. 1. tit. de exhæredat. & præterit. verſ. Cætærùm, vbi ipſe addit, Curt. Papienſem in d. authent. non licet, eandem ſententiam amplecti. Eam quoq; conſulendo (licet diſputando contrariam obtinuerit, vt ſupra monui ex Clingio,) approbat Hier. Schurff. inſignis Germaniæ noſtræ practicus, in conſ. 97. num 4. Cent. 2.

8. Mouentur isti potissimum auctoritate textus d. Nouell. 115. c. 3. in princ. & authent. non licet, inde desumpta, C. de liber. præter. vel exhæred. vbi Iustinianus inquit: Sed quia causas, ex quibus ingrati liberi debeant iudicari, in diuersis legibus dispersas, & non apertè declaratas inuenimus, quarum aliquæ nec dignæ nobis ad ingratitudinem visæ sunt, aliquæ verò, cum essent dignæ, prætermissæ sunt: ideo necessarium esse perspeximus, eas nominatim, præsenti lege comprehendere, *vt præter ipsas (notentur verba taxatiua) nulli liceat, ex alia lege, ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in huius constitutionis serie continentur.* Et statim subiicit ordine 14. illas causas supra relatas. In his verbis tota præsentis quæstionis difficultas consistit. Prohibet enim hic Imperator expresè, alias ingratitudinis causas, præter 14. in serie d. Nouellæ constitutionis relatas, admitti. Si igitur huic præcepto, vt par est, obtemperare velimus, sanè alias, vel similes, vel gra-

grauiores ingratitudinis & exhæredationis causas, fingere aut admittere non debemus. Et hoc est, quod Vigl. Zuuich. scribit, respiciens ad modò relata verba d. Nouellæ 115. Instit. de exhæredat. liber. circ. fin. his verbis; quid erat enumeratione opus, aut cur queritur Imperator, ab antiquis grauiores causas fuisse prætermissas, si hîc licita erat extensio, aut in quo veterum altercatio sublata est, si adhuc alias licet assumere. Præter iussum igitur & mentem Iustiniani, ad similes vel grauiores causas extensio fieri videtur. Et hoc præcipuum est h. sententiæ fundamentum, in quo tota huius quæstionis difficultas, & omne momentum consistit.

9. Secundò mouentur, quòd in odiosis, correctoriis, & pœnalibus, vt sunt hîc causæ exhæredationum, etiam ex paritate vel maioritate rationis, non sit licita extensio. Odia n. restringi, & fauores conuenit ampliari, c. odia 15. de reg. iur. in 6. & in pœnis benignior interpretatio est facienda c. in pœnis 49.

eod. tit. in 6. Idem voluit glos. in clement. 2. in verb. in iisdem, circ. fin. de ætat. & qualitat. & alia glos. in authent. quas actiones, vbi communiter DD. hoc annotârunt, C. de SSctis Eccles. Et hi sunt propugnatores, & hæc fundamenta sententiæ negatiuæ.

10. Et qui superiorem affirmatiuam adstruunt, ad hæc fundamenta respondent, quòd scilicet dictiones taxatiuæ vel exclusiuæ, excludant quidem, non tamen casus similes, sed dissimiles duntaxat, adducunt textus & glossas notabiles & singulares l. ob æs 12. C. de præd & aliis reb. minor. fin. decret. non alien. vel oppig. l. fin. C. de reuocand. donat.

11. In l. ob æs, Imp. ait: ob æs alienum *tantum* (nota taxatiuam) causa cognita, præsidali decreto, prædium rusticum minoris prouinciale distrahi permitti: & ibi glos. in verb. alienum, expressè addit, vel similem causam, vel dotem, vel donationem propter nuptias, item ob famem.

12. In

12. In d. verò l. fin. cum Imp. quinq; solummodò causas reuocādæ donationis recensuisset, subiicit glos. in verb. voluerit: ex alia etiam simili causa donationem reuocari posse, veluti ob inopiam, vel egestatem donatoris, qui à donatario non alitur.

13. Quod de correctione iurium adducitur, respondetur, etiamsi quidem in c. 3. d. Nouell. 115. & in d. auth. licet, inde desumpta, dari possit quædam correctio, non tamen quoad causas exhæredationum, sed harum causarum respectu, iura potius dici limitatoria, quã correctoria. probatur argumento l. si constante, in princ. solut. matrim. vbi textus dicit, quòd constante matrimonio dos repeti non possit, nisi ex causis ibi positis, ibiq; Bart. & alij concludũt, l. illam esse limitatoriam, non correctoriam. Ita Ias. respondet in d. Authent. licet n. 7. quamuis ipse ibi contrariũ defendat. vbi videto, cui addito, quæ in vtramq; partẽ plenè adducit Ripa in d. l. fi. quæst. 41. C. de reuoc. donat.

QVAE-

QVÆSTIO XCVII.

An Principes, alijq; superiores & Domini terrarum, subditis suis, maximè ignobilibus, edictis, vel proclamatis, etiam pœnalibus, venationis vsum interdicere possint?

I.

ET quidē pro maiori euidentia, & clariori resolutione huius q̄stionis, tres diuersæ opiniones & sententiæ considerari possunt, vna affirmatiua, altera negatiua, tertia distinctiua.

2. Affirmatiuam sequuntur & astruunt illi, quos nominat Fridericꝰ Pruckmannus in Tractat. de Regalib. §. venatio, nu. 7. vt puta Iohan. de Imola. Isern. Aluarot. Præposit. Afflict. Cæpolla. Iacobin. d. S. Georg. Bossius, Iohan. Saison. Chassan. Tiraq. glos. German. art. 61. Landr. lib. 2. Zoanet. VVesenbec. Nicol. Bellon. in locis ibi à Pruckmāno allegatis.

3. Et quod Princeps certis in locis possit

possit subditis suis ingressum, & per consequens, venandi ius interdicere, tenent VVitebergenses in decisionibus suis, part. 4. Rubri. 8. in princ. his verbis. Ob wir wol bekennen müssen/ das Wiltbret schiessen oder fangen/ aus gemeinen Volckrechte/ sintemal es Gott allen Menschen in gemein zu gute geschaffen/ niemandts verbotten/ besondern ein actus meræ facultatis sey/ vnnd derwegen was gefangen/ dem occupanti zugeeignet wirdet/ cum ante occupationem fere in nullius dicantur dominio, auch dahero spitzfündige köpffe der meinung gewesen/ das ein Obrigkeit nicht befügt sey/ solch algemeine Recht/ durch jrgent ein gebot oder vorbot einzuziehen/ So halten wir es doch dafür/ das ein Obrigkeit/ forste vnd gehege anzurichten/ vnd den ingressum, das niemand sol darinne Wildt schiessen/ oder fangen/ inhibieren oder vorbieten kan/ wie dan dieses in offenbaren vbungen/ vnnd gebrauch gehalten wirdet/ Et paulò post subiiciunt: Eaq; opinio nobis verior videtur. Hæc VVitebergenses. Con-

confirmatur autem hæc sententia affirmatiua hisce potissimum rationibus & fundamentis. Primò confirmatur auctoritate sacræ scripturæ, eius scilicet esse bestias, cuius est territorium, dicentis, vti in specie de Nabuchodonosor, Dominus per Hieremiam Prophetam loquitur, Hier. c. 27. vers. 6. & c. 28. vers. 14. & Daniel. c. 2. vers. 38. vnde consequitur, Principē rei suæ legem dicere posse, cum & aliàs quilibet rerū suarum moderator sit & arbiter, per infinita iura & auctoritates adductas à Frider. Pruckm. in d. modò §. venatio. n. 16.

5. Secundò confirmatur argumento ab inutili, ne scilicet permissio venationis indifferens, sit quoddam auocamentum ab agricultura & tota vita rustica, à qua agricolas & rusticos non abduci, imò maximè intentos esse, publicè vtile est, vt scilicet agri colantur, vberioresq; efficiantur. VVesenbec. in parat. de acquir. rer. domin. n. 7. Tiraq. in tractat. de nobilit. c. 37. n. 150. Frideric. Pruckm. d. §. venatio, n. 17. cum allegatis.

6. Et

6. Et hac ratione, in persona rusticorum & agricolarum, multa in iure nostro laudabiliter statuta & sancita sunt, de quibꝰ videatur F. Ripa in tract. pestis c. de remed. præseruat. contr. pest. num. 206. cum multis seqq. quæ omnia, in fauorem agricolarum, & agriculturæ cedunt, de quibus ego aliàs peculiari capite dicam.

7. Tertiò confirmatur, quòd venatio ferarum, præcipuè maiorum, sine armis & tormentis exerceri & expediri non possit: quæ tamen omnibus, multis ex causis (licet consuetudo, exceptis rusticis & plebeis, in contrarium obtinuerit) sunt interdicta: vnde consequitur, & venationem, rectè prohiberi posse. Cum omnia prohibita censeantur, quæ ex prohibito consequuntur. V Vesenbec. d. mod. num 8. Frideric. Pruckman. d. §. venatio num. 19. 20. 21. per iura & auctoritates ibi allegatas.

8. Nec obstat, quod in l. 1. ad l. Iuliam de vi publica, arma in vsum venationis habere licere permissum est. Id enim de venatione arenaria, quæ

histrionico more, à conductis hominibus, in publicis spectaculis depugnando cum bestiis exercebatur, cuiusque tunc temporis maximus apud Quirites vsus erat, vehemensq; delectatio, non de nostra saltuosa & clamorosa, quæ fit in syluis & saltibus, cum canibus & clamore, quæq; non seruit spectaculis publicis, sed potius sanitati, valetudini, & necessitati victus, vestitus, proindeq; non illicita, accipiendum est. Frideric. Pruckman. d. §. venatio, num. 22.

9. Quartò confirmatur hæc prohibitio, ratione vtilitatis, conseruandarum videlicet specierum in animantibus. Cum enim feræ animantes in suo genere sint rariores, quàm cicures, prouidente nimirum ita Deo, ne multitudine ferarum, aut communitas vitæ humanæ, aut agricolatio infestaretur, & damnum faceret: facili deuastari tota species posset, saltem in aliqua regione, si indifferenter cuilibet permissa venatio esset. Vt igitur inconueniens & absurdum illud euitetur, Princeps, ne in-

ne indiscriminatim venatui operam dare cuilibet liceat, rectè edicto cauere poterit. VVesenbec. d. num. 7. Frideric. Pruckman. d. §. venatio, num. 23. Et hoc ab absurdo & inconuenienti argumentum, in iure nostro maximi est vigoris & fortitudinis. vt post Eberhar. in Topi. legal. loc. ab absurdo, multis in terminis comprobat Frideric. Pruckman. d. sæpius §. venatio, num. 24.

10. Quintò confirmatur similiter ab vtili. Hac enim prohibitione, concordia, pax, & tranquillitas inter subditos conseruatur, iurgia verò, lites & contentiones præciduntur. Indifferens namq;, omnibusq; concessus venationis vsus, maximum cædium & latrociniorum est fomentum. Equidem fera istius telo vulnerata, ab illo persequeretur, vel illi fas non esse, hoc in loco venationem exercere, hic contenderet, alijsq; modis infinitis, iurgia, lites, contentiones, & tumultus hanc ob rē moueri concitariq; possent. Quare Princeps, ne ad arma aduenìatur, pax,

tranquillitas & concordia retineatur & conseruetur publica, omnisq; diffidiorum occasio præcidatur, rectè, auctoritatem suam interponendo, & venationem quasi sequestrando, ad se auocat: tùm, quod communio pariat discordiã: tùm quòd Reipublicæ interfit, subditos concordiam alere: tùm deniq; quòd aliàs videamus, iudicem, si inter partes rixam exarsurã, armorumq; strepitum timeat, ob possessionem, de qua lis est, iure facere, si possessionis litigiosæ, sequestrum quasi se faciat, & vtriq; partiei eius possessionis vsu interdicat. VVesenbec. d. nu. 7. Frideric. Pruckman. in d. §. venatio, num. 25. 26. 27. cum infinitis allegatis.

11. Sextò confirmatur. quòd subditi qui à venatione, superioris proclamate arcentur, iniuriam sibi fieri conqueri nequeunt, quia nec dominio, nec possessione aliqua priuantur. Cum in loco aliquo venationi incumbere, actus sit meræ facultatis, vnde nulla possessio, nulla obligatio, nulla deniq; actio

profi-

proficiscitur. Vnde spoliatis nullum competit, ad redintegrandam venationem, remedium. Non possessorium, quia possessione, quam nunquam habuerunt, nec adipisci (cæteris paribus) possunt, spoliati non sint, cum priuatio præsupponat habitum: Non petitoriū, quia nulla adest obligatio, vel quid simile obligationi, qua Princeps astringitur, ne vsum venationis interdicat: Ergò nec actio, cum sine actione nemo experiatur, obligatio verò mater sit actionis, Frideric. Pruckman. d. sæpius §. venatio, num. 28. 29. 30. & 31. cum allegatis.

12. Septimò confirmatur, quòd subditi seu inferiores, mandatis suorum Principum & superiorum, siquidē contra honestatē non sint, obædire atq; obtemperare debēt. Cum itaq; præceptū seu edictū de non venando, contra honestatem non sit, nihil enim subdito, quod suum est, adimit, religioni, & conscientiæ, reiq; familiari nihil detrahit, nec coniugum liberorumq; pudicitiā

violat. Consequens est, subditos huic præcepto atq; edicto sui superioris, in signum præeminentiæ, suæq; submissionis, acquiescere meritò debere. Frider. Pruckman. d. sæpius §. venatio, nu. 32. & 33.

13. Octauò confirmatur, quòd vsu consuetudineq;, hominum memoriam superante, totius Germaniæ receptum est, Principum inuestituris, clausulam: *Et cum venationibus* inseri, vt toto die in inuestituris Principum Germaniæ videre est. Cumq; tali inuestiturarum formulæ subditi sese non opposuerint, sed sub hac figura Principes inuestiri permiserint, cõsequens est, etiam absq; vllo proclamatum terrore, ex sola hac inuestiendi consuetudine, temporisq; immemorialis lapsu, Principibus & nobilibus, taliter inuestitis, vtile dominiũ cum iure alios prohibendi, acquisitum fuisse, Frideric. Pruckman. d. sæpius §. venatio, num. 34. vbi ad hoc allegat Zoannet. in l. 2. n. 169. C. de pact. inter empt. & vendit. compos. & Iacobin. de

S. Ge-

S. Georg. in tract. feud. verb. *& cum venationibus*, num. 9. vbi ita in specie, hac ratione commotus, decidit.

14. Nonò confirmatur, quòd vtile sit Reipublicæ, ne promiscuis actibus rerum turbentur officia, nec alij creditum, alius subtrahat, sed vt quisq; suum faciat, nec sese alienis negociis temerè immisceat. Vt igitur nobiles negociationum quæstibus inhiare, artificiisq; sordidis, & mechanicis operam nauare, minimè decet, ita ediuerso, negociatores & plebeij, sua agere, & venationem ijs, quos decet, relinquere debēt, vt ita decenter omnia, suoq; quæq; loco peragantur. Frideric. Pruckman. d. sæpius §. venatio, nu. 35. 36. & 37. cum multis allegatis.

15. Decimò confirmatur, quòd loca publica eius sunt Principis, cuius est territorium. Vt igitur Dominus loci priuati, ne quis rem suam venandi gratia ingrediatur, prohibere potest. Ita quoque Principem, & quidem multò magis, ne scilicet Princeps deterioris,

quàm priuatus conditionis esse videatur, ne quis in loco publico venatui studeat, licitè vetare posse, dicendum est. VVesenbec. d. nu. 7. de acquir. rer. domin. Frideric. Pruckman. d. sæpius §. venatio. num. 38 & 39. cum allegatis.

16. Vndecimò confirmatur. Cum enim Princeps subditis suis, ex causa dominium rerum suarum auferre possit: multò magis dicendum fuerit, eundem, ijsdem venatione interdicere posse, vtpote quæ tota in spe consistat, & in qua multa, vt venatorem spes fallat, contingere possunt. VVesenbec. d. num. 7. de acquir. rer. domin. Frider. Pruckman. d. sæpius §. venatio, nu. 40. & 41. cum allegatis.

17. Decimò confirmatur, si enim prohibitus per iudicem, fundum alterius, venandi causa, ingredi, prædam suam non facit, sed domino fundi restituere iubetur: multò minus præda eius erit, qui contra Principis edictum venari attentauerit. Frideric. Pruckm. d. sæpius §. venatio, num. 42.

18. De-

18. Decimò tertiò & vltimò confirmatur, argumento à contrario sensu, quod in iure frequentissimum & fortissimum est, ex textu l. vn. ibiq; Az. in sum. C. venat. ferar. lib. 11. desumpto. Dum enim textus ibi, occidendorum Leonum, nulla metuenda calumnia, potestatem facit, (quod, ex identitate rationis, ad similes bestias humano generi & fructibus æquè nociuas, vt sunt pantheræ, apri, lupi, vulpes, & vrsi, rectè extendi poterit) à contrario sensu rectè ex eo colligitur, subditis, alias bestias, tantopere hominibus non nociuas, venari, occidereq; fas non esse, imò contrà facientibus, calumnias metuendas esse, Frideric. Pruckman. d. sæpi 9 §. venatio, num. 43.

19. Idem quoq; probatur, eodem argumento, vtq; pax publica & cõcordia inter subditos conseruetur, quã sæpius venationibus violari & turbari videmus, vt dictũ est suprà in quinto fundamento: Probatur, inquam: lib. 2. tit. 27. de pac. public. & eius violat. §. si quis rusticus 5. vers. nemo retia sua aut

laqueos, aut alia instrumenta ad capiendas venationes tendat, nisi ad vrsos, apros, vel lupos capiēdos, in vsib. feud. Atque ita hunc versiculum, secundum veriorem eius intellectum, accipiunt, Iacobin. de S. Georg. de feud. verb. & cum venationibus, in quarto intellectu (quinq; enim eius intellectus ibi tradit, vt & Cæpolla de seruit. Rustic. præd. c. 21. nu. 8. 9. 10.) & Didac. Couar. in c. peccatum, par. 2. §. 8. de R. I. in 6. & VVitebergenses, in decisionibus suis. part. 4. Rubric. 8. post princ. licet aliis pro negatiua perperam allegatur. Et hæc sunt fundamenta & rationes, certè non contemnendæ, sed alicuius ponderis & momenti, quibus affirmatiua hæc sententia stabilitur & confirmatur, quas post Zōanetum & VVesenbecium, quibus eas acceptas fert, in vnum quasi fasciculum collegit Frideric. Pruckman. in d. sæpius, §. venatio, in locis supra allegatis.

20. Negatiuam verò sententiam astruunt & sequuntur illi, quos nominat & al-

& allegat Frideric. Pruckman. in d. ſæpius §. venatio, num. 8. Et Didac. Couar. in c. peccatum. part. 2. §. 8. mih. pag. 190. de R.I. in 6. Et Laurent. Kirchou. in Theſaur. commun. opin. verb. venationem hominibus ſuis. Item VVitebergenſes in d. ſupra deciſ. 8. poſt princ. vtputa Hoſtiens. Iohan. Andr. Cardin. Flor. Ant. de Butr. Guilhel. Benedict. Emanuel Soarez. Roland. à Valle, Iaſ. Dec. Afflict. citans in eam ſententiam etiam Menoch. Tiraq. Grammat. Rebuff. Stephan. Bertrand. Iacobin. de S. Georg. Chaſſan. Iaſ. Carol. Molin. Henning. Göden. Hier. Schurff. Hartman. Hartmanni, in locis à ſupradictis allegatis.

21. Confirmatur autem hæc ſententia negatiua hiſce potiſſimum fundamentis. Primò confirmatur, quòd libertas venandi ſit iuris naturalis & gẽtium. Ideoq; per Principem tolli eam eam non poſſe, §. Sed naturalia quidẽ, inſtit. de iur. natur. gent. & ciuil. diſtin. 5. in princ. c. vlt. diſtinct. 6. §. feræ igi-

tur, instit. de rer. diuis. l. 1. 3. l. quod in littore, de acquir. rer. domin. l. 1. in princ. de acquir. possess. Quibus Virgilij astipulatur auctoritas lib. 1. Georg.

Tum laqueis captare feras, & fallere visco
Inuentũ, & magnos canibus circũdare saltus.

Item facit huc, quod iure gentium feræ bestiæ, volucres, pisces, & similia animantia, nullius sunt in bonis, ideoque cedere primo occupanti, d. §. feræ instit. de rer. diuis. cum similib. supra adductis. Item quod Cicero ex Chrysippo refert. lib. 3. de finib. his verbis: Cumque hæc animalia communia ipsa natura fecerit, planè licet per eandem naturæ legem cuilibet primõ capienti ea sibi acquirere, sicuti Iurisconsulti annotârunt. Item quod idem Cic. lib. 1. de offic. scribit, his verbis: similisque est priuatorum possessionum descriptio, Ex quo quia suum cuiusque fit eorum, quæ natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat. Facit huc denique Arist. auctoritas, qui lib. 1. πολιτ. c. 5. venationem

inter

inter antiquissima vitæ genera refert.

22. Secundò confirmatur hæc sententia negatiua, quòd non tantum iure gentium ius venandi liberum sit, vt modò dictum: Sed etiam iure Diuino. Genes. 1. vers. 28. vbi scriptum est: Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.

23. Tertiò confirmatur hæc sententia negatiua etiam hac ratione, quòd, cum Princeps in edictis & proclamatis suis vltimum supplicium, pœnamq; sanguinis præuaricatoribus siue trâsgressoribus comminatus sit, eaq; comminatione ita subditos perterruerit, talemq; metum incusserit, vt edictis istis pœnalibus contradicere ausi non fuerint: quasi possessionem iuris prohibendi nunquam acquisiuerit. Cum nemo metu inductus, etsi per longum vel etiam longissimum tempus tacuerit, consentire videatur, sed quamdiu causa metus violentiaque durat, metus quoq; ipse violentiaque durare præsumatur.

Acce-

Accedit & hoc quòd Princeps ob metum hunc illatum in mala versetur fide. Consequens igitur est, ius venandi à Principe nunquam præscriptum, cum sine possessione, vel tali possessione, quam mala fides comitatur, nullo vnquam tempore præscriptio procedere possit, Frideric. Pruckman. d. sæpius §. venatio, num. 50. 51. & 52. vbi hanc rationem multis auctoritatibus firmat, quem vide.

24. Quartò confirmatur hæc sententia negatiua per l. iniuriarum actio 13. §. si quis me prohibet vlt. circa finem, de iniur. vbi dicitur: sæpissimè rescriptum esse, non posse quem citra iniuriam vel piscari, vel aucupari prohiberi.

25. Et hæc sunt fundamenta & rationes præcipuæ, maximeq; vrgentes, quæ pro stabilienda hac sententia negatiua adduci solent. Quas tamen non eius esse momenti, valoris, aut ponderis, vt affirmatiuam sententiam infringere vel expugnare possint, ostendemus,

demus, vbi paucis etiam distinctiuæ sententiæ auctores, & qualis ea sit, recensuerimus.

26. Qui hanc distinctiuam sententiam sequuntur, hi mediam quodammodo viam sequendo, contrarias istas opiniones conciliare, & ad concordiam reducere conantur, hac distinctione, quod prior sententia affirmatiua procedat, si absque causa venatum prohibeat Princeps. Et hanc distinctionem manifestò indicant, non tantum illi, qui pro sententia affirmatiua, sed etiã q̃ pro sententia negatiua, supra adducti fuerunt, vt ostendit Didac. Couarru. in d.c. peccatum part. 2. §. 8. mih. pag. 190. vbi ait, ex hac distinctione, plures Regias constitutiones, ex variis causis, venationes, in locis publicis, prohibentes, & iure & rectitudine iustitiæ defendi posse. Et paulò post subiicit, hac distinctione attenta, inde colligi, non admodum inter se DD. hac in quæstione dissidêre.

27. Cum igitur Princeps nunquam

sine

sine iusta & rationabili causa quid facere præsumatur, consequens est, sententiam negatiuam rarissimè locum habere posse. Frideric. Pruckman. d. sæpius §. venatio, num. 9. vbi infinitis auctoritatibus hanc, quam modò dixi, pro Principe militantem præsumptionem confirmat, quem vide.

28. Nec obstat, si dicatur, Principem contra ius gentium disponentem, sine causa id facere, præsumptionem esse, vt similiter hanc præsumtionem confirmat Frideric. Pruckman. d. §. venatio, n. 10. Nam respondendum est, secundùm eundem ibid. nu. 11. hanc præsumptionem veram quidem esse in his, quæ ex dictamine rationis, passim apud omnes peræque gentes in uiridi sunt obseruantia, & primo iuris præcepto, honestè viuere, derogant: non etiam in his, quæ quidem iuris gentium sunt, haud quaquam tamen tanti ponderis, atque æstimationis, vt est venatio, sine qua subditus quisque sat potest commodè, sat honestè viuere, argumento

c. vbi

c. vbi maius, in princ. de elect. in 6. Et hactenus de auctoribus & fundamentis cuiusque sententiæ & opinionis, consequens nunc est, quod me supra promisisse memini, vt ad fundamentorum, quæ pro negatiua sententia supra adducta fuerunt, refutationem, accingamur.

29. Et primò non obstant, quæ ad confirmandam negatiuam sententiam, primo loco adducta fuerunt. Licet enim iure gentium feræ sint nullius, & fiant occupantis, tamen, quæ communia sunt iure gentium, possunt iure singulari per eum, qui habet potestatem condendi leges vel statuta, certis ex causis fieri priuata, vt multis aliis confirmat Didacus Couarruu. in d. c. peccatum, part. 2. §. 8. mihi pagina 109. cum duabus sequentibus, vbi hoc obiectum his verbis concludit: Hæc igitur collectio siue argumentatio parum valida est. Hoc est iure naturali permissum: Ergò per legem humanam

manam prohiberi nō potest, cum multa sint iure naturæ licita, quæ inspecta Reipublicæ vtilitate, & iuxta æquissimum communitatis regimen, per legem humanā prohiberi possunt. Quod si ita argumentemur: Hoc est iure naturæ prohibitum: Ergò lege humana permitti non potest, valida omninò est, & firmissima argumentatio. Itaque Princeps habens potestatem legis condendæ, venationem prohibere ex variis causis poterit, secundum omnes. Inferior autem à Principe iurisdictionem habens, idem agere poterit ad tempus aliquod, & ex causa iustissima: non quidem per legem, quam statuere non potest, sed per edictum. Perpetuo verò non potest Princeps, qui superiorem habet, prohibere venationem, nisi ius id per immemorialem præscriptionem legitimè acquisiuerit. Atq; ita ad hoc fundamentum rectissimè respondet Couarru. d. modò loco. Quam responsionem referunt etiam & sequuntur

VVite-

VVitebergenſes in deciſionibus ſuis, d. part. 4. Rubric. 8. paulò poſt princ. 30. Poteſt & ita reſponderi, hoc fundamentum pro negatiua primo loco adductum, non procedere iure totius Germaniæ conſuetudinario vltra tempus, quod hominum memoria capi poteſt, introducto, quo Principes Germaniæ, ab Imperatorib. de feudis ſuis Regalibus, vnà cum venatione ſunt inveſtiti. Qua inueſtitura deinde, ceu medio, Principes venationem ſubditis vetârunt, ſubditisq; interdicto acquieſcentibus, venatu ſoli vſi ſunt. Quare venationem vlterius iuris gentium eſſe, rectè non dixerimus. Cum gentium iuri per conſuetudinem maximè, cuius initii in contrarium memoria non exiſtit, ex cauſa ſit derogatum, quæ cõſuetudo valet: Atq; ita reſpondet Frid. Pruckman. in d. ſæpius §. venatio, num. 49. cum allegatis. Eaq; reſponſio cum ſuperiori in effectu parum diſcrepat. Et hactenus ad primum fundamentum negatiuæ ſententiæ reſponſum fuit, re-

stat nunc, vt ad reliqua quoq; eiusdem sententiæ fundamenta, paucis respondeamus.

31. Non obstat igitur, quod secundo loco de dominatu piscium, volatilium, & animalium ex cap. 1. vers. 25. Genes. adductum fuit. Nam dominatū illum, de quo in d. vers. in venatu consistere omninò negandum videtur. Sed hoc sibi velle dominatum istum credimus, vt ferocissima quæque bestia sit, hominem tamen expauescat, & ceu dominum suum reuereatur. Et hæc sententia istius dominationis comprobari videtur in eadem Genesi c. 9. vers. 2. his verbis: Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis quæ mouentur super terram. Atq; ita non incommodè ad hoc fundamētum respondet Frid. Pruck. in d. sæpius §. venatio, nu. 47.

32. Non obstat similiter, quod tertio loco pro confirmanda sententia negatiua adductum fuit. Nam quod ibi de

de causa metus, eiusq; duratione dicitur, tantisper verum est, quantisper per subditos non stat, vt ad superiorem recurrendo, proclamata ista pœnalia refigi faciant. Quare cum subditis, iuribus suis, vel priuandis à Principibus, vel durius tractandis, ad Cameram Imperialem, vel ipsum Imperatorem, pateat recursus & refugium: ipsi verò ad Cameram vel Imperatorem minimè prouocarint, liberæ voluntatis & renũciationis, qua in Principes suos omnem venatus potestatem transferunt, signum haud obscurum edunt. Vt igitur scientibus & consentientibus, nec iniuria, nec dolus, sic nec metus fieri videtur.

33. Et quæ circa idem fundamentũ de possessione dicta sunt, licet prædicta ratione, quod metus sc. subditorum taciturnitate purgatus sit, concidant: tamen & alio modo demoliri possunt. Certum enim est Principẽ, proclamatis suis, detentionem venationis acquirere. Iam verò sufficit à primordio

in detentione esse, cui si deinde domi-
ni voluntas accesserit (quod in præsen-
ti casu, dum ad superiorem subditi non
recurrunt, fit) quin detentio, in posses-
sionem, ad præscribendum legitimam,
uertatur, dubium non est.

34. Hinc cautela pro principibus,
terrarumq, dominis traditur, vt prohi-
bitiones venationum faciant per ban-
na & proclamata pœnalia, quibus
subditi non contradicant, sed propter
talia proclamata à venando desistant,
domini per hoc in quasi possessione
prohibendi constituũtur, etsi per lon-
ga tempore subditi acquiescant, domi-
nus tale ius prohibendi præscribit. Si-
miliq; modò econuerso alia cautela
pro subditis traditur, vt à tali banno
seu proclamate, quàm primum eis in-
notuerit, prouocent & adpellent, seq;
ei opponant, vt hoc modo tuti sint, ne
prohibitioni adplaudere vel assensisse
videantur. Et has duas cautelas pro
dominis & subditis, tradunt, Iacob. de
S. Georgio de feudis, in vers. & cum ve-
natio-

nationibus, num. 2. Rolan. à Valle, consil. 9. numer. 14. 15. & 16. volum. 2. Thomas Grammat. in decis. Neapolit. decis. 67. nu. 13. 14. Fr. Balbus in tractat. præscript. quarta parte quintæ partis princ. q. 5. nume. 4. Et Chass. in consuet. Burg. Rubric. 13. §. 7. nu. 4.

35 Porrò, quod de mala fide, siue rei alienæ scientia, circa idem fundamentum dicitur, de ea sic habendum. Quod ea demum rei alienæ scientia, præscriptioni noceat, quam comitatur domini, aduersus quem præscribitur, voluntas. Quòd si scio, rem esse alterius, illam verò à me sciente & patiente domino, vel verè, vel præsumptiuè (vti in nostro casu) possideri crediderim, isthæc rei alienæ scientia, præscriptioni minimè nocebit. Deniq;, cum hic agatur de præscriptione actionum personalium, bona vel mala fides præscribẽtis nõ attenditur, sed solummodo eius, qui præscribi patitur, scientiam & negligentiam requirimus. Atq; ita ad tertium etiam hoc fundamentum rectis-

simè & doctissimè meo iudicio, respondet Frid. Pruckman. in d. §. venatio, nu. 53. 54. 55. 56. & 17. cum ibi allegatis.

36. Deniq; non obstat, quod quarto & vltimo loco pro confirmanda sententia negatiua adductum fuit. Hoc n. de prohibitione priuati hominis accipiendum est, non verò de prohibitione quæ fit ab eo, qui in isto territorio, merum mixtumq; imperium habet. Ita respondet Frid. Pruckma. d. sæpius §. venatio, nu. 12.

37. Et licet quis vlterius vrgendo obiiciat, negari sc. non posse, quin tamé aliqua hac prohibitione subditi iniuria afficiantur, quin lædantur, quin detrimentum capiant: ei respondendū est, olim hanc obiectionem gentium iure obtinuisse, iureq; ciuili vetustiori, contrarium verò hodierno iure consuetudinario introductum esse. Qui enim Princeps quem subditorum prohibendo aggrauaret, cum solus hac die venationibus, per summum Principem inuestiatur, cum vltra hominum memoriam,

moriam, hoc prohibendi iure vsus sit, nemo verò, qui iure suo vtitur, alium iniuria afficiat. Ita Frideric. Pruckman. d. sæpius §. venatio, num. 60. per ibi allegata.

38. Atq; ita non obstantibus fundamentis pro contraria sententia negatiua adductis, affirmatiua verior est, quã tamen ita exaudiri velim, vt iusta, legitima, probabilis, & rationabilis prohibitionis causa subsit, quam semper in Principe adesse præsumimus, vt supra ad distinctiuam sententiam fusius dictum fuit, quò lectorem remitto. Idq; primæ limitationis loco, ad sententiã affirmatiuam notandum erit.

39. Sed & ita eandem intelligi & exaudiri velim, vt nõ procedat, si proclamati inhibitorio subditi statim contradixerint, seq; in venatu, iure gentium communi, tutati fuerint, protestantesq; superiorem appellauerint, vt in refutatione tertii fundamenti pro negatiua adducti, plenius ostensum fuit, quò similiter lectorem remitto.

Et hoc secundæ limitationis loco ad sententiam adfirmatiuam notandum erit, Frideric. Pruckman. d. sæpius §. venatio, num. 61. vbi hanc limitationem retulit, & fundamentis, partim remissiuè, partim positiuè, adductis, cõfirmauit, quem vide.

40. Deniq;, ita eandem exaudiri velim, vt Princeps pœnam sanguinis edicto insertam exequi non possit, licet, vt maioris apud subditos ponderis sit, hãc contrafacientibus comminari queat, vti hoc expressim, & in specie decidit Zoanet. in l. 2. num. 192. C. de pact. int. empt. & vendit. composit. vnde id refert & sequitur Frider. Pruckman. in d. sæpius §. venatio, nume. 62. Quod tertiæ limitationis loco, ad prædictam sententiam negatiuam notandum erit. Et ego hac de re fusius in sequenti quæstione dicam.

41. Igitur, (vt tandem semel hanc disputationem concludamus) si Princeps proclamate publico pœnali, venationem inhibuerit, cui subditi non reclama-

clamarint, sed quò pœnam euitarent, à venationis exercitio abstinuerint, temporisq; in id definiti, puta triginta annorum, meta cucurrerit, Principi huic iuris prohibendi quasi possessio exoritur, & venatio à subditis perditur, vt præter Doctores plærosq; pro affirmatiua sententia supra recitatos, idipsum tradidêre Fr. Balb. in tract. præscript. in d. quarta parte, quintæ partis prin. q 5. nu. 4. & Rolan. à Valle, d. cons. 9. num. 14. volum. 2.

QVÆSTIO XCVIII.

Quomodo puniendi sint, qui in Principum syluis & foreſtis, in Forst vnd Gehege / *vt adpellant, contra mandatum siue edictum, venati fuerint,* wie die zustraffen / welche in einem Forst vnd Gehege / wieder außgegangene der Obrigkeit Mandat vnd Verbott / Wilpreth geschossen oder gefangen?

I.

ET pro clariori resolutione huius quæstionis duo casus principales distinguẽdi sunt. Aut enim in edicto prohibitorio nulla certa pœna diffinita & expressa est: Aut verò certa & specifica pœna diffinita & expressa est.

2. Primo casu wenn die Straffe nicht specificè vnd außtrücklich gesetzt / Sondern bey vermeidung vngnaden / vnnd höhesten ernstlichen straffen / Wildt zuschiessen oder zufahen / durch die Obrigkeit verbotten ist / So helt man sich billig / der Straffe gemeiner Rechte / Als weñ nach Peinlicher art verfahren / das die Straffe arbitraria vnd wilkürlich sey / zeitliche Gefengknus / zimliche Geltstraffe / oder verweisung auff zwey oder mehr Jahr / Wenn aber ciuiliter auff einen Abtrag geklagt wirdt / so stehet die moderation bey dem Richter. Certũ namq, est, quòd Iure ciuili hoc casu competat actio iniuriarum, per textum expressum in l. iniuriarum 13. ff. si quis me prohibet 7. de in-

de iniur. Et plenius traditur per Cœpo. c. 21. de seruit. rust. prædior.

3. So ist auch diß eine grosse vrsache/ warumb in gegenwertigen falle keine gewisse Ordinari straffe sein kan/ weil die Personen/ vñ verbrechung allewege nicht gleich seind/ Etliche haben hohes Wildt/ offt vnd viel/ Etliche ein oder zweymahl/ Etliche Hasen/ vnnd klein wildt in gehegen geschossen oder gefangen/ Weil denn die felle vnd verbrechung nit gleich/ so kan auch die straffe nicht gleichförmig sein/ besondern bleibt in eines jeglichen Richters wilkürlicher erachtung billich.

4. Sed hic difficillimum exurgit dubium, num in actione iniuriarū criminaliter intentata, pœna arbitraria ad mortem extendi possit? Hanc quæstionem in vtramq; partem, adductus fundamentis & rationib. disputat Rober. Maran. in aureo suo speculo, quæst. siue disput. 3. Decius & Felinus in cap. ex literis 11. de constitut. extra. Vnde quæstio ista tàm dubia redditur, vt decisione Cæsarea opus habere vi-

dea-

deatur, vt Maran. ibi loquitur, num. 14. in fin. Vbi tamen ipse affirmatiuam sententiam magis communem reputat, quod videlicet in arbitrariis, pœna mortis imponi possit.

5. Et auctoritate Marantæ moti quidam, in præsenti casu existimant, Wenn gleich die Straffe specificè im Mandat nicht außgetruckt / das dennoch nach gelegenheit jhrer Verbrechung / vnd wo sie es offt geübt / künnen am Leben / als mit dem Strange / gestrafft werden.

6. Verùm, licet Maranta affirmatiuam opinionem communiorem existimet, tamen eam sex modis limitat, restringit & declarat. Et inter alia limitatur & declaratur, vt tunc demum pœna arbitraria ad pœnam mortis porrigi & extendi possit, si delictum sit adeò graue & atrox, vt attentis ipsius circũstantiis, pœnam mortis mereatur, veluti si quis magistratum suum, præsertim in iudicio, percusserit. Hic enim ex circumstantia personæ, & loci, iniuria repu-

reputatur atrociſſima, ita vt ad pœnam ſanguinis deueniri poſſit, Marant. d. mod. loc. in ſecunda limit. num. 17. cum ibi allegatis. Nun kan aber nicht geſagt werden / das Wildt ſchieſſen vbers Verbot ein ſo groß delictum ſey / darumb das Leben künne verwirckt werden / Aldieweil auff eins andern Grundt / vber verbott Wildtpret ſchiſſen oder fahen / allein ein iniuria iſt / & priuatum, & nō publicum delictum, per text. d. l. iniuriarum 13. §. ſi quis me prohibet 7. de iniur. Derowegen were ſehr ſchwer / dieſesfals den Theter am Leben zuſtraffen / maximè, cum Iudex debeat arbitrari ſecundum regulas iuris communis ſcripti.

7. Limitatur etiam ſupradicta ſententia affirmatiua, vt non procedat, quando lex vel ſtatutum expreſsè arbitrium iudicis refrenat. Tunc enim mortis pœnā arbitrari non poteſt. Marant. d. mod. loc. in tertia limitatione, num. 18. Nun verbeut aber das Sachſen Recht / (quod ius eſt ſtatutarium) klar vnd außtrücklich / Das kein Menſch vmb

Fiſch /

Fisch / Vogel / oder wilde Thier / sol an seinem Leben gestraffte werden. Landr. lib. 2. art. 61. in princ. his verbis: Do Gote den Menschen geschuff / da gab er jhm Gewalt / vber Fisch vnnd Vogel / vnnd vber alle wilde Thier / darumb haben wir des Vrkundt von Gott / das niemandt seinen Leib / noch seinen Gesundt / an diesen dreyen verwircken müge. Ergò stante hoc iure, pœna mortis hoc casu locum habere non potest. Vnnd ob sichs gleich ansehen lesset / das folgende diese Wordt itzo geregten Artickels: Doch sind drey Stedte die man Heiden nennet in dem Lande zu Sachsen / Als die Köyne / der Hartz / die Maget / oder Prettinische Heide / da den wilden Thieren friede gewircket ist bey Königs Ban / den Verbrechern das Leben absprechen: So sein doch solche wordt vermüge des Texts nur von höhesten Wette des Königs Bans / das sindt sechtzig Schilling zuuerstehen / vt à glossatore ad verbum, Doch sind die Heiden / rectè est annotatum, quem, iuncta ibi Apostilla marginali, videto.

Item

8. Item limitatur supradicta opinio affirmatiua, vt non procedat, si iudici simpliciter datum sit, arbitrium puniẽdi, tale, vel tale delictum, cuius pœna in iure non est expressa: tunc enim nõ potest facere crimẽ capitale, quod per se non est capitale: nec potest imponere pœnam mortis, vbi crimen per se, & de sui natura non est capitale, Marant. d. mod. loc. in quinta limitatione, num. 19. Felin. in d. c. ex literis 11. vers. quarta declaratio, nume. 25. cum ibi allegatis. Weil denn Wildtpret fahen oder schiessen/für sich selbst in keinem Recht am Leibe gestrafft wirdet/ So kan auch die Obrigkeit in jrem arbitrio keine capitalem setzen/statuiren oder irrogieren.

9. Et pro hac parte facit optimus & humanissimus textus in l 11. in princ. de pœn. vbi Martianus inquit. Respiciendum est iudicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quàm causa deposcit. Nec n. aut seueritatis, aut clementiæ gloria adfectãda est, sed perpẽso iudicio, prout quæq; res expostulat,

statu-

ſtatuendum eſt. Planè in leuiorib. cauſis, proniores ad leuitatem iudices eſſe debent, in grauioribus pœnis ſeueritatem legum, cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi.

10. Item huc pertinet, quod Vlpianus ſcribit in l. 13. eod. tit. his verbis: hodie licet ei, qui extra ordinē de crimine cognoſcit, quam vult ſententiam ferre, vel grauiorem, vel leuiorē, ita tamen vt in vtroque moderationem non excedat.

11. Cum igitur hoc caſu noſtro, pœna duntaxat arbitraria locum habeat, eaq; ex ſupradictis fundamentis ad pœnam mortis ſiue ſuſpendii extēdi nō poſſit: Demnach ſchlieſſen die Witebergenſes in jren deciſionibus, ex ſupra enumeratis fundamentis, part. 4. Rubr. 8. de pœna capientium feras in alieno fundo, Das nemblich zū höheſten der jenige / welcher mehr den einmal mit Wildtpreth ſchieſſen verbrochen / nicht am leben zuſtraffen / beſondern das zum höheſtē die ewige Landsverweiſung mit ſtaupenſchlegen jme auffzuerlegen ſey.

Sunt

12. Sunt etiam, qui volunt hoc casu, maximè si sæpius & grauius aduersus hoc edictum commissum & peccatum fuerit, præter pœnam fustigationis & relegationis, delinquentem, cauterio vel ferro candenti vel ignito in fronte vel maxilla, signari ac notari. Et pro hac sua sententia confirmanda allegant glossam Weichb. art. 38. & glos. Landr. lib. 2. art. 13. vers. geschicht aber Diebery/ ibi deciditur, das die Diebe/ vmb gering dieberey willen/ wan sie den strang nicht verdienet/ mügen gesteupet/ jnen ein Ohr abgeschnitten/ oder im backen/ oder stirn ein zeichen gebrandt werden müge/ vt scilicet per hoc signum dignosci, & malitia eorum omnibus extraneis innotescere possit. Refert Ludoui. Fachs. lib. 1. differ. iur. ciuil. & Sax. differ. 66. & Benedict. Reinhard. lib. 2. differ. pœn. differ. 7. Referunt item VVitebergenses in suis decisionibus d. part. 4. Rubr. 8. qui tamen, glossis istis non obstantibus, in superiori pœna relegationis & fustigationis hoc casu acquiescunt, &

iuxta prædictas gloſſas pronunciare reformidant tum quòd prædictæ gloſſæ, nulla iura pro fundanda hac ſua deciſione adducunt: tum, licet dicatur, has pœnas per prædictas gloſſas introductas eſſe, quod tamen hodie à Scabinis de conſuetudine non ſeruentur. Vnd ſolchs aus den vrſachen / das fürnehme Rechtsgelahrten dahin ſchlieſſen / vnd der meinung ſeind / das ein Statut oder gewonheit / welche ſolche ſtraffe aufflegen / irrationabile, vnnd zu Recht nicht beſtehen müge. Ita expreſsè concludit Angelus in l. ſi quis in metallum 17. C. de pœn. & Alexand. in addit. ad Bart. in l. cum diuerſis, de relig. & ſumpt. fun. Refert & ſequitur Maranta in ſpeculo ſuo aureo, part. 4. diſt. 2. num. 5. & 8. vbi reiicit conſtitutionem Regni Neapolitani, quæ talem pœnam imponebat, & dicit eam in praxi non fuiſſe ſeruatam. Idem quoque in iudicio Cameræ imperialis concluſum fuiſſe admonet Mynſing. cent. 2. obſ. 46. Deniq; ob id vel maximè ſupradicta pœna ſeruari non

non debet, quod in d. l. si quis in metallum 17. C. de pœn. expresse prohibita sit, hac notabili ratione addita, quòd facies hominis, ad similitudinem pulchritudinis cælestis figurata, maculari non debeat. Et ibi glossa dicit, non posse aliquem pro pœna bullari in fronte.

13. Sunt tamen, qui existimant, in certis casibus, pœnam στιγματίας locum habere, quos casus collegit Petr. Duen. reg. 290. Et probatur hæc pœna Iure Pontificio in Clerico, qui falsum in sigillo Principis commiserat, c. ad audientiam 3. pe crimin. falsi extra. Et notat apostilla ad Ludouic. Fachs. lib. 1. differ. Iur. ciuil. & Sax. d. differ. 66. aliquando conclusum fuisse, das nach gelegenheit der verbrechung/ solche Brandtzeichen sollen erkant vnnd gesprochen werden.

14. Sunt etiam, qui volunt, eos, qui sæpius contra edictum venati fuerint, ad perpetuum carcerem condemnari. Sed & horum opinionem VViteber-

genſes in deciſionibus ſuis, d. part. 4. Rubric. 8. reprobant: tùm, quòd in d. art. 61. lib. 2. Landr. in princ. expreſsè cautum ſit, das niemand ſeinen leib/noch ſeine gesundt an Viſchen/Vogelen/vnd Wilden thieren/verwircken müge. Weil aber mit ewiger gefengknus/leibs geſundtheit benommen/vnnd das leben verkürtzet wirdet/ſequitur, quod vna via non licet, nec alia permiſſum eſſe: Tùm etiã, quòd iure communi, pœna perpetui carceris, exceptis paucis caſibus, quos refert Bald. in l. incredibile, C. de pœn. prohibita ſit. Carcer enim regulariter non pœna, ſed cuſtodia eſſe debet, per text. expreſſum in l. aut damnum. §. ſolent præſides, & l. in mandatis, de pœn. Angel. Aretin. in tract. malefic. in verb. qui iudex, verſ. quæro an iudex ſecularis.

15. Ex his igitur omnibus concludo cum VVitebergenſibus in hoc primo caſu, cum pœna, edicto venationis prohibitorio, expreſsè inſerta non eſt, pœnam arbitrariam locum habere, puta relega-

relegationis cum fustigatione, mulctæ pecuniariæ, vel simile, pro ratione circumstãtiarũ eamq; ad pœnã mortis vel aliam corporis sanitatisq; afflicturam, puta σιγμαλίας, perpetui carceris, & similium, porrigi & extendi non posse. Atque ita primo superioris distinctionis membro satisfactum existimo.

16. Quod ad secundum casum principalem superioris distinctionis attinet, cum videlicet edicto prohibitorio certa & specifica pœna diffinita & inserta est, vt puta, Wan eine Obrigkeit bey straffe des lebens vnnd dem strange / verbotten hette / sich jhrer forst / gehegen vnnd wildtbanen / darinnen die wildbredt zuschiessen / sich zuenthalten / quæstionis est, Ob die Gerichte vnd Schöppenstule / solche straffe zuerkennen schuldig oder nicht.

17. Et quidem huius pœnæ illustre exemplum extat, post speculum Saxonicum, mih. fol. 528. sub Rubric. von straffe der wiltbredtschediger / so wieder außgangene Mandat / wiltbredt geschossen / worin die Schöppen zu Leipzig auff

Churfürstlichen Mandat den strang einẽ zu erkandt / verba sententiæ hæc sunt. Vnser freundtlich dienst beuorn / Namhafftiger guter freundt / als jhr vns bericht gethan / wie es vmb vnsers gnedigsten Herren N. N. Mandat / der vorbottenen wildtführen halben / eine gelegenheit hat / nemblich / das dasselbe alle wildtführen vnnd gehegte Wälde in seiner Churfürstlichen Gnaden Lande / vnd Fürstenthumen begreifft / vnd das es insonderheit auff m N. an die Kirchen vnd das Rathhauß angeschlagen vnd Publiciert / dahin N. gepfarret gewest / auch sonst wochentlich dahin kommen / seinen lohn zuholen / essen vnd drincken zukauffen / das er also dieses Mandats nicht vnwissent habe sein konnen / aber er hab solchem Mandat zuwider in den vorbottenen wildtführen / vnd gehegen des ampts N. zwene Hirschen / zwey stück Wildes / vnnd ein Rehe vor sich allein geschossen / vnnd seine gesellen haben acht stück Wildes geschossen / dauon er auch seinen theil bekommen / zu dem allen er sich thut bekennnen / nach

ferneren

fernerm inhalt ewers berichts / darüber jhr vnser Rechts belernung gebetē / Demnach sprechen wir Schöppen zu Leipzig darauff vor Recht / würde gedachter N. vor Gericht auff solchem seinem bekantnus freywillig beharren / vnd insonderheit gestendig sein / das jhm das Churfürstliche Mandat bewust gewest / so würde er vermüge desselben Mandats / mit dem strange vom Leben zum Todte gestraffet / von Rechts wegen / zu vrkunde mit vnserm insiegel versigelt.

18. Cæterùm VVitebergenses, hæc mandata nunquam probare, aut secundum ea pronunciare voluerunt, sed semper arbitrariam pœnam, etiam hoc casu, retinuerunt, vt ipsimet fatentur in d. Rubric. 8. part. 4. Moti hisce potissimum fundamentis & rationibus.

19. Primò, das in Göttlichen / natürlichen vnnd gemeinen Keyser / oder auch Sächsischen Rechten die jagt auff eines andern grunde nicht verbotten / vnnd weil die Wildē thier Gott in gemein geschaffē / vnd dieselben / ehe sie geschossen oder ge-

fangen/ in keines Menschen eigenthumb seind/vnd jtz an dem/ vnnd balt an einem andern ort/ Wan aber derwegen ein verbot geschicht (Quamuis multi teneant, quod prohiberi venatio, præsertim in perpetuum, non possit) vnnd jemands dawieder gehandelt/ talis tenetur iniuriarum, nach welchs delicti priuati gelegenheit/kein Richter oder Obrigkeit/die straffe auff benemung des lebens oder leibes gesundtheit erstrecken kan/ vt supra fusius dictum.

20. Zum andern/ so seind die Wilden Thier ante occupationem in nullius dominio §. feræ, instit. de rer. diuis. vnd es hat die art das es nicht stille stehet/ sondern gehet von einem ort zum andern/ weil es dan vngewiß/ob es des orts/da es geschossen/geblieben were/ vnnd darumb ante occupationem in nullius dominio ist: So were abermahl sehr hart in solchen zweiffelhafften fellen/ die straffe des lebens zuuerordenen. Dann ob wol billich ist/ die verbrecher solcher Mandaten/zustraffen/ so sol doch die straffe also mode-

moderiert werden/ das darinne nicht zu viel geschicht/ d.l.respiciendum 11. & d. l.13.hodie,de pœnis. Pœna enim commensuranda delicto, vt habetur in l. sancimus C.de pœ.

21. Fürs dritte/weil in d.Art.61.Landr. lib. 2. außdrücklich verordnet/ das kein Mensch seines lebēs gefahr oder gesundtheit/an Vogeln/Vischen/Wilden thieren/kan verwircken. So gebüret es nicht/ die straffe zu scherpffen/vnd das leben derwegen den Menschen zunehmen. Quia iudex seu Magistratus,in pœnalib. debet præcise seruare pœnam expressam, nec potest maiorem imponere,text.in l.aut damnum §.1. ibi, animaduerti gladio oportet,de pœnis. Non enim permittitur Magistratui, quando pœna certa est,aliam prohibitam statuere. Quod plurib.confirmant Angel. Castr. & Ias. in l. si quis mihi §.1. de acquir. hæred. Aret.in §.fi.instit. de satisda.tut. Tiraq. statim in principio, de pœnis, per hæc verba: Non statim atq; iudex in quempiam habet ius vitæ necisque, liberum

ei est passim quos voluerit, morti adiudicare, sed eos tamen, quos lex vel consuetudo primum condemnauerat. Sicuti nec eius est arbitrij, eos redimere, vel mitius punire, qui ex lege vel consuetudinis præscripto, cõdemnati fuerint, aut vltimo supplicio addicti, vel alteri pœnæ duriori. Nam vbi est certa pœna à lege vel consuetudine statuta, eam non potest iudex remittere seu aliter mutare aut arbitrari l. 1. §. 1. ad SC. Turp. c. de causis vbi DD. offic. delegati c. licet, vbi glos. in verbo pecuniariam, de pœnis, facti n. quæstio in arbitrio est iudicantis, pœnæ verò, executio non eius voluntati mandatur, sed legis authoritati reseruatur, & pœna à iure statuta, retractari non potest, l. si quæ pœna, de verb. sign. Et quamuis iusta ex causa Magistratus pœnam possit augere, minuere, & etiam remittere, l. & si seuerior, vbi glos. & DD. & l. si hominem, mandati: Tamen in proposito, causa iusta, ratione delicti non videtur

detur subesse, ob quam, pœnam possit extendere iudex ad mortem, per ea quæ supra ad primum casum copiosius dicta fuerunt.

22. Quartò, pro his faciunt etiam quod præceptum Magistratus, quo subditis aliquid præcipit sub amissione bonorum, nõ valeat, sed iure improbatur, nisi ex tali causa fiat, ob quam i9 priuet vasallum vel subditum bonis, vt tradit notabiliter: Alex. cons. 103. lib. 1. nu. 14. cum sequenti. Nam pœna non potest imponi, nisi hoc lex voluerit, per text. in Authen. de non eligend. secund. nubent. §. cum igitur, vers. sicut enim patres, ibi, nec quælibet lex est qui hoc dicit, ac quam plurima ad hoc propositum congessit Tiraq. in repetit. leg. si vnquam in vers. reuertatur num. 249. cum multis sequentib. & num. 151. vbi deducit text. quem dicit esse optimum, in c. is qui, de sentent. excom. in 6.

23. Quintò facit huc argumentũ ab Authoritate desumptum, quod in iure vali-

validum est, vt multis probat Eberhardus in Topic. legalib. loco ab authoritate. Nam Tiraq. in 37. cap. de nobilitate nu. 150. vbi allegat quosdam DD. volentes, quòd Reges & Principes, subditis prohibere non possint venationē, addit postea hæc verba: Sed proh dolor nunc etiam simplices (vt ita dicam) & infimi nobiles, id sibi ius vendicant, imò verius vsurpant, ius scilicet venandi vbilibet suis subditis prohibendi, & quod deterrimum est, morte mulctant eos, qui venationi, illis insciis, aliquando vacauerint. Et Franc. Zoannetus in repet. l. 2. C. de pact. int. empt. vend. compositis num. 192. Ibi cum præmisisset de principib. qui pœnam capitalem venantib. sanciunt, superaddit his verbis, ex me fortè si quæres, num seueriorib. hisce, morte puta, suppliciis, venationes suas contra subditos nobiles valeant vindicare, responderem, si, me arbitro, nobiles cum plebeis certarent, vt paulo minorib. pœnis, grauib. tamen vtcumq; ius illud suum, & cum aliquo tempe-

temperamento, persequerentur, iuxta l. respiciendum, in prin. de pœnis. Nam planè nollem, pro fera aliqua, hominē ad Dei imaginem creatum, saluatoris Christi membrum, protinus mactari, quod n. olim commune omnibus fuit, soli nunc nobiles habent ipsi. Etsi iure optimo habeant, meminisse tamen illos decet, de populorum personis, in ipsos lege translatum, parcius in subditos, hoc præsertim nomine, si non alio, sæuiendum. Argumento l. si iudex, in fin. de iureiurando. Sin verò, vt non rarò accidere solet, delinquerent nimis & sæpè populares, & à furtis ferarum non sibi temperarent, supplicia tū nonnihil in illos exacerbanda procul dubio fore. Et pœna vnius deberet esse plurimorum metus, l. aut facta §. fi. de pœnis. Hæc ille, qui pœnam relinquit in arbitrio iudicis, ita tamen, ne quisque Christianorum, ob feram captam, vel interfectam occidatur. Cum hoc iure antiquo & primæuo omnibus commune fuerit. Poterit etiam Princeps

ceps sub comminatione sanguinis pœnæ venationem subditis interdicere, vt hac ratione edicta illa maioris apud subditos sint ponderis, exequi tamen pœnam comminatam nequaquam. Et Zoanetum hac in parte sequitur etiam Frideric. Pruckman. de Regal. §. venatio, num. 62. vbi hanc opinionem dicit esse æquissimam, Scabinorum verò Lipsensium sententiam, de qua supra mentio habita fuit, iuri & rationi dissentaneam.

24 Sextò huc facit, quòd Princeps humanæ sortis memor, cogitare debeat animam hominis, quibuslibet rebus precioſiorem, omniaq; creata, hominis gratia à natura cõdita esse: Quod multis auctoritatibus probat Frideric. Pruck. d. §. venatio, nu. 64. & 65.

25. Deniq; subditi, q. Christiani nominis verè esse cupiunt, obnixè operã dare debent, ne Principis irã, ius suum peruicaciter defendendo, irritent in se, memores, superiorum edicta, etsi rigorem sapiant, toleranda attamen esse,

esse,ne,qui Principi resistit, Dei ordinationi resistere se,haud impunè experiatur. Frideric. Pruckman. d. §. venatio,num.66.per c.13.epist.Pauli ad Roman. vers.2. Et tantùm de hac quæstione.

QVAESTIO XCIX.

Quæ sit legitima coniugum?

I.

QVOD ad coniugum legitimam attinet, sciendum, coniugum superstitũ pauperum, in bonis decedentium diuitum legitimam esse quartam, si tres vel pauciores liberos defunctus relinquat: vel virilem, si plures, quam tres liberi adsint, Authent. præterea, C.vnd.vir.& vxor.

2. Secundum statuta & consuetudines locorum, coniugum legitima in quibusdam locis est semis, in quibusdam triens, in quibusdam quadrans.

3.In

3. In territorio electoris Saxonici, quando non adsunt pacta dotalia, statuta, vel consuetudines, vxor sortitur quartam, si maritus post se relinquat liberos, tertiam, si nulli liberi supersint, vt est in nouis constit. electoris, part. 3. c. 20. Maritus verò lucratur bona mobilia, exceptis vtensilibus, siue bonis ad Geradam spectantibus, Landr. lib. 1. art. 31. & lib. 3. art. 76. constit. Elector. part. 3. c. 21. 22. 23. 24. & 25.

4. Ad talem autem successionem non admittitur, nisi consummato matrimonio per ingressum thori nuptialis, hoc est, vt loquimur, che sie dz Braut bette beschritten/vnnd Ehelich beygelegen haben/ Landr. lib. 1. art. 45. & 31. & lib. 3. art. 76. Ideoque ab electore Saxonico constitutum, sponsum non debere succedere sponsæ, si sponsa moriatur ante nuptias, vel in die nuptiarum, matrimonio nondum consummata per ingressum lecti coniugalis, vti est in nouis constitutionibus part. 3. nu. 19.

QVAE-

QVÆSTIO C.

An dignitas Doctoralis, officiat nobilitati, vel, num tituli, gradusq; Doctoralis adsumptio, nobilitatem dedecoret & offuscet?

QVoniam hanc quæstionem, vt & eam, qua quæritur, vtrùm secundum ius scriptū, an verò sine legibus, ex arbitrio Magistratus, iudicandum sit, eruditissimè peculiari quadam oratione, enucleauit, clarissimus & nobilissimus Iureconsultus Dominus Ioachimus Mynsingerus à Frundeck, piæ recordationis, cum mihi in Illustri IVLIA Academia, ante octennium, gradus Doctoralis insignia conferret, ideò placuit, pro resolutione præsentis quæstionis, orationem istam, hic verbotenus subiicere, quam multis non ingratam fore, iudico, præsertim, cum non ignorem, à non paucis eam hactenus auidè expetitam fuisse.

Tenor verborum orationis Mynsingeri.

SI præsentem hanc concionem, magnifice Domine Prorector, viri, quotquot adestis, dignitate, stemmate, eruditione, insignes, cæteriq; auditores humanissimi, si præsentem, inquam, hanc concionem, mea sponte ingrederer, iure quidem, temeritatis accusari me posse, non diffiterer, vt qui neque ingenio, quod mihi semper per exiguum fuit, neq; arte aut studio dicendi, neq; vsu & exercitatione valuerim vnquam præter cæteros. Accedit etiam in hac deuexa mea ætate, & vires ingenij, multum difficere, & memoriã ferè iam labascere, vt ab huiusmodi publicis, in tàm augusto doctissimorum ac celeberrimorum hominum cõfessu, declamationibus, iure mihi abstinendum esset, & auditoris potius, quàm orantis officio, fungendum. At verò

verò, cum ad hãc dicendi prouinciam, non vltrò mea voluntate, sed amplissimi ordinis iuridici huius Academiæ IVLIAE precibus, & auctoritate adductus, deuenerim: est sanè, quò mihi ab æquis auditoribus, danda sit venia, melioreque mente, extemporalis hæc oratiuncula, accipienda: Siquidem, cum obœdientia, meam inertiam ac ingenij imbecillitatem, quàm cum indecenti renisu, contumaciam exhibere malui. Sumus autem, quod felix, faustum, ac salutare sit, in hac nostra oratione, candidatum hunc adstantem, in desiderata legalis scientiæ cellaria introducturi, eique magnifica illa, quæ iustitiæ, ciuiliumque studiorum cultoribus, pro exantlatis ipsorum laboribus, rependi solent, præmia, collaturi. Id verò, nulla habita præfatione, & illotis, (vt iuris prudentum prouerbio vtar) manibus aggredi, sanè piaculum foret. Quanquam autem in more positum esse, institutoque maiorum,

non ignorem, vt hi, qui in ſolemnib. eiuſmodi actionibus, creandi iuris vtriuſq; doctores, ad dicendum progrediuntur, ſtatim à limine, non pauca de iurisprudentiæ dignitate, vſu, ac neceſſitate, ſuæque profeſſionis amplitudine, differant, vt ſic animos audientium ad capeſcenda ea ſtudia ardentius, excitent, & efficiant alacriores: Attamen, cum de hoc argumenti genere, ſæpè à Clariſſ. viris dictum ſit, ſubuerearque, iuxta vetus dicterium, crambem recoctam faſtidio futuram eſſe, ego, prætermiſſis illis laudationibus, & præconiis decantatiſſimis, in præſentiarum, pauca dicere conſtitui de plæriſq; noſtri æui hominibus, eorumque vana quadam perſuaſione, qui, vel iuriſprudentiæ noſtræ ſtudia, Reip. non admodum neceſſaria autumant, vel certè, hoſce doctorum titulos, quibus poſt adeptam iuris cognitionem, illius cultores inſigniri ſolent, ceu viles, ſuſcipere, non modò negligunt, ſed deſpectui quoque habent. Sunt enim nonnulli, ciuilium ſtudio-

ſtudiorum, contemptores, ideo, quia ex foro ac iudiciis, ius ſcriptum, omninò eſſe eiiciendum, magiſtratuumque arbitrio ſimpliciter, ac ſine certis legib. iudicandum arbitrentur. Alij verò contrà, Romanas quidem leges, velut æquiſſimas, nec minus politicis moribꝰ, quàm præceptis naturalibus, conſentaneas eſſe fatentur, eoque ipſas nomine commendant, ac in Rebuſp. retinendas, earumq; cognitioni inſudandum cenſent. Et rectè quidem: Nam in iis comprehenſa eſt, abſoluta quædam, omnium iuris partium, æquitas, & admirabilis prudentia, ad Rempub. benè beateq; conſtituendam, collecta, & veluti conflata, ex omnium prudentum iudiciis, omniumq; gentium bonis inſtitutis. Verum illi ipſi tamen, hoſce interim Doctorum titulos, quibus iurisprudentiæ candidati ornari ſolent, tanquam viles, prorſus faſtidiunt & aſpernantur. Ex quorum numero potiſſimum hac noſtra defœta ætate ſunt hi, qui maiorum ſuorum imaginibus

clari, vitio sibi verti putant, suorumq; natalium splendorem diminui, si Doctoris quoque titulo insigniantur. Vtriusq; a. generis hominum errorem (Nam vterq; in non mediocre literarij orbis detrimentum vergit, vtpote nostrorum studiorum contemptum: ac vilipensionem generans, & imperitiæ regnum, longè lateq; propagans) dum strictim ac concisè diluo, quæso vos omnes, amplissimi humanissimiq; auditores, pro vestra erga alios humanitate ac beneuolentia, & mihi dicenti, benignas, vt cœpistis, aures, præstare non recusetis. De priori quidem hominum genere, paucis à nobis agendum est, propterea, quòd plurimi sapientes viri, magno iudicij lumine præditi, multarumq; rerum experientia edocti, multis retro seculis, pestilentissimam hanc persuasionem, grauissimis argumentis, confutârunt, ostendentes planè, sine scripto iure nihil magis humanam societatem posse consistere, atque sine anima corpus, sine igne & aqua,

vitam,

vitam, vt quo vno, rerum omnium salus atque tranquillitas, constet, id quod etiam docent tot exempla Rerum publicarum, & sapientissimorum hominum, qui leges scripserunt, & vsu comperêrunt, non posse vllam diu constare politiam, vel conseruari tranquillitatem huius vitæ, extinctis, ac è medio sublatis, scriptis legibus, Nam vbi Magistratuum, ac eorum, qui iudicia exercent, arbitrio, sine certis constitutionibus res iudicantur, cum in imperitorum, sæpe etiam improborum hominum potestate ius sit, (id quod quotidiana rerum experientia docet) fit, vt per imperitiam non rarò magistratus, æqui & iniqui discrimen non perspiciat? Quoties n. recti species, etiam bonos decipit? Quoties, iudicio, gratia, aut maleuolentia officit? Neque enim obscurum est, quàm leui momento ab æquitate, mediocrium hominum animi abstrahantur, & in deuia ruant. Quod si pij homines, (vt sacra prophanis misceamus) in

quibus, per spiritum S. regeneratio cæpta est, propter carnis suæ, & veteris hominis reliquias, quæ obluctantur, nõ quod volunt, hoc semper agunt, sed quod oderunt, hoc plerumq; faciunt, vt de seipso D. Paulus, vas electionis, conqueritur, quid speremus de homine sibi relicto? Quid de humana ratione scintilla obsessa, & quasi obruta, caligine corruptæ naturæ? Quid de iudicio, quantumuis etiam sano, cui nec voluntas, nec actio, respondet? Videmus equidem, & id quotidiana (proh dolor) rerum experientia euidenter docet, nostro hoc corruptissimo seculo, imperitis sæpè hominibus, regnorum, ditionum, ciuitatumque gubernacula committi: Videmus modò res iudicare indoctos, legumq; ciuilium inexpertes ferè, qui, ne nihil sapiant, vnum aliquẽ ex vulgaribus (vt ita loquar) Pragmaticis, in consilium adhibent, in quibus, vt quisque est indoctissimus, ita est audacissimus & nequissimus. Huius vident oculis, huius audiunt auribus cæteri omnes,

omnes, quod hic somniauit, reliqui decernunt: Ait? aiunt: Negat? negant. Capita sunt sine linguis, ius ipsi, & vim æquitatis ignorant. leguleius ille, naribus omnes, tanquam bubalus, trahit. Atq; vtinam, Germaniæ nostræ Principes, ac ciuitates, in eam aliquando cogitationem incumberent, vt quos probis ac bonis moribus, quos virtutibus plurimis, quos iuris nostri peritia præditos viderent, honores illis, dignitatesque conferrent: munera illis legationesq; traderent, illorum prudentiæ, maximarum rerum summam, demandarent: deniq; repositam in illis esse vellent omnem Germani nominis amplitudinem, omnem rerum omnium maiestatem: Nulla, medius fidius, non modò naufragia, in Germania, atque adeò vniuersa Christiana Republica, sed ne tempestates quidem certè, aut planè fluctus vllos pertimescemus, prospero ac tranquillo semper cursu, aut omninò tutò, nauigaremus. Nunc, quia imperitis passim hominib. rerum

summæ committuntur, quid mirum, si huc illuc iactati, portum capere non possumus, verum de hoc aliàs commodius plura. Nunc intermissum orationis ductum repetamus. Pone verò, iudicia non nisi bonos, ac plane ἀπαθεῖς homines, tenere (quorum tamen rari erunt, nantes in gurgite vasto, vt Poëta canit) an non infinitæ inter hos dissensiones oriri possunt. Multa enim incidunt, vbi aliud aliis videtur, & qui velit ingenio cedere, rarus erit. Nam & Apostolus, suo quemq; sensu abundare dixit: Et Persius, velle suum cuiq; esse: Et tot mores pectoribus, quod in orbe figuras, Ouidius cecinit. Taceo eam imperitiorum vulgò pertinaciam ac φιλαυτίαν esse, vt cum semel obfirmârint animum, ad æquitatem flecti amplius non possint. Quid verò sibi non sumerent (vt nunc sunt corruptissimi hominum mores) qui sibi, quicquid libet, licere volunt? atque hac ratione, hoc vnum tandem ius naturale valiturum esset, quo Brennus quidam

dam, Senonum Regulus, olim nitebatur, is enim, interrogantib. Romanorum legatis, quonam iure, Classium, Hetruriæ vrbem, obsidione premeret? Iure, inquit, naturali hoc facio, quo is, qui minus fortis est, potentiori cedere iubetur. Id genus equidem plures, (si verum frateri licet) passim habet Germania, qui fortitudinem se probè definiisse putant, cum se in armis ius ferre, & omnia fortium virorum esse ferociter dicunt, non aliter, atque solebant olim Athenis triginta illi, qui, cum pariter, pessimo exemplo, iudicia sustulissent, perinde, quasi publicam carnificinam exercerent, optimũ quẽque iugulabant. Hæc, haud dubiè, Principem Philosophiæ, Aristotelem intellexisse cõstat, cum in Politicis, DEVM præponere hominibus dicebat, qui legem præponeret, bestiam verò sæuissimam, qui hominem legibus, propterea, quod homines etiam boni, cæcarum ac viciosarum affectionũ perturbationib. subinde sint obnoxij, lex verò, cũ

sit

ſit ἀπαθεὶς,& mens ſine cupiditate, ſemper eadem manet,conſeruatq́;, ac tuetur omnem æquabilitatem,& planè efficit illud,quod Polybius,ſcriptor grauiſſimus,deſiderat ἰσόῤῥοπον, καὶ κατὰ τὸν τῆς ἀντιπολοίας λόγον, πολίτευμα. Plato quoq́; diuini planè ingenij homo,idem ſenſit, interitum ei ciuitati paratum aſſeuerans,in qua non lex magiſtratib. ſed legi,magiſtratus præeſſent: Salutem verò illi,vbi lex,magiſtratib.ſeruientibus, ac velut ſubſidiariam noſtri poteſtatem habentibus, dominaretur. Additq́ue idem Plato, naturam humanam, infirmiorem eſſe, quàm vt ſola ſe ipſam regat, & vt boues, non à bobus, nec capræ à capris reguntur,ſed à præſtantiori natura,nempe ab homine: ſic hominibus gubernandis, aliquem, homine maiorem,præficiendum: ac propterea DEVM, humano generi, præſtantes dediſſe Heroas, qui Deo pleni, certas leges mortalibus, ad tuendam ciuilem honeſtatem, cohibendoſq́; vicioſos affectus, præſcriberent. Quæ quidem

omnia

omnia ante Platonem, Solon ille, Nomotheta Atticus, considerans, iudicantes iureiurando adstringendos esse statuit, ne aliter, quàm ex iure scripto cõtrouersias definirent. Nam cum Athenienses, inter se, de iure publico perpetuò conflictarentur, tresq; hominum factiones per id tempus Athenis exortæ essent, ac ea quidem dissensio, morbo ciuitatis ingraueſcente, creſcentibusq; odijs, vniuersis exitium minitaretur, ex demandatione publica, Solon leges tulit, quibus libertatem, & otium ciuitatis restituit, & cum cerneret, hoc vnicum esse concordiæ vallum, dehinc prudenter sanciuit, vt, qui iuri dicundo præessent, conceptis verbis iusiurandum darent, se non aliter, quàm ex ex legibus iudicaturos esse: quod iusiurandum ἡλιαστικὸν appellat. Quid? quod iuris scripti origo & exordium, non ab hominib. primum, sed à DEO ipso profluxit? DEVS enim Opt. Max. post primi hominis lapsum, cum in ipso, suisq; posteris, naturæ lex, prorsus obscu-

obscurata esset, eandem non viua tantùm voce, renouauit, sed in lapideas etiam tabulas insculpsit, Mosique tradidit, Israëlitico populo promulgandas, & ex scripto iudicari iussit. Ideoq; Rex Dauid, constitue, inquit, legislatorem super eos, vt sciant gentes, quoniam homines sunt. Sed quid in re manifesta, longa vtor disputatione? Equidem prædicta abundè probant, nullo modo phanaticos illos μισονόμους, audiendos esse, qui ius scriptum, & hanc, quam profitemur, legalem Philosophiam, sine qua, nulla contineri politia, nec conseruari huius vitæ εὐταξία, (vt D. Pauli verbo vtar) nullo modo potest, è foro explodi volunt.

Ad alterum itaq; genus hominum deueniamus, qui cum iurisprudentiæ quidem cognitionem, ad incolumitatem & conseruationem Rerump. adprimè necessariam fateantur, eandemque & ipsi pro virili addiscant, Doctorum tamen titulos & insignia, magno fastu, truciq; supercilio, contemnere & asper-

& aſpernari ſolent. Hi planè mihi, Andabatarum more, velut clauſis oculis, à luce, in tenebras obturbati, toto (quod aiunt) cœlo errare, omniq; carere iudicio videntur. Quomodo enim, ſi iuriſprudentia ipſa, cognitu perneceſſaria eſt (id quod ipſi fatentur, & nemo ſani iudicij inficias ierit) ſacroſancti iuris laurea inſigniti, qui eius ſcientiæ arcana iam perluſtrârunt, non ſumma laude digni, non magno in precio ſunt habendi? Equidem, ſi rem ipſam penitius, & deliberatiori quiſquam animo expendat, non pudebit eũ, quantumuis inſigni ac nobili ſtirpe natum, ſuæ doctrinæ ac ſcientiæ ab ampliſſimo huius profeſſionis ordine, teſtimonium accipere: Quomodo enim doctrinæ gloriam quærat, qui nolit teſtimonium? At verò, ſuos nonnulli natales, annoſaſque maiorum imagines, quibus ipſi ſplendent, hoc doctoris agnomine dedecorari autumant. Eho, tu, quiſquis tandem es, nobilitatem, dimi-

diminui aut obscurari tibi, tuam putas, si iurisconsulti vel Doctoris titulo salutêris? cur, quod cognitione dignum existimabas, quod intus ac effectu ipso quærendum censebas, id foris & nomine dissimulandum putas? An nescis, sic te duplici, generis scilicet, ac scientiæ ciuilis nobilitate splendescere? Quid? quod hanc virtutem, ac scientiæ nobiliatem, generis nobilitati, longè præferendam esse, nonnulli tradiderint? Vnde M. Cicero ad Salustium: sanctius est, inquit, me, meis gestis, florêre, quã maiorum opinione niti, & ita viuere, vt sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Intuemini paulisper animo, Auditores, præsertim, qui nobili genere nati estis, ac reuocate in memoriam, longum ordinem Nobiliũ Romanorum, qui retroactis vixerunt seculis: An non illi, summæ laudis ponebant, non modò, si ipsi iuris peritiam adepti fuissent, hocq; titulo salutarentur, verum etiam, si à Iurisconsultis essent progeniti? Et, vt exempla aliquot adfe-

adferam: Sic Sext. Aelium Iurisconsultum, ex nobili & peruetusta Aeliorum familia prognatum, maximè in profitendo iuris ciuilis scientia, claruisse, Pomponius noster scriptum reliquit: Eundemque iuris ciuilis peritissimum, Cicero testatur: Et à summo Poëta Ennio, ob insignem ac excellentem in iure ciuili doctrinam, summumq; ingenij acumen, hoc carmine celebratum:

Egregiè cordatus homo Catus Aelius Sextus:

Quid de eius fratre, Publio Aelio, nobili quoque iurisconsulto, & in Reip. administratione, omnibus ferme honoribus feliciter perfuncto? Quid item de ipsius filio, cum Aelio Pæto Tuberone dicam? Cicero & nobilem & honestum, & eruditissimum iurisconsultum nominat? Sic Saluius Iulianus Seuerus, nobilissimæ familiæ (quem Iustin. Imp. summum auctorem iuris scientiæ nuncupat) legum Rom. peritissimus, per Adriani, Antonini Pij, & Diuorum fratrum, tempora habitus

est: Nam his omnibus in consiliis assedit, duos consulatus gessit, Antonino Pio imperante, sub quo etiam Præfecturam vrbis meruit, & feliciter administrauit, eum Diui fratres, amicum suum, & clarissimum virum, appellârunt. Ex hoc Iuliano Seuero, prognatum quoq; fuisse, Didium Iulianum Imperatorem, ac ICtum celeberrimũ, quem Aelio Pertinace, optimo principe, obtruncato, Rom: Imperium vsurpasse, Spartianus, & Eutropius testantur, quorum dicta, cum huc maximè conducant, adferre lubet. Didio Iuliano (inquit Aelius Spartianus) qui post Pertinacem imperium adeptꝰ est, proauus fuit Saluius Iulianus, bis consul, Præfectus vrbis, & Iureconsultus, quod magis eum nobilem fecit. Idemque Eutropius, post Pertinacem, ait, Didius Iulianus Remp. inuasit, vir nobilis & iuris peritissimus, nepos Saluij Iuliani, qui sub Diuo Adriano, perpetuum composuit edictum. Extat eiusdem Iuliani, memorabilis illa vox Græca,

ca, sed in hanc sententiam: Etsi alterum pedem haberem in tumulo, non pigeret aliquid addiscere. Tanta in ipso fuit discendi auiditas, vt saturari nunquam potuerit. Sic, illustrem fuisse Romæ Papiriorum familiam, ex Liuio constat: & Sext. Papirium, leges olim à Romulo & sequentib. Regibus, confusè, sineq; ordine, ad populum latas, in vnum volumen contuliſſe, idque postea ius ciuile Papirianum appellatum fuisse, Pomponius noster scribit. Sed & Gallus Aquilius, eques Rom: & summo loco natus à Q. Mutio Scæuola ius ciuile didicit, & in eius studij genere magnopere excelluit: cum quo probitatem ita coniunxisse fertur, vt natura, non disciplina, consultus esse diceretur: Tàm peritus.a. & prudens, vt ex iure ciuili non scientiam modò, sed etiam innatam ei bonitatem, adparêret.

Neq; n. iuris ciuilis rationem vnq̃ ab æquitate seiunxit, vt merito maximi fieret à populo Ro. in litib. diiudicandis, in quo numero, vt Valerius Maximus

refert, veluti princeps, cæteris eminebat. Eius pleraq; adhuc in Pandectis responsa extant, quorum omnium, celeberrimum illud est, quod Serbidius Scæuola descripsit, quo formulam de posthumis alienis instituendis induxit. Primus item iudicium illud de dolo prodidit: Euerriculum, inquit Cicero, omnium malitiarum: quod scilicet, ea euerrantur omnes fraudes è vita hominum ciuili. Ex Semproniorum quoque nobilissima ac vetusta gente, duo referuntur Sempronij ICti: Prior quidem Sempronius Longus, maximæ, in iure, scientiæ, quem primum omniũ, Populus Rom: ob id σόφον appellauit, cum ante ipsum nemo hoc nomine dictus fuerit. Alter verò M. Sempronius Tuditanus nuncupatus, qui non iuris ciuilis solum, sed eloquentiæ, adeoque rei militaris peritissimus fuit, idemque Tribunatum militarem, ædilitatem, censuram, & consulatum feliciter gessit. Sic etiam Caius Longinus, celeberrimi nominis Iurisconsultus ex illustri

& an-

& antiqua Cassiorum familia prodiit, & sub Tiberio Cæs. in honore maximo habitus fuit, adeò, vt primò consulatum sit adeptus cum M. Vinitio Quartino, Anno à Christo nato 32. deinde Claudio imperante, Syriæ præfecturam: & postremò sub Caligulæ principatu Proconsulatum Asiæ gessit. Fuit enim non solum legum peritia clarus, sed militaris etiam disciplinæ peritissimus: Et hunc ipsum, generis sui lineam, cum singulari laude recensere solitum scribitur, quod auo Q. Tuberone, & proauo Seruio Sulpitio, Iureconsultis clarissimis, prognatus esset.

Marcum quoq; Cocceum Neruum, equestris & senatorij ordinis virum, huc referre lubet, cum Iurisconsultus fuerit suo tempore insigni probitate conspicuus, diuini humaniq; iuris sciens, Tiberioq; Cæsari ob id familiaritate coniunctus singulari: quemadmodum Dion, & Tacitus scribunt. Is post se reliquit filium iuris peritiâ similiter clarum, qui annum agens 17. publicè

de iure reſpõdit, ſicut Vlp. teſtatur. Ex quo deinde, Cocceũ Neruã Imp. natũ, pleriq; aſſerunt, q̃ poſt Domitiani cædẽ tanta regnauit integritate & clemẽtia vt dicere ſolitus fuerit, ſe nihil tale admiſiſſe, q̃ Cæſ. dignitate depoſita, eum impediret, tutò priuatam agere vitam.

Sic quoq; M. Antoniũ Piũ. Imp. Opt. nõ ſolũ Philoſophiæ ſtudiis obnixe deditũ fuiſſe, ſed iuri etiã ciuili (in quo p̃ceptorẽ habuit, T. Voluſium Mætianũ, magni nominis iuriſcõſultum) ſtrenuã dediſſe operã, literis proditũ eſt. Vnde & Philoſophi cognomentũ accepit: fuitq; Princeps õnigena virtutum claritate, vitæ ſanctimonia, & bonitate ingenij, nemini ſecundus. In cõſiliis, Imperator factus, Scæuola ICto, præcipuè vſus eſt. Cũ populo non aliter agens, quã actũ quondã fuerat ſub vrbe libera, eò ſemper ſpectans, vt ex malis, bonos, ex bonis, optimos efficeret, diuini Platonis, in omnib. reſpondens ſententiæ (q̃ & ipſum in ore ſemper habuiſſe ferũt) Tum demũ florẽre ciuitates, ſiue Reſp.

aientis

aientis, cùm aut Philosophi imperarēt, aut Imperatores philosopharentur.

Quid porrò de L. Druso, nobilissimo viro dicam? qui ætatis viribus, & acie oculorum iam defectus, Iurisconsulti tamen nomine, non tantum salutari gloriebatur, sed ius etiam ciuile populo interpretabatur, cupientibusq; discere vtilissima iuris volumina, deuexa iam ætate, componebat. Deniq; magnus ille Traianus, quo apud maiores, vel feliciorem, vel meliorem Resp. Rom. non habuit, & qui primus Cæsarū, ex senatus decreto, meruit titulum, vt Optimus appellaretur. Neratiū, nobilem, & equestris ordinis, ICtū clariss. pro successore destinasse legitur.

Et vt semel finiā, apud M. Cic. Antonius fatetur semp nobilissimos in Rep. Romana ciues, huic iuris scientiæ præfuisse, honestissimumq; ICti titulū affectasse. Et Crassus apud eundē, tantā illustribus viris diligentiam fuisse ait, in iure tā addiscēdo quàm constituendo, quantū in opibus imperij cooptandis:

vt rectè Plato, ciuilem scientiam nominauerit, disciplinam regiam, quod ad Reges & Principes ea peculiariter pertineret.

Romana deniq; nobilitas, olim, eo potissimum nomine, cæteris anteire mortalibus existimata est, quod Militiæ, eloquentiam, iurisq; ciuilis cognitionem coniungeret, quemadmodum exempla aliquot iam relata satis ostendunt, multaq; alia, quæ apud scriptores passim sunt obuia, facilimè possent congeri, & pleraq; etiam nostri temporis illustria & notissima extant exempla, quæ speciatim referre non esset difficile, verùm, ne in longum excrescat oratio, ea prudens nunc omitto.

Cessent ergò superstitiosi quidam Germaniæ nostræ Nobiles, honestissimum ac præclarissimum Iurisconsulti nomen, tàm nihili pendere, cessent, illustres nostros Doctorum titulos contemtui habere, qui iusto obtenti progressu, vetusta generis nobilitate, quãtumuis eximios, cumulato nomine ampli-

amplificant, tantum abeſt, vt obſcurẽt, aut deminuant. Hoc potius ipſi cogitent ac memoriæ infigant ſedulò, ſi qui peruerſam hanc, ac plane phanaticam amplexi ſunt opinionem: Nobili ſtemmate progenitos, quò magis omnium oculis expoſiti ſunt, eô etiam decere optimis diſciplinis eſſe imbutos, ac virtutibus ornatos, ne aliter (iuxta vetus adagium) Purpuratæ ſimiæ vulgò appellentur. Nam in hoc ipſi, aliis deteriore ſunt conditione, quod pauperi & humili loco nato, imperitia non æque oneri eſt, ſicut illuſtri generoſoq; homini, qui cum ſe nobilem profiteatur, ſi indoctus ſit ac planè ἄμουσος, etiam plebeis & vulgarib. viris, ridiculo habeatur.

Neq; n. homo effigies illa eſt, quam videmus, neq; hæc compacta ex oſſibus ac neruis moles, carnibus contecta, cute veſtita: ſed quod intus latet, vnde omnis nobis eſt ratio atq; conſilium, hoc nos homines ſumus: factũ ipſum quidẽ ad imaginem effectoris ſui Dei Opt.

Max. sed languens per se ac obscurum, nisi præclaro virtutum ac scientiarum lumine illustretur. Quare sapienter adolescentem quondam affatus dicitur Socrates, loquere inquit, vt te videam, Index n. veri hominis est sermo, parumq; ac planè nihil, tacens stultus à sapiente differt.

Hactenus igitur, quantum temporis angustiæ, quibus circumcludimur, admisere, satis evulsam credo falsam eorum opinionem, qui Doctorum titulos tanquam viles, aspernãtur, suisq; natalibus, magnificum, ac præclarissimum Iurisconsulti nomen, officere arbitrantur.

FINIS.

PERIOCHAE SIVE SVMMARIAE SYNOPTICAE SINgularum quæstionum hac centuria contentarum, quibus vno quasi aspectu & intuitu propositæ quæstionis materia, conspicienda exhibetur, & repræsentatur.

Synopsis Q. I.

Pertinet ad titulum de saluo conductu, quod videlicet semel datus, seruari debeat, n. 1. etiam hosti, n. 3. vbi in fine remissiuè, qui dicantur hostes: etiam de iure Saxonico, nu. 4. etiam sub pœna contrauenientibus infligenda, nu. 5. tàm ad recedendum, quàm veniendum & accedendum, nu. 6. etiam in causa adpellationis, nu. 7. nisi datus fuerit ex abrupto, & sine causæ cognitione, vel contra expressa legum scita, puta pro manifesto & notorio maleficio, nu. 8. Quod duobus modis ampliatur sub num. 9. & 10. Item nisi datus fuerit generaliter, indefinitè, indeterminate, sine certi temporis præfinitione. Quo casu ad primum tantum iudicium restringitur, nec ad totam instantiam vel causam porrigitur, nu. 11. cum ratione ibi in fine annexa. Quod ampliatur sub nu. 12. non obstantibus in contrarium adductis nu. 13. vbi responsio subiungitur, cum admonitione & cautela ad Aduocatos & iudices nu. 14. 15. Item, nisi assecuratus

ratus in loco iudicij vel transitus aliquid violenter vel contra pacem publicam commiserit, quo casu semel promissus, rectè violari potest nu. 17. per rationes ibi allegatas: Denique ita restringitur, vt intelligatur tantum datus contra violentiam facti, non iuris, nu. 18. vbi in fine refertur exemplum ex Mynsingero de eo, cui ob maleficium capto, petiti pro relaxando in Camera processus, denegati fuerunt.

Synopsis Q. II.

Pertinet similiter ad titulum de saluo conductu. Et quidem de pœna violatorum eius. Quæ secundum Angelum est læsæ maiestatis pœna hoc est gladij nu. 2. secundum Cun. & Bart. si à principe vel Republica datus est, vltimi supplicij: si ab inferiore, arbitraria, d. nu. 24. secundum ius Saxonicum indistincte similiter gladij iuxta Angeli sententiam nu. 2. Quam, vt nimis seueram, reprobat Coler. & Bartoli distinctionem in praxi sequendam suadet d. nu. 2. in fine. Pertinet etiam ad titulum de pœnis.

Synopsis Q. III.

Pertinet ad titulum de iudice: Et quidem ad caput de potestate & officio eius, num videlicet, promissionem indemnitatis, ad eliciendam confessionem imputati criminis, licitè fallere, & ea non attenta, ad pœnam confessi criminis, procedere possit. Et quod possit, de iure scilicet fori, non etiam

poli

poli, & quare, diffinitur nu. 1. & 2. huius rei exemplum recens commemoratur ex Colero, nu. 3. Pertinet etiam ad titulum de dolo bono. Et de cautelis iudici scilicet obseruandis.

Synopsis Q. IIII.

Pertinet ad titulum de cautionibus vel promissionibus, & quidem sub clausulis, loco iuramenti, sub interpositione fidei, factis. Num videlicet æquiparentur vero & corporali iuramento. Et non æquiparari regulariter, diffinitur & confirmatur nu. 2. & 3. non obstantibus quatuor fundamentis in contrarium pro affirmatiua adductis nu. 1. Quibus respondetur n. 14. Fallit in personis illustribus, & in aliqua dignitate constitutis, vtputa Principibus, comitibus, nobilibus, Baronibus, Doctoribus, & alijs personis honestioribus nu. 4. cum ratione ibi addita. Quod exemplis & illationibus declaratur nu. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. maximè si per fidem Christianam iuratum sit, nu. 13. vbi tamen hoc magis de consuetudine, quam iure scripto procedere dicitur. Pertinet etiam ad titulum de iuramentis, & quidem ad caput, de affinibus siue cognatis iuramentorum.

Synopsis Q. V.

Pertinet ad titulum de iuramentis, & quidem testium, num videlicet illud in publico officio constitutis, prætextu vel exceptione istius iurisiurandi, quod in ingressu officij præstiterunt, remitti

posit. Et non posse, ostenditur nu. 1. & nu. 8. in personis ibi expressis. Quacunq; etiam vitæ sanctimonia, quocunq; etiam honore præditi fuerint, & n. 1. in med. etiamsi Episcopis fuerint, non obstante sententia Accursii contraria, propter rationem assignatam, nu. 2. vbi tamen Episcopi tactio Euangeliorum in præstatione Iurisiurandi, licet non propositio, specialiter remittitur: etiam de iure canonico, secundum veriorem eius intellectum, num. 3. non obstantibus in contrarium adductis nu. 4. 5. 6. Quibus respondetur nu. 7. & 9. nisi consensu partium, maxime licentia & auctoritate iudicis interueniente, remissum fuerit. Quo casu, nedum iuramento officij committi, sed etiam in totum sine iuramento testimonium perhibere possunt nu. 10. non obstante l. 2. §. sed quia veremur 4. C. de iureiur. propter calum. dand. cuius diuersitatis rationes tres assignantur, nu. 11.

Synopsis Q. VI.

Pertinet ad titulum de sepulturis, num scilicet pro ea aliquid exigi possit. Et diffinitur nec ratione loci, Ecclesiæ scilicet, vel cœmiterij, nec ratione officij, exequiarum puta, & administrationis sacramentorum, aliquid exigi posse, cum assignatione duplicis rationis num. 1. & 2. nisi sponte & liberaliter quid datum fuerit, hoc enim accipere licet, per iura & fundamenta adducta, num. 3.

num. 3. Quam tamen limitationem F. Ripa non admittit, sed simpliciter negatiuam defendit per tres rationes adductas num. 4. Cum responsione ad fundamenta contraria pro limitatione nostra adducta, num. 5. Item, nisi consuetudine introductum fuerit, vt à laicis pro sepultura aliquid præstetur. Quæ consuetudo adeò valida est, vt eius obseruantiam, perfecto iam sacramento, & cadauere sepulto, auctoritate superioris Antistitis, etiam inuiti adigi possint, n. 6. Quæ limitatio similiter à Ripa controuertitur, de qua controuersia remissiue & num. 6. in fine. Cui coronidis vice subijcitur exemplum Alphonsi Regis Arragonum, punientis pastorem, viduæ cuiusdam maritum, sine precij numeratione sepelire nolentem num. 7. Pertinet etiam aliquo respectu ad titulum de emptione & vendit. Item ad titulum de simonia.

Synopsis Q. VII.

Pertinet ad titulum de Anatomia siue sectione, num videlicet puniendi vel supplicio destinati, etiam viui, Medicis ad Anatomiam concedi possint: Et posse diffinitur ex sententia Hierophili & Erasistrati, & rationalium Medicorum, ob rationem assignatam, nu. 1. licet contraria negatiua Christianorum, & Empiricorum verior sit, quam etiam Marquardus Freherus sequitur, ob rationes adductas d. n. 1. in fine iuncto n. 2. Pertinet etiam aliquo respectu ad titulum de da-

de damnatis & supplicio destinatis, eorumq; iure. Item ad titulum de Medicis.

Synopsis Q. VIII.

Pertinet similiter ad titulum de Anatomia, num videlicet punitorum cadauera medicis ad anathomiam concedi debeant. Et non debere diffinitur ex sententia Empiricorum, ob rationes assignatas, nu. 1. & 2. contraria tamen affirmatiua verior, vsuq; & consuetudine recepta est, si modo id à principe vel magistratu impetratum fuerit, quæ probatur multorum præstantissimorum Iurisconsultorum auctoritatibus num. 3. quinq; rationibus assignatis nu. 4. & 5. in princ. Cui vltimæ rationi de sceletrorum asseruatione & inspectione quotidiana, tres vtilitates subiiciuntur d. num. 5. Quibus omnibus vltimo loco, totius huius quæstionis determinatio & disceptatio, secundum conditionem vel dignitatem vel vilitatem familiæ, iudicis arbitrio ac discretioni permittitur num. 6. Pertinet etiam aliquo respectu ad titulum de cadaueribus punitorum. Item ad titulum de Medicis.

Synopsis Q. IX.

Pertinet ad titulum de cadaueribus suspensorum, rotæ impositorum, vel aliàs punitorum &c. num videlicet deponi, & sepulturæ mandari possint. Et posse, cognatis, vel alijs à principe vel alio magistratu seculari, qui sententiam tulit, id petentibus & impetrantibus, definitur, num. 1.

Etiam

Etiam de iure canonico, secundum veriorem eius intellectum & declarationem nu. 4. Cuius declarationis & interpretationis auctores laudantur n. 5. Quod quidam etiam ab sq3 cuiusq3 petitione solo magistratus officio, fieri & posse & debere contendunt, ob quatuor fundamenta relata nu. 6. Excipiuntur maiestatis damnati, nu. 2. excipiuntur item aggressores publicarum viarum, maximè in Gallia nu. 3. Deniq3 fallit ex consuetudine generali Germaniæ qua hodie omnes suspensi, rotæq3 impositi, in patibulis & rotis relinquuntur, vt exemplo reliqui absterreantur, num. 7. Quibus vltimo loco subiicitur quæstio, de pinguedine hominis ad sectionem dati, à Medicis retinenda. Quæ nescio quo errore, ex fine proximè præcedentis quæstionis huc in num. 8. irrepsit. Quò vt ad sua castra, vti fugitiuaria, remittenda est. Pertinet etiam aliquo respectu ad titulum de sepulturis.

Synopsis Q. X.

Pertinet ad titulum de peste. Et quidem ad caput de remedijs eius. Sunt autem pestis remedia, secundum Medicos & F. Ripam, aut προφυλακτικὰ, hoc est, præseruatiua: aut θεραπευτικὰ, id est, curatiua. Præseruatiua remedia consistunt in remotione causarum efficientium & procreantium pestem, num. 1. Quarum octo numerantur, nu. 2. Quæ tolli, remoueri, vel præcaueri

possunt modis præscriptis sub nu. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Remedia curatiua præscribuntur quatuor, sub nu. 11. 12. 13. 14.

Synopsis Q. XI.

Pertinet similiter ad titulum de peste, num videlicet custodes tempore pestis portis adpositi, possint ab ingressu loci arcere quoscunq; : Quod sub hac distinctione definitur : aut constat ingressuros non esse contagiosos, nec de contagio suspectos. Et repelli non possunt, sub pœna proposita num. 1. aut constat esse contagiosos : Et repellendi sunt, cum horum arcendorum causa custodia portis adposita sit, cum ampliatione adiecta num. 2. aut de vtroq; dubitatur. Et ingressum petentes similiter arceri possunt, donec de sanitate sufficienter probauerint, cum quatuor rationibus decidendi, non obstantibus duabus dubitandi rationibus pro ingressuro in contrarium adductis num. 3. Poterit autem viator ingressurus se sanum docere, pestisq; contagio infectum non esse, duplici modo: primò, iuramento suo, quod purgatorium adpellatur, cuius decisionis quatuor rationes adducuntur, num. 4. secundò, scriptura siue literis dimissorijs, quas vulgus bulletinum adpellat, num. 5. Quod datur petentibus ab officiali ad hoc deputato, sub modo & conditione proposita num. 6. Et ne custodes falsis bulletinis defraudentur, iubem-

iubentur ad formam eius num. 7. & ad cautelam, num. 8. præscriptam, attendere, vt ita veritas vel falsitas bulletini deprehendi possit. Quibus auctarij vice vndecim aliæ quæstiones huc pertinentes remissiuè subiiciuntur num. 9. Pertinet etiam aliquo respectu ad titulum de custodia & custodibus portarum.

Synopsis Q. XII.

Pertinet similiter ad titulum de peste, num videlicet communitas teneatur domino ad precium bonorum, tempore pestis, pro expurganda domo infecta, à magistro sanitatis, combustorum. Et non teneri definitur per fundamenta & rationes adductas num. 2. non obstantibus duobus fundamentis pro domino in contrarium adductis num. 1. Quæ diluuntur num. 3. Pertinet etiam aliquo respectu ad titulum de obligationibus. Item ad titulum de ciuitate, Republica vel communione.

Synopsis Q. XIII.

Pertinet ad titulum de Medicis, qualis videlicet medicus ab ægroto sit eligendus. Et decidit, eligendum esse, senem, cui tyronem simul etiam adiungere potest, & quare num. 1. II. in arte medica peritum n. 2. quæ peritia vnde deprehendatur docetur n. 3. III. diligentẽ & solertem.

Quæ diligentia solertiaq; in quibus consistat, docetur num. 4. 5. & 6. IIII. Christianum, nu. 7. addita quæst. proximè seq. V. Mansuetum num. 8. VI. Pudicum, castum, non luxuriosum aut libidinosum num. 9. VII. pium & religiosum num. 10. iuncto num. 3. quæst. proximè seq. Pertinet etiam aliquo respectu ad titulum de ægrotis.

Synopsis Q. XIV.

Pertinet similiter ad titulum de medicis, an videlicet Christianus ægrotus, Medico Iudæo se curandum committere debeat. Et definitur ægrotum curam sui corporis committere, debere Medico Christiano, non Iudæo, num. 1. iuncto num. 7. quæst. proximè præced. propter tres rationes assignatas num. 2. 3. & 4. non Apostatæ, & quare, nu. 5. nisi Christianus haberi non possit, tunc enim in subsidium, propter necessitatem, Iudæum vel apostatam accersere potest num. 6. Pertinet etiam aliquo respectu ad titulum de ægrotis.

Synopsis Q. XV.

Pertinet ad titulum de Relegatione, num videlicet infamet. Et quidem ex sententia Bartol. relegatio simpliciter & indistinctè infamat num. 1. in princ. Ex sententia aliorum quorundam, perpetua semper infamat: temporalis verò, quamdiu durat d. num. 1. Quæ distinctio confunditur num. 2. Ex sententia aliorum quorundam & quidem veriori, textibusq; iuris magis congrua,

grua, relegatio non aliter infamat, quam si causa sit famosa, ob quam decernitur num. 3. in princ. & nu. 4. non obstantibus l. 22. D. de his qui not. infam. l. 14. C. eod. quæ de ictu tantum fustium loqui videntur, non etiam de relegatione d. num. 3. vers. & quamuis. Quibus respondetur eodem num. vers. tamen Bart. Pertinet etiam ad titulum de infamia.

Synopsis Q. XVI.

Pertinet ad titulum de carcere, custodia, & vinculis num videlicet infamiam irrogent. Et liberis hominibus non irrogare infamiam, sed causam ob quam decernuntur, definitur num. 1. & 2. secus est in seruis, qui ob delictum, pœnæ causa vinciuntur d. num. 1. circ. fin. adde sup. quæst. proximè præced. Pertinet etiam ad titulum de infamia.

Synopsis Q. XVII.

Pertinet ad titulum de cautelis, qua videlicet cautela & ratione filius studiosus in officio retineri, & à luxuria, heluationibus, & inhonesta vita auocari, & ad frugalitatem assuefieri & reduci possit. Et quidem talis hic ratio præscribitur, vt tenue parentes ipsis mittant & assignent viaticum, cum pecunia plerumq; lasciuiæ causam præbeat nu. 1. Cuius cautelæ exemplum, non malo euentu practicatum, à senatore quodam Rostochiense, in filio suo subijcitur num. 2. Pertinet etiam

aliquo respectu ad titulum de studiosis, studentibus & scholaribus.

Synopsis Q. XVIII.

Pertinet ad titulum de Redhibitoria in factum actione, ob quas videlicet causas equus venditus redhiberi possit. Et quidem de iure ciuili equus venditus ob omnia vicia interna, occulta & non apparentia, redhiberi potest, nu. 1. & 2. in prin. Quorum species septem enumerantur d. num. 1. per tot. De iure verò Saxonico venditor equi de tribus tantum vicijs, nu. 2. enumeratis, tenetur. Quibus in fine subijcitur remissio de equo bulso ad Mascardum. Pertinet etiam ad titulum de emptione & venditione. Item ad titulum, de equis.

Synopsis Q. XIX.

Pertinet ad titulum de carcere, quomodo videlicet definiatur, & quotuplex sit. Et quidem Bart. definit carcerem num. 1. Cuius ibidem resolutio & explicatio subijcitur. Platea distinguit carcerem in pœnalem: custodiæ, qui tamen ad pœnæ executionem tandem faciendam aduersus carceratum tendit: pœnitentialem: tædialem, qui debitoribus, pro custodia, donec soluant, assignatur, ob id tædialis dictus, quòd ob diuturnam in eodem loco commorationem, tædium captiuo inijciat nu. 1.

Synopsis Q. XX.

Pertinet similiter ad titulum de carcere, num videlicet pœnæ vel supplicij loco irrogari possit. Et

sit. Et quidem carcer iure ciuili, non ad puniendum, sed ad continendos sceleratos adinuentus est nu. 1. Iure verò Pontificio, vsum etiam puniendi habet, in Ecclesiasticis tamen dumtaxat personis. Et quare nu. 2. Quod Veneti, Castellani, & plerąq; paßim Academiæ sequuntur nu. 3. Pertinet etiam aliquo respectu ad titulum de pœnis.

Synopsis Q. XXI.

Pertinet ad titulum de aduocatis, num videlicet ijs salarium siue honorarium debeatur, si in causa succubuerint. Et deberi æquè ac si vicissent, definitur per rationes adductas nu. 1. Imo si Martiali credimus, succumbenti plus debetur, quàm vincenti, quod huic laus loco præmij cedat, iste verò damnum cum pudore ferat nu. 2. Pertinet etiam ad titulum de salarijs & honorarijs.

Synopsis Q. XXII.

Pertinet ad titulum de Doctoribus, & quidē bullatis, num videlicet priuilegia & insignia Doctorum solemniter promotorum habeant. Et non habere definitur propter defectum formalium & substantialium requisitorum. Quorum octo numerantur nu. 1. & 4. Idq; duobus exemplis siue illationibus ostenditur sub n. 2. & 3. in collatione videlicet subsidiorum Delphinalium: & exemptione librorum, lectisterniorum, & reliquæ suppellectilis, à repressalijs, vltimo loco sub num. 5. ostenditur:

traditionem annuli, osculum, & benedictionem, de substantia Doctoratus non esse.

Synopsis Q. XXIII.

Pertinet ad titulum de hospitibus, & iure hospitandi, num videlicet quis inuitus hospites recipere cogatur. Et quidem nemo regulariter inuitus hospites recipere cogitur, num. 1. nisi multa adueniat militia nu. 2. Item nisi quis cauponam exerceat, eiusq; signa ostentet, maximè si iam hospitari cæperit num. 3. per iura ibi adducta. Item nisi metata sint, hoc est, hospita magistratibus aliisue à mensoribus præparata num. 4. Quibus tamen etiam casibus propter multitudinem hospitum, ius hospitandi recusari potest, exemplo tabellionum vel notariorum, qui ob multitudinem negociorum (quod aliàs regulariter non licet) officium suum petentibus denegare possunt nu. 4.

Synopsis Q. XXIIII.

Pertinet ad titulum de Medicis. Et quidem de pœna eorum, si ob medendi imperitiam mortuus sit ægrotus. Et quidem ex sententia Martini Syluani, Alberici de Rosate, Augustini de Arim. Fransc. Ripæ, tales puniuntur extraordinem per iura & rationes sub nu. 1. adductas. Ex sententia verò aliorum quorundam puniuntur pœna homicidij, num. 2. vbi quinq; huius decisionis fundamenta recensentur. Quibus (priori sententia, vt veriori & humaniori retenta) respondetur nu. 3. Pertinet et-

net etiam aliquo respectu ad titulum de imperitia. Item ad titulum de pœnis.

Synopsis Q. XXV.

Pertinet similiter ad titulum de Medicis, num videlicet medicus forensis, ad diurnum salarium conductus, etiam pro itinere salarium petere possit, nu. 1. Quod etiam ad Aduocatum forensem porrigitur, num. 2. Quod tamen ita demum in vtroq; verum est, si totum diem in itinere consumpsit, alias pro rata tantum diei salarium debetur, nu. 3. Excipitur dies feriata in honorem Dei, qua vterq; gratis officium suum, & curando & consulendo, petentibus impartiri debet, nu. 4. & 5. Quæ tamen exceptio, vt impugnatur, sic etiam expugnatur syllogismo sub num. 6. proposito. Pertinet etiam ad titulum de salarijs. Item ad titulum de locat. & conduct.

Synopsis Q. XXVI.

Pertinet similiter ad titulum de Medicis. Et quidem de tempore salarij ei ab agroto exoluendi. Et definitur hic, medicum, qui publicum salarium non habet, secundum communem opinionem, in fine demum cura, honorarium ab agroto curato petere posse, num. 1. per fundamenta & rationes ibi adductas: secundum Zas. verò & alios, semper etiam in initio, nu. 1. in fine & num. 2. per rationes ibi ponderatas: secundum Ripam, iuxta consuetudinem cuiusq; loci & patriæ, num. 3. in princ. in defectu

verò consuetudinis, secundum Bartoli distinctionem, sub num. 3. propositam. Quæ in praxi, in contractu locationis & conductionis, diligenter est notanda. Pertinet etiam ad titulum de salarijs. item ad titulum de locat. & conduct.

Synopsis Q. XXVII.

Pertinet similiter ad titulum de Medicis: Quantum videlicet salarij nomine ipsis sit constituendum. Et quidem Medici, quoad salarij constitutionem, liberalium artium professoribus comparantur, nu. 2. ante finem non obstante l. vlt. in prin. C. commun. de legat. vbi obstetricibus, quoad salarium comparari videntur num. 1. cui respondetur num. 2. vbi verus istius principij intellectus ostenditur, & ad medicum seruum, qui vnius saltē morbi curam profitetur, restringitur rectissimè. Potest & ad titulum de salarijs referri.

Synopsis Q. XXVIII.

Pertinet similiter ad titulum de Medicis. Et quidem Medicus, qui (in specie proposita) ita iter triduanum, felici vsus duplomate, vno die confecit, ex sententia quorundam, non trium dierum, sed vnius tantum salarium petere potest num. 1. ex sententia verò glossæ cuiusdam, non vnius tantum, sed trium dierum salarium petere potest, num. 2. Quas duas contrarias sententias, Alberic. de Rosate, fœdere distinctionis conciliat, nu. 3. vt ibi videre licet. Potest etiā referri ad titulū de salarijs.

Syno-

Synopsis Q. XXIX.

Pertinet similiter ad titulum de Medicis, quomodo videlicet puniendi sint, si curam protrahant. Et quidem Medici varias nouerunt fraudes differendæ curæ, ad emũgendam pecuniam ægrotis, nu. 1. vbi Plinij Iunioris auctoritate id comprobatur, cuius dictum hac de re ibi citatur. Quo casu infirmus pro rescissione contractus, si quid promissum: & pro restitutione, si quid extortum: item pro damno & interesse, ob dilationem passo, iudicis officium implorare potest, nu. 2. & 4. cuius forma proponitur n. 3. Pertinet etiam ad titulum de pœnis.

Synopsis Q. XXX.

Pertinet similiter ad titulum de Medicis, nũ videlicet Medicus prænoscens mortẽ patientis sui vicinam, ad indicationem vel denunciationem teneatur. Et teneri hic definitur, si existimet eam patienti suo vtilem futuram, num. 1. in princ. ob rationem assignatam nu. 2. Sin verò existimat istam denunciationem patienti suo parum aut nihil profuturam, licet stricte non teneatur, rectius tamen facit, si denunciauerit d. nu. 1. vers. aut credit & n. 3. ob rationem ibi assignatam. Sin verò dubitat, num denunciatio ægroto vtilis sit, nec ne similiter denunciare tenetur, d. nu. 1. in fine, iunctis num. 4. & 5. ob rationem ibi assignatam. Quæ distinctio est Iohan. de Neapolis. Pertinet etiam ad titulum de indicationibus & denunciationibus.

Syno-

Synopsis Q. XXXI.

Pertinet similiter ad titulum de Medicis. Et definit (in facti specie hic proposita) medicum, qui ægrotum certa cum mercede pacta, semel curauit, isq; denuò in eundem morbum ex ijsdem humoribus, & pristina causa recurrentem, incidat, pro pacto semel salario, iterum curare debere, quod causam morbi non sustulerit totaliter, sed tantum suspenderit aliquandiu. Quod si non ex ijsdem humoribus, & eadem causa, sed ex noua causa morbus recurrit, nouum salarium Medico constituendum esse num. 1. & 4. Quæ distinctio est Pilei Modicensis. Potest & ita distingui secundum eundem Pileum: vt si morbus recurrerit culpa Medici, pro eodem salario curare tenetur: sin culpa ægroti, nouum salarium sit constituendum, nu. 5. per rationes ibi adductas. Deniq; potest & ita distingui, secundum Speculatorem, vt, si morbus ex continenti redierit, pro eodem salario Medicus mederi teneatur, quòd non videatur infirmitas recessisse, quæ citò rediit, item quòd rediisse videatur ex causa & radice pristini morbi num. 6. vbi etiam alia huius decisionis fundamenta adducuntur: sin verò ex interuallo redierit, nouum salarium Medico constituendum esse d. num. 9. in fine. Quando autem in continenti, & quando ex interuallo morbus rediisse dicatur, certis regulis diffiniri non potest, proindeq; ad iudicis arbitrium reijcitur, nu. 7.

Et his

Et his distinctionibus, vt verissimis, retentis, nõ obstant rationes à glossa quadam adductæ, quæ innuere videntur, Medicum hoc casu, indistincte pro eodem salario medicari debere num. 2. Et aliæ sub nu. 3. relatæ, quæ ex diametro contrarium innuere videntur, Medicum scilicet hoc casu nostro, pro eodem salario curare non teneri, sed nouum salarium constituendum esse. Pertinet etiam ad titulum de salarijs.

Synopsis Q. XXXII.

Pertinet similiter ad titulum de Medicis, num videlicet inuitus Medicus mederi teneatur. Et quidem, quod medicus ægrotum curare teneatur etiam inuitus, si semel eius curam susceperit, definitur num. 1. 2. 3. per rationes ibi adductas: Et proprijs quidem sumptibus & impensis, quas tamen, ægroto vel conualescente, vel mortuo, repetit ad instar negociorum gestoris quòd domini vel ægroti negocium vtiliter gesserit, num. 5. Etiam inuitum & reluctantem, num. 6. per rationes ibi adductas. Quo similiter casu, expensas repetet, nisi donandi animo, & pietatis intuitu, impendisse probetur d. nu. 6. in fine. Etiam tunc quando de salute ægroti desperat, num. 7. non obstante, quod Doctor Iurista patrocinium causæ desperatæ suscipere non teneatur, num. 8. in princ. Quod diluitur, eod. nu. 8. ante fin. compelli autem potest medicus ad

meden-

medendum officio iudicis, ad instar aduocati, nu. 2. & 4. Pertinet etiam ad titulum de ægrotis.

Synopsis Q. XXXIII.

Pertinet similiter ad titulum de Medicis, num videlicet medicus gratis mederi teneatur. Et quod non gratis, sed ob condignam tantum mercedem mederi teneatur definitur num. 1. propter tria fundamenta relata sub nu. 2. 3. & 4. non obstantibus in contrarium adductis, num. 5. in princ. Quibus dupliciter respondetur d. modò nu. 5. & nu. 8. Et responsioni priori, commonitio vtilis ad medicos & aduocatos subijcitur, ne scilicet vel sanitatem ægrotis, vel victoriam clientulis suis vtpote, quæ non penes ipsos, sed penes Deum vel iudicem sit, arrogantius & superbius repromittant, num. 6. & 7. Et hæc decisio vsq; adeò vera est, vt ne tunc quidem medicus (vel aduocatus cum ad paria hoc casu iudicentur) gratis curare teneatur, cum morbũ eiusq; curam sine vlla librorum reuolutione notam habet, nu. 9. per rationes ibi adductas, non obstante contraria sententia, cuius auctores laudantur num. 10. non tamen procedit hæc decisio in pauperibus extrema paupertate laborantibus, nu. 11. & 19. 12. 13. 14. 15. vbi id etiam alijs paupertatis priuilegijs illustratur. His enim, Medici & aduocati, gratis inseruire debent, & præmium à Deo expectare in tantum vt sub pœna, non solum pecuniaria, sed etiam priuationis officij, ad id com-

compelli possint, num. 16. Item in tantum his gratis seruire tenentur, vt ne quidem exceptione præstiti iurisiurandi, de non medicando vel aduocando sine salario, se excusare possint, num. 17. Item in tantum his gratis seruire tenentur, vt nisi faciant, mortali peccato se polluant, nu. 18.

Synopsis Q. XXXIIII.

Pertinet ad titulum de contractibus, num videlicet clientes cum Aduocatis suis ad foliorum numerum contrahere vel pacisci debeant. Cuius negatiua hic defenditur propter incommoda inde euenientia, si ad numerum chartarum vel foliorum contrahatur. Pertinet etiam ad titulum de clientibus.

Synopsis Q. XXXV.

Pertinet ad titulum de iudicibus, num videlicet iudex seu magistratus, inopi & pauperi sumptus litis subministrare debeat. Et debere definitur hic, secundum veriorem, humaniorem, & communiorem, vsuq; practico receptam sententiam Accursij & sequacium, quorum nomina laudantur nu. 1. & 4. Secundum Angeli verò sententiam hodie non teneri num 2. Secundum Felini verò & Matthæi de Afflictis sententiam, non aliter teneri, quàm sub distinctionibus eorum relatis num. 3. vbi vide. Hodie hæc disputatio quibusdam in locis præciditur, dum publico

sala-

salario, pauperum procuratores constituuntur n. 5. Pertinet etiam ad titulum de paupertate & pauperibus. Item ad titulum de sumptibus & expensis litis.

Synopsis Q. XXXVI.

Pertinet ad titulum de exceptionibus. Et quidem exceptionem retentionis, creditori in bonis debitoris sui competentem. Quæ h. definitur ex Colero num. 1. Rationes eius proponuntur num. 7. Quibus non aduersari iura in contrarium adducta sub num. 3. & 4. in princ. ostenditur duplici responsione d. nu. 4. vers. quoniam supradicta iura, & nu. 5. Pertinet etiam ad titulum de creditoribus & debitoribus.

Synopsis Q. XXXVII.

Pertinet ad titulum de paupertate & pauperibus. Et quidem de priuilegijs & fauoribus eorum, quorum præcipua hæc sunt I. quod salaria introducendæ & prosequendæ appellationis ijs non currunt num. 1. nisi ex sententia Hippolyti Marsilienſis, paupertatem propria sua culpa accersuerint d. num 1. in fine. In fatalibus siue decendio interponendæ appellationis. Guid. Papæ distinguit nu. 2. Iaſ. verò indistinctè concludit, pauperi hoc casu decendium currere. Quod camera Imp. sequitur num. 3. Geilius Guidonem Pap. cum Iaſone distinctionis fœdere conciliat num. 4. II. quòd furtum eorum mitius punitur num. 5. III. quod medici,

medici, aduocati, procuratores, doctores, iudices, commissarij, nuncij, camerae, notarij, praeceptores, visitatores, gratis ipsis inseruire tenentur, num. 6. 7. 8. 9. 10. 11. à num. 13. ad fin. vsq; alia quindecim, praeter iam dicta paupertatis priuilegia recensentur, quae ibi videto.

Synopsis Q. XXXVIII.

Pertinet similiter ad titulum de paupertate & pauperibus. Et quidem de eius probatione. Paupertatem vel diuitias alleganti onus probandi incumbit nu. 1. Quis diues vel pauper dicatur, iudicis arbitrio relinquitur nu. 2. nisi lege vel statuto id constitutum vel diffinitum fuerit, tunc enim iudicis arbitrium cessat, nu. 3. Exinde vsq; ad nu. 27. pro informando iudicis arbitrio, viginti duo modi probandi paupertatem recensentur, quos ibi videto. Sub nu. 27. quasi coronidis & auctarij vice, subijcitur differentia inter pauperem, inopem, mendicum, & miserabilem. Pertinet etiam ad titulum de probationibus.

Synopsis Q. XXXIX.

Pertinet similiter ad titulum de paupertate & pauperibus. Et quidem de quatuor eius incommodis. Quorum primum h. à principio vsq; ad nu. 13. excluſiuè, cum suis ampliationibus, limitationibus, declarationibus refertur. Secundum cum suis distinctionibus, nu. 2. tertium, & quartum num. 14. & 15. Quibus sub nu. 16. quasi au-

tiary vice subijcitur remißio ad Stobæum, Benstium, de vituperio & laude paupertatis ac diuitiarum, & de comparatione vtriusq;.

Synopsis Q. XL.

Pertinet ad titulum de Regulis Iuris. Et quidem in Rubrica, iuncto num. 1. proponitur regula hæc vulgata: Qui non habet in ære, luat in corpore: vel subsidiarium tergum præbeat, cui non suppetit pecunia. Sub num. 2. sedes & fundamenta eius ostenduntur. Sub reliquis numeris ad finem vsq;, quinq; eius limitationes & declarationes proponuntur. Pertinet etiam ad titulum de pœnis. Et quidem ad caput, de alteratione, commutatione, & conuersione pœnarum.

Synopsis Q. XLI.

Pertinet ad titulum de Typographis siue libraryis. Et docet, Typographum auctori siue compositori, vltra constitutum precium, honorarij loco, etiam ad aliquot exemplorum libri impressi donationem obligari. Idq; per fundamenta num. 2. 3. 4. 5. 6. 7. adducta: non obstante fundamento pro contraria sententia num. 1. relato. Pertinet etiam ad titulum de contractibus, Et quidem ad caput interpretationis. Item ad titulum de obligationibus.

Synopsis Q. XLII.

Pertinet ad titulum de homicidijs. Et quidem ad eum casum, quo homicidium à pluribus com-

commissum est. Quo in casu aliter iure ciuili, aliter iure Saxonico distinguitur. Ius ciuile hos casus distinguit: Aut deliberato & communicato consilio, & ex proposito, multi quem occiderunt. Et quid hoc casu iuris sit, iunctis suis ampliationibus, ostenditur num. 2. 3. & 4. Aut citra deliberationem, loco obscuro, incalescentibus vtrinq; animis, in turba, rixa, & tumultu, plures quem occiderunt: Et tunc aut scitur author homicidij, & plectitur ordinaria pœna l. Corneliæ num. 5. aut ignoratur, & secundum quosdam similiter omnes pugnantes pœna ordinaria homicidij plectuntur num. 6. per iura & fundamenta ibi adducta: Quæ diluuntur num. 7. 8. 9. Verius igitur secundum alios, ita distinguitur: aut vnicum vulnus est illatum, ex quo vulneratus decessit, sed ignoratur, quis ex pluribus illud inflixerit: Aut plura sunt illata vulnera lethalia, & certi sunt vulneratores, & certa etiam vulnera à singulis illata, sed ignoratur ex quo vulnere in specie vulneratus mortuus sit: Aut plura vulnera inflicta, partim sunt lethalia, partim non lethalia. Aut omnia quidem vulnera sunt lethalia, omnes etiam vulneratores certi, sed incertum, quæ vulnera à singulis inflicta sint: Aut denique ex multis vulneribus vnũ tantũ est lethale n. 10. vbi quid in vnoquoq; casu iuris, definitur ibi clarè & rotundè, vbi videto. Geilius in hoc incertitudinis casu, vbi multis

confligentibus, auctor homicidij ignoratur, concludit: omnes pœna extraordinaria puniendos esse, num. 11. vbi ea conclusio vera & magis communis adpellatur. Quæ tamen quatuor modis limitatur nu. 12. 13. 14. 15. 16. Porrò, iuris Saxonici in hoc casu incertitudinem & fluctuationem, sententiandi ac pronunciandi diuersitas & contrarietas, arguit, vt videre est num. 17. 18. 19. 21. Quam tamen postea Elector Saxonicus, certa definitione concluſit num. 20. Pertinet etiam ad titulum de pœnis.

Synopsis Q. XLIII.

Pertinet ad titulum de testamentis. Et quidem ad caput qui testamentum facere possunt. Distinguit tres casus ad dignoscendum, an quis testabilis sit, nec ne. Distinctio talis est. Quidam perpetuò furiosi, omni omninò mente, sensu, & intellectu carent, & ad pecudum naturam quàm proximè accedunt. Qui planè sunt intestabiles: Quidam, interdum intellectu carent, & habent furoris sui dilucida interualla. Quo tempore rectè testantur. Quidam integram quidem mentem habent, sunt tamen groſsioris, simplicioris, hebetioris, atq; stupidioris ingenij. Atq; ita medium quodammodo locum inter sapientes, & mente captos obtinent. Et hi rectè testantur, num. 1. & 2. vbi hæc distinctio nullo contradicente communis perhibetur. Sub num. 3. modus probandi, quem ob ra-

ob rationis iudicijq; defectum inteſtabilem eſſe, ſubijcitur.

Synopſis Q. XLIIII.

Pertinet ad titulum de AEtate hominis eiuſq; gradibus & diſtinctionibus. Quinq; gradus conſtituuntur num. 1. Pueritia, adoleſcentia, firma ætas, perfecta ætas & ſenectus. Pueritia ſiue pupillaris ætas num. 2. rurſus diuiditur in tres gradus. Infantes ſcilicet, de quorum diffinitione, proprijs & priuilegijs, num. 3. Infantiæ proximos, de quorum definitione nu. 4. pubertati proximos, de quorum definitione, nu. 5. Qui quantum à pubertate diſtent, varijs opinionibus certatum eſt, quæ enumerantur num. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. In pubertate quoq; definienda quatuor diuerſæ opiniones referuntur num. 17. 18. Adoleſcentiæ initium, finis & partes, definiuntur num. 19. Firmæ ætatis initium & finis, definitur num. 20. Perfectæ ætatis initium, & finis num. 21. ſenectutis verò initium, finis, & definitio, traditur num. 22. Quibus auctarij vice num. 23. additur remiſſio, pro pleniore huius materiæ cognitione ad Menoch. Beuſt. Cuiac. Borcholt. & Hort. Odd.

Synopſis Q. XLV.

Pertinet ad titulum de Inſtitutione hæredis & legatis. Quod ſcilicet blandis & deleniſicis verbis captari poſſint, idq; per tria fundamenta relata num. 1. ſubiectis tribus limitationibus, cum

declarationibus, num. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Quarum vltima, quæ est Angeli sub num. 17. proposita, reprobatur num. 18. non obstante doctrina Angeli pro illa adducta, cui respondetur num. 19.

Synopsis Q. XLVI.

Pertinet ad titulum de iuramentis. Et quidem in specie de iuramento suppletorio, cui scilicet id sit deferendum, actorinè, an verò reo. Quo in puncto tres diuersæ opiniones, Azonis, Hugolini & Speculatoris recensentur num. 1. 2. & 3. Quarum vltima, in arbitrio iudicis consistens, vtilibus aliquot declarationibus & considerationibus illustratur num. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Synopsis Q. XLVII.

Pertinet ad titulum de testamento inter liberos à patre vel matre condito, num videlicet coram duobus testibus factum valeat? Et quod valeat, & quidem secundum communem opinionem, probatur num. 1. subditis tribus ampliationibus, relatis n. 2. 3. & 4. Non obstantibus iuribus, quæ vltimæ ampliationi obijciuntur, n. 5. in princ. Quibus respondetur d. modo nu. 5. post princ. iuncto nu. 6.

Synopsis Q. XLVIII.

Pertinet similiter ad titulum de testamento inter liberos condito, num videlicet manu patris vel matris, in schedula quadam conscriptum, etiam nullis testibus adhibitis, validum sit. Quo in puncto

puncto tres diuersæ opiniones recitantur, affirmatiua vt verior approbata communiter & ampliata, cum suis declarationibus, & requisitis, num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 10. Negatiua, reprobata num. 8. Distinctiua num. 9. cui tamen prior, vt verior & communior, ita etiam in iudicando, & consulendo, præferenda, d. num. 10.

Synopsis Q. XLIX.

Pertinet ad titulum de testamentis in scriptis. Qua forma videlicet hodie vsitatè celebrentur. Qua ex Speculatore transcripta est verbotenus num. 1. iuncto num. 5. & 6. Forma subscriptionis testatoris, si ipse testamentum scripsit, num. 2. Si alius ipsius nomine, nu. 3. Testium nu. 4. refertur. Quam formam Speculatoris, vt defectuosam, in tribus supplet Roland à Valle num. 7. 8. & 9. Quibus auctary loco subijcitur numerus 10.

Synopsis Q. L.

Quoad primam partem, pertinet ad titulum de testamentis, & quidem ad illud caput, quo agitur de Impugnatione & vicijs eorum ratione defectus testium, an videlicet testamentum corruat, mortuo vno teste testamentario ante testatorem, vel ante apertas tabulas, & recognitionem sigillorum. Quoad affirmatiuè definitur num. 1. Quoad alteram partem pertinet ad titulum de cautelis, num videlicet, si dicamus testamentum ob supradictum defectum corruere euentus

iste & periculum nullitatis, aliquo modo præcaueri posit. Et huic euentui tria præseruatiua remedia siue cautelæ opponuntur num. 2. 3. 4. Quarum auctores laudantur, priorq; in vsu practico, posterioribus duobus præfertur num. 5. Quam tamen etiam hodie, ob clausulam quandam testamentis à notarijs communiter adponi solitam, exiguum vsum habere ostenditur num. 6.

Synopsis Q. LI.

Pertinet ad titulum de testamentis. Et quidem ad illud genus, quod in scriptis celebratur. Qua videlicet ratione id primum adinuentum, introductum, & vsurpatum fuerit. Cuius quidem introductionis ex Fabro duæ rationes assignantur, num. 1. & 2. Et vsurpatores earum in decidendo & consulendo duo laudantur nu. 3. vsusq; & praxis earum exemplo ostenditur num. 4.

Synopsis Q. LII.

Pertinet ad titulum de in ius vocando, non posse videlicet patrem spiritualem, ad instar naturalis siue carnalis, sine venia in ius vocari. Cuius decisionis, vt verioris, sanioris, & communioris, auctores & sectatores laudantur num. 1. Et confirmatur duodecim fundamentis & rationibus, nu. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Quamuis controuersa hæc esse ostendatur num. 2. Pertinet etiam ad titulum, de parentibus & liberis. Item de susceptoribus & compatribus.

Syno-

Synopsis Q. LIII.

Pertinet similiter de in ius vocando, non posse videlicet ciuitatem, patriam vel Rempublicam, ad instar parentis, à ciuibus siue subditis, sine venia in ius vocari. Cuius decisionis, vt verioris & communioris, licet Baldus contra sentiat, auctores & sectatores laudantur, num. 1. & confirmatur auctoritatibus & rationibus sub num. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. vbi multa de amore & debito patriæ adducuntur. Pertinet etiam ad titulum de patria. Item ad titulum de ciuitate, Republica, vel communione.

Synopsis Q. LIIII.

Pertinet similiter ad titulum de in ius vocando, non posse videlicet præceptores à discipulis, ad instar parentum, aliarumq; personarum, quibus reuerentia debetur, sine venia in ius vocari. Cuius decisionis, vt verioris, auctores & sectatores laudantur num. 1. Et confirmatur auctoritatibus & rationibus d. num. 1. cum nouem seqq. vbi multa vtilia de officio discipulorum erga parentes adsperguntur. Licet non desint, qui contrariam communem adserant, qui referuntur n. 11. Qui duplici distinctionis fœdere superioribus conciliantur sub nu. 18. 19. cum 6. seqq. cui dubietati, pro maiori securitate consilium Sneideuini, & Zasii cum duobus exemplis ab ijs adductis, subijcitur num. 26. & 27.

Synopsis Q. LVI.

Pertinet similiter ad titulum de in ius vocando: non posse videlicet quem inuitum, ex domo sua extrahi, & in ius vocari. Cuius decisionis fundamenta, & adplausores, cum tribus eiusdem rationibus, laudantur num. 1. & ampliatur viginti modis, cum suis declarationibus, & explicationibus, relatis à nu. 2. vsq; ad nu. 41. exclusiuè. Exinde ad finem vsq; octodecim limitationes, cum suis itē declarationibus & explicationibus, subiiciuntur.

Synopsis Q. LVII.

Pertinet ad titulum de Exceptionibus. Et quidem in specie de exceptione siue priuilegio fori, habetq; certarum personarum enumerationem, quæ hoc priuilegium habent sub nu. 1. 2. 3. 4. Cui vltimo de scholasticis sub n. 4. certa declarationes & explicationes annectuntur sub n. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Cui tamen renunciari potest sub certis distinctionibus & declarationibus relatis n. 13. cum seqq. ad finem vsq;. Pertinet etiam ad titulum de priuilegijs. Item de renunciationibus.

Synopsis Q. LVIII.

Pertinet ad tit. de citatione & cōparitione, nē videlicet citatus à iudice quocunq; etiam incompetente, ad euitandā pœnā contumaciæ, vel allegandum suum, si quod habet, priuilegium, comparēre debeat vel non debeat. Ad cuius quæstionis decisionem tres casus distinguuntur. De primo casu

cum

cum suis distinctionibus & declarationibus, agitur à princ. vsq; ad nu. 14. exclusiuè. Exinde vsq; ad nu. 17. exclusiuè, de secundo casu: & deinde ad finem vsq; tertius casus expeditur. Pertinet etiam ad titulū de pœnis. Item ad titulū de contumacia.

Synopsis Q. LIX.

Pertinet ad titulum de contumacia, quæ videlicet iustæ sint causæ, quæ à pœna contumaciæ excusant. Quarum viginti & vna, cum suis distinctionibus & declarationibus enumerantur à princ. vsq; ad nu. 41. exclusiuè, sub quo quatuor peculiares causæ, quæ de iure Saxonico specialiter à contumacia excusant, recensentur, quibus tamen similes & æquè releuantes non censentur exclusæ. His auctarij vice sub num. 42. subijcitur commonitio Gailij ad Aduocatos, de vicijs citationum diligenter obseruandis. Pertinet etiam ad titulum de pœnis. Item ad titulum de excusationibus.

Synopsis Q. LX.

Pertinet ad titulum de pœnis. Et quidem de pœna eius, qui iudici, eiusue satellitio, ministerio, vel custodiæ, quem exemit. Distinguitur triplici modo, aut captus ob publicum vel priuatum debitum, manibus iudicis, eius familiæ, vel carceri violenter eripitur. Cuius casus pœna proponitur num. 1. Aut confessus vel conuictus in iudicio de crimine, ideoq; in carcerem coniectus, vel dum in ius ducitur, eximitur. Cuius casus pœna sub distin-

distinctione proponitur, num. 2. & 3. aut denig; manibus iudicis, vel carcere eximitur, qui accusatus quidem est, nondum tamen confessus aut conuictus, cuius casus pœna proponitur num. 4. Pertinet etiam ad titulum de carcere, custodia &c.

Synopsis Q. LXI.

Pertinet ad titulum de feriis. Ea definiuntur num. 1. Diuiduntur in solennes, indictas, & repentinas num. 2. Solennes definiuntur & exemplificantur num. 3. & 5. Indictæ definiuntur nu. 4 vbi de temporibus meßium & vindemiarum controuersia quædam aßpergitur. Repentinæ definiuntur num. 6.

Synopsis Q. LXII.

Pertinet ad titulum de exceptionibus, & quidem ßpecialiter de exceptione feriarum, num videlicet proßit etiam ijs, qui ipßi in meßibus occupati non ßunt. Et non prodeße deciditur num. 1. Prodeße deciditur verius num. 2. per rationes ibi adductas.

Synopsis Q. LXIII.

Pertinet ad titulum de edendo, & quidem ßpecialiter de editione libelli, vtrum videlicet libelli editio partium renunciatione omitti poßit? Et non poße in iudicio ordinario deciditur num. 1. niß de conßuetudine vel ßtylo quarundam curiarum num. 3. vbi in fine ad alios casus exceptos quinquaginta numero remittitur ad Speculatorẽ.

Poße

Posse partes sibi inuicem editionem remittere deciditur num. 2. Atq; ita per modum distinctionis quæstio proposita expeditur. Pertinet etiã ad titulũ de libellis. Itẽ ad titulũ de renunciationibus. Item ad titulũ de contractibus, pactis, & conuẽtionibus.

Synopsis Q. LXIIII.

Pertinet ad titulum de libellis. Et quidem libelli absolutam & perfectam definitionem proponit num. 1. quæ à num. 2. ad finem vsq; declaratur & exponitur: vt per discursum videre licet. Pertinet etiam ad titulum de definitionibus.

Synopsis Q. LXV.

Pertinet similiter ad titulum de libellis. Et quidem ad caput emendationis & mutationis, quamdiu scilicet illa concessa sint. Quod emendationem attinet, res certorum casuum distinctione expeditur à princ. vsq; ad num. 8. exclusiue. Exinde ad nu. vsq; 10. Exclusiuè mutationis quæstio breuiter etiam deciditur. Sub nu. 10 vtriusq; differentiæ ostenduntur. Sub num. 11. ad sedes materiæ, pro pleniore cognitione, sit remissio. Pertinet etiam ad titulum de Actionibus.

Synopsis Q. LXVI.

Pertinet ad titulum de actionibus, quæ scilicet actiones cumulari & coniungi simul possint, vel non possint. Vtrumq; proposita regula generali cum subiectione exemplorum perficitur. Et primum quidem à princ. vsq; ad num. 10. exclusiuè.

Exinde

Exinde ad num. vsq; 18. exclusiuè vltimum, quæ scilicet simul coniungi non possint, expeditur. Quibus sub d. num. 18. ad sedes materiæ, pro pleniore cognitione, fit remissio. Pertinet etiam ad titulum de libellis.

Synopsis Q. LXVII.

Pertinet ad titulum de libellis. Et quidem de clausulis, saluantibus, libellis vtiliter addi consuetis. Quarum decem numero hic ordine referuntur. Cognitio verò effectus earundem reijcitur ad sedes ordinarias nu. vlt. Pertinet etiam ad titulum de clausulis.

Synopsis Q. LXVIII.

Pertinet ad titulum de Argentarijs. Qui scilicet sint Argentarij, quam varie adpellentur, & quod sit eorum officium. Quæ omnia cum suis declarationibus breuiter hic explicantur.

Synopsis Q. LXIX.

Pertinet ad titulum de Aduocatis & Procuratoribus. Et tractat de generali & speciali eorum adpellatione num. 1. & 2. in princ. Exinde de officio, & differentijs eorum, cum suis declarationibus ad finem vsq;.

Synopsis Q. LXX.

Pertinet ad titulum de pœnis, eorum videlicet, qui bina sponsalia, vel binas nuptias eodem tempore contrahunt. Eaq; pœna proponitur num. 1. Eius sententia Scabinorum Lipsensium in nuptijs num. 2.

num.2.in sponsalibus,num 3. & 4.Pœna superioris auctio ex constitutione Caroli 5.n.5. Imitatio Electoris Saxonici cum extensione nu. 6. Pertinet etiam ad titulum de sponsalibus. Item ad titulum de nuptijs. Item ad titulum de Polygamia.

Synopsis Q. LXXI.

Pertinet ad titulum de Infamia. Et quidem facti. Quæ desumtur num. 1. exempla eorum, qui eam sustinent,recensentur à num. 2 ad finem vsq;.

Synopsis Q. LXXII.

Pertinet ad titulum de Principis potestate. Et quidem num Princeps legibus solutus sit. Solutum eum,certis casibus ostenditur nu. 1.2.12.13.14. 15.16.17. non solutum,similiter certis casibus ostenditur,num.18. 19.20.21.22. Quo pertinent etiam dicta relata sub num.23.24.25.26. Sub num. 5. 6. 7.8. 9. proponitur casus in quibus Augusta cum Augusto pari iure, ijsdemq; priuilegijs vtitur, cuius ratio subijcitur nu.10.& 11. cur Augustæ legatum,in eius persona desinat,secus in Augusto, nu. 2.& 3.traditur diuersitatis ratio nu.4.Pro specialibus Principis priuilegijs & reseruatis fit remissio sub n.27. Pertinet etiã ad titulũ de priuilegijs.

Synopsis Q. LXXIII.

Pertinet ad titulum de consuetudine. Et quidem de eius introducendæ requisitis quatuor num. 1. De quorum primo, rationabilitate scilicet agitur num.2. Quæ autem dicatur rationabilis vel irra-

irrationabilis, quinq; diuersis doctrinis & opinionibus declaratur num. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. De secundo, annorum scilicet numero, quatuor similiter diuersæ doctrinæ & opiniones referuntur, num. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. De tertio, actuum siue exemplorum frequentia, similiter tres diuersæ opiniones recensentur num. 23. 24. 25. 26. 27. 28. Num verò actus istos iudiciales vel extraiudiciales esse oporteat, definitur num. 29. De quarto, tacito videlicet populi consensu, traditur num. 30. Quibus num. 31. 32. subijcitur, scripturam ad substantiam consuetudinis non requiri, & si nonnunquam in scripturam redigatur, ob id eius naturam non immutari.

Synopsis Q. LXXIV.

Pertinet ad titulum de iure liberorum, & quidem eorum qui in vtero adhuc existunt, quando pro natis habeantur, vel non habeantur. De primo membro regula generalis traditur: toties in vtero existentes pro natis haberi, quoties de commodo eorum agitur, quæ exemplis declaratur, à prin. vsq; ad n. 13. exclusiuè. Exinde ad finem vsq; referuntur casus & exempla, in quibus partus in vtero existētes necdū editi, nihilominùs prosunt.

Synopsis Q. LXXV.

Pertinet ad titulum de Rescriptis Principis vel Papæ, num videlicet hac, errore, vel in literis, vel in constructione, commisso, vicientur. Et quidem

dem primũ membrũ, quoad literas definitur n. 1. Secundum, quoad constructionem, Syntaxin, siue Grãmaticam, controuertitur sub nu. 2. 3. & 4. vbi duæ diuersæ opiniones recensentur. Pertinet etiam ad titulum de errore.

Synopsis Q. LXXVI.

Pertinet ad titulum de Hermaphroditis, siue androgynis, cui videlicet sexui annumerandi sint. Quæ causa & modus generationis, Et num inter homines, vel monstra referendi. Quorum primum definitur regula & exemplis num. 1. 2. 3. 4. 5. Secundum, num 6. 7. 8. 9. 10. 11. vbi diuersæ opiniones hac de re adducuntur, adde infra q. 81. num. 27. vltimum sub num. 12. 13. 14. 15. & 16.

Synopsis Q. LXXVII.

Pertinet ad titulum de liberis, & quidem iustis & legitimis. Qui definiuntur num. 1. nascuntur & vitales sunt etiam septimo post celebratas nuptias, mense, num. 2. Quod exemplis declaratur, num. 3. & 4. Ratio occultæ septenarij numeri operationi adscribitur num. 7. His de numeratione vel computatione mensis quædam asperguntur nu. 5. & 6. non sunt vitales & perfecti sexto mense nati num. 8. vt nec octauo mense nati num. 9. 10. 11. 12. cum rationibus assignatis, & cur diuersum in septimestribus. Fallit in quibusdam regionibus & locis num. 13. Nono & decimo mense nati, vitales & legitimi sunt num. 14. Nec mulier vltra deci-

mum mensem vterum gestat, & quare num. 15. vndecimo mense à morte mariti, legitimi non sunt, nu. 16. 17. Non obstante exemplo adducto num. 18. secundum responsionem & distinctionem Cuiacij, inter finem & initium vndecimi mensis, vt scilicet sub finem vndecimi mensis nati, legitimi non sint, sub initium nati, iusti & legitimi sint, num. 19. Quam VVitebergenses pronunciando secuti sunt, num. 20. sub num. 21. exemplum partus duodecimi mensis: sub nu. 22. exemplum decimi tertij: sub nu. 23. exemplum decimi quarti, iusti & legitimi recensentur. Quæ tamen in consequentiam non trahenda n. 24. Et ad iudicis arbitrium, si quando similia offeruntur, reijcienda nu. 25. Quibus auctarij loco sub nu. 26. modus fœturæ ex Schonero Astronomicus subijcitur. Et sub nu. 27. plenior materiæ cognitio ad Medicos & Physicos reijcitur.

Synopsis Q. LXXVIII.

Pertinet ad titulum, de testamentis, Et quidem in scriptis, eorumq; requisitis, ad publicationem, aperturam, & resignationem, necessarijs, quorum numero nouem, cum suis declarationibus, ordine hic enumerantur, quæ videto.

Synopsis Q. LXXIX.

Pertinet ad titulum de liberis, cuius scilicet sint, si mulier defuncto marito, alteri statim nupta, nono postea mense pariat. Quod controuertitur: qui-

quibusdam existimantibus, hunc partum primi mariti esse & quare, num. 1. quibusdam secundi & quare, num. 2. quibusdam vtriusq; & quare, num. 3. quibusdam neutrius, & quare, num. 4. quibusdam eius, cuius similitudinem repræsentat, & quare, num. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. vbi id auctoritate iurisconsultorum, poëtarum, Philosophorum, & ipsa experientia comprobatur. Quibus adde infra quæst. 81. num. 18. 19. 20. 21. Non obstante, quòd ex Butrigario, de cognitione mariti, tempore, adulterij, adducitur, num. 7. respondetur nu. 15.

Synopsis Q. LXXX.

Pertinet similiter ad titulum de liberis, cur videlicet alias patri, alias matri similiores sint. Quod diffinitur ex Aristotele, secundum differentiam quantitatis seminis ab vtroq; parente, ad generandum, collati, vt hic videre est.

Synopsis Q. LXXXI.

Pertinet similiter ad titulum de liberis, Et quidem monstrosis vel portentosis, num liberi sint, & num prosint, vel non prosint. Quod diffinitur à num. 36. ad finem vsq;, cuius declarationis causa quædam adduntur de ostentis, quid scilicet sint Physicis & Iureconsultis, num. 2. & 3. quæ eorum exempla n. 4. 5. & 6. De portentis, quid sint, num. 7. de monstris, quid sint, num. 8. Quæ

eorum exempla, num. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. quæ causa remota num. 17. quæ propinquæ, num. 18 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. vbi id exemplis declaratur: De prodigijs exempla num. 30. 31. 32. 33. 34. 35. Et de singulorum Etymologia num. 1. Pertinet etiam ad titulum de monstris, portentis, ostentis & prodigijs.

Synopsis Q. LXXXII.

Pertinet ad titulum de Emancipationibus. Ea definitur num. 1. in princ. Quomodo olim & hodie Iure ciuili fiat definitur num. 1. & 5. Quomodo consuetudine Gallicana, Bituricensi, Senensi, Blerensi, Burgundiaca, nu. 2. & 8. Quomodo iure Saxonico, num. 3. cum cuius fine, quoad locum, discrepat ius ciuile, num. 4. Quomodo ex Nouella constitutione Leonis Philosophi num. 6. non obstante nu. 7. Quomodo iure Burdegalensi & Burgundionum, num. 8. Pertinet etiam ad titulum de liberis.

Synopsis Q. LXXXIII.

Pertinet ad titulum de sacrilegio, quomodo videlicet iure ciuili, quomodo item iure Pontificio definiatur. De priore num. 1. & 2. de posteriore, num. 5. Et vtra definitio, statuto pœnam sacrilegio imponente, sequenda sit, definitur num. 4. secundum distinctionem Iulij Clari. Quibus auctarij vice nu. 6. de varia pœna sacrilegij, remissio ad Clarum subijcitur.

Syno-

Synopsis Q. LXXXIV.

Pertinet ad titulum de pœnis, Et quidem num brutum animal & irrationale delinquens, pœna mortis adfici debeat. Et non debere, de iure ciuili diffinitur num. 1. 2. vbi hæc communis perhibetur. Fallit de consuetudine nu. 3. & 4. Quam Iul. Clar. restringit, ad vnicum casum, quo homo cum bruto commiscuit num. 5. Qui iure diuino & canonico comprobatur, num. 6. Etiamsi conatus (actui tamen proximus) effectum non habuerit, num. 7. 8. 9. 10. Quod exemplis comprobat Boer. & Roland. à Valle nu. 11. & 12. & confirmatur à Carolo 5. d. nu. 12. in fine: Etiamsi bruti in sententia expresse mentio facta non sit, num. 13. Eaq; consuetudo, alicubi etiam ad locustas, mures, limaces & huiusmodi animalcula, fructibus terræ damnũ inferentia, teste Chas. producitur, quod Iul. Clar. improbat num. 14. Item ad Inanimata, nu. 15. 16. 17. 18. vbi exempla referuntur. Pertinet etiam ad titulum de brutis animalibus.

Synopsis Q. LXXXV.

Pertinet similiter ad titulum de pœnis, num videlicet cadauer hominis mortui pœna adfici possit? Et non posse, secundum communem, confirmatur num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. cuius tamen contrarium praxis obseruat num. 7. Proindeq; casu euenientes res ad arbitrium iudicis reijcitur, d. num. 7. cuius arbitrij causæ quinq; & exempla referuntur à n. 8.

ad finem vsq;. Pertinet etiam ad titulum de cadaueribus hominum mortuorum. Item de iurisdictione & imperio.

Synopsis Q. LXXXVI.

Pertinet similiter ad titulum de pœnis, Et quidem de membrorum amputatione, vel mutilatione, & quorum membrorum mutilatio permissa sit vel non sit. De capitis abscisione notatur, num. 2. & 15. in fine. Quam & aliorum membrorum amputatio, exacerbandæ capitalis pœnæ gratia nonnunquam præcedere solet num. 3. vbi exemplum huius rei in supplicio Idoli Dagon. De manus arefactione num. 5. amputatione d. num. 3. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 13. 24. Linguæ obmutescentia nu. 6. concisione d. num. 5. præcisione num. 18. pedis amputatione, num. 14. 24. digitorum d. num. 15. crurum & poplitum num. 16. virilium, num. 19. narium vel nasi num. 20. 24. 25. Aurium d. num. 24. De oculorum effossione, num. 21. 22. 23. oris meatuum obtusione, & liquidi plumbi infusione nu. 17. Et has pœnas meri esse imperij, docetur num. 1. Pertinet etiam ad titulum de pœnis. Item ad titulum de iurisdictione & imperio.

Synopsis Q. LXXXVII.

Pertinet similiter ad titulum de pœnis, & quidem manus, vtra videlicet amputanda sit, lege, statuto, vel consuetudine, manus amputationem irrogante. Hoc num. 1. definitur dupliciter, vt

vel

vel ea amputetur, quæ deliquit: vel arbitrio & electioni id rei delinquentis relinquatur. Aliter num. 2. vt imbecillior, minusq; valida amputetur. Aliter num. 3. vt validior amputetur. Qua tamen repudiata, superior, vt æquior & humanior, retinetur & comprobatur, num. 4. & 5. Quid si manus amputatione puniendus, vnicam tantum manum habeat? Et quidem eam vnicam amputandam, definitur num. 6. argumento textus ibi allegati. Non amputandam, sed pœnam commutandam in pecuniariam, definitur num. 7. Et quare. Nisi puniendus alteram, per delictum iam antè amisisset, vel condemnatio iam facta esset. Ita priorem sententiam Butrigarij limitat & declarat Sichard. num. 8.

Synopsis Q. LXXXVIII.

Pertinet ad titulum de furtis. Et quidem literario. Quod definitur cum varijs eiusdem appellationibus num. 1. Exempla eorum qui de hoc furto accusati et insimilati fuerunt, referuntur, n. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. vbi in fine remissio ad plura exempla. De horum pœna, eiusq; declaratione num. 13. Quibus auctarij loco, vtiles commonefactiones, ad eos, qui aliorum labores delibant, subijciuntur, num. 14. 15. 16.

Synopsis Q. LXXXIX.

Pertinet ad titulum de Iurisdictione, Et quidem prorogatione eius, quomodo scilicet, &

quàm variè ea fieri posſit. Quod sit quatuor modis. de persona ad personam, nu. 2. De re ad rem, num. 3. de tempore ad tempus, num. 4. de loco ad locum num. 5. Quod vltimum dupliciter contingit, vt docetur & declaratur d. nu. 5. & 6. Et fit prorogatio isthæc, vel tacitè vel expreſsè nu. 7. cuius tria requisita numerantur sub n. 8. & 9. Quibus omnibus, pro maiori euidentia, varia vocabuli iurisdictionis significata præmittuntur nu. 1.

Synopsis Q. XC.

Pertinet similiter ad titulum de iurisdictione, Et quidem ad eam speciem, quæ statutaria dicitur, ad quam Saxonicam refero. Quæ est bipartita, vna imperij, quæ vulgo appellatur iurisdictio superior vel pœnalis. Quæ definitur nu. 1. conferebatur olim non nisi à Rege vel summo Principe, hodie etiam ab alijs ordinibus imperij inferioribus, num. 2. Cuius exempla referuntur num. 3. & 4. Altera simplex iurisdictio, quæ definitur cum suis exemplis d. nu. 5. & 6.

Synopsis Q. XCI.

Pertinet similiter ad titulum de iurisdictione, tàm delegata, quàm ordinaria, Et quidem de probatione vtriusq; : Ordinaria probatur quindecim modis relatis ordine num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 15. cum 21 seqq. vsq; ad num. 37. exclusiuè. Exinde ad finem vsq; modi isti, quasi per anacephalæosin ex VVesenbec. & Chas. subyciuntur. De probatione

tione iurisdictionis delegatæ agitur nu. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Pertinet etiam ad titulum de Probationibus.

Synopsis Q. XCII.

Pertinet ad caput de Rubricis siue Titulis, quam videlicet vim & potestatem in decisionibus causarum habeant, & num instar textuum allegari possint. Quod definitur distinctione Rubricarum, in perfectas & imperfectas. Istarum nota, exempla & effectus referuntur num. 1. 2. 3. Harum, num. 4. 5. 6. Quibus num. 7. instar auctarij subnectuntur aliæ quæstiones de Rubricis, idq; remissiuè. Pertinet etiam ad titulum de allegationibus & disputationibus.

Synopsis Q. XCIII.

Pertinet ad titulum de Medicis, Et quidem cur Parabolani dicantur, quod quatuor diuersis opinionibus ostenditur, vna Cuiacij num. 3. & 1. Altera Accursij num. 4. tertia Alciati, num. 8, quarta Tiraquelli, num. 9. cum suis declarationibus & exemplificationibus interim adspersis.

Synopsis Q. XCIIII.

Pertinet ad titulum de Blasphemia, & blasphematoribus, Blasphemia definitur num. 1. Blasphematores num. 2. Aduersus quem committatur vel non, ostenditur num 3. 4. 5. Quomodo puniatur iure diuino, canonico, & ciuili num. 6. hodie vt plurimum, num. 7. Iure Gallicano nu. 8. Quomodo ex-

cusetur, num. 9. 10. num infamiam irroget damnato, num. 11. cuius fori, num. 12. num testes in ea probanda, reprobari posint remissiuè num. 13. Alia de pœna blasphematorum, & temerè iurantium remissiuè, n. 14. Pertinet etiam ad titulum de pœnis.

Synopsis Q. XCV.

Pertinet etiam ad titulum de Exhæredatione liberorum & parentum. Liberorum exhæredationis causæ 14. recensentur à princ. vsq; ad num. 25. exclusiuè. Exinde ad finem vsq;, octo exhæredationis parentum causæ subiiciuntur cum assignatione rationis diuersitatis, cur ex pluribus causis liberi, quàm parentes exhæredentur. Pertinet etiam ad titulum de pœnis.

Synopsis Q. XCVI.

Pertinet similiter ad titulum de exhæredatione liberorum & parentum, an videlicet liberi à parentibus vel econtra, ob similes vel graviores causas, quàm quæ supra q. proxima, relatæ sunt, exhæredari posint. Cuius affirmatiua defenditur quatuor fundamentis num. 1. 2. 3. 4. 5. relatis. Cuius assertores laudantur num. 6. non obstantibus in contrarium pro negatiua adductis, quibus respondetur num. 10. 11. 12. 13. Negatiuæ fundamenta duo & assertores referuntur num. 7. 8. & 9.

Synopsis Q. XCVII.

Pertinet principaliter ad titulum de Venatione, num videlicet à principibus, alijsq; superioribus,

ribus, sub edictis pœnalibus, subditis, & maximè ignobilibus, prohiberi possit. Et posse definitur num. 2. & 3. vbi sententiæ istius authores laudantur, per rationes & fundamenta tredecim relata num. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Cui tres limitationes & declarationes annectuntur n. 38. 39. 40. non posse, confirmant authores laudati num. 20. per rationes & fundamenta quatuor adducta num. 21. 22. 23. 24. Quibus vt irreleuantibus, nullius q; ponderis atq; momenti ad superiorem sententiam veriorem infringendam, respondetur num. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. Possunt tamen hæ duæ sententiæ fœdere distinctionis conciliari, vt affirmatiua procedat, si cum iusta causa Princeps venatum interdicat, quod semper facere præsumitur: negatiua verò procedat, si absq; iusta causa id faciat, quod non præsumitur. De qua distinctione sub num. 26. 27. 28. Atq; ita exaudiri velim sententiam d. num. 26. Pertinet etiam aliquo respectu ad titulum, de Principe: Item ad titulum de Rescriptis, Edictis, mandatis & proclamatis. Item ad titulum de pœnis item ad titulum de Magistratibus & superioribus.

Synopsis Q. XCVIII.

Pertinet similiter ad titulū de venationibus, & pœnis, eorum scilicet qui in Principum syluis & so-

& foreſtis, contra mandatum & edictum, venati ſunt. Et duo caſus diſtinguuntur. Aut certa in edicto pœna expreſſa non eſt: vtputa, ſi prohibitio facta ſit bey vermeydung vngnaden vnd höheſten ernſtlichen ſtraffen/aut expreſſa eſt, vtputa bey ſtraffe leibes vnd lebens/oder des ſtrangs. Primo caſu, accuſatione criminaliter intentata, pœna eſt, non ordinaria ſed arbitraria, temporalis videlicet carceris, temporalis relegationis cum fuſtigatione, mulcta pecuniaria, vel ſimilis, num. 1. 2. 3. & 4. pro ratione circumſtantiarum. Eaq; nec ad pœnam mortis h. e. ſuſpendij, per fundamenta ex Maranta & alijs adducta, num. 6. 7. 8. 9. 10. nec ad aliam corporis afflictiuam, puta ſtigmatias, cauterij, ferri candentis vel igniti, fronti vel maxillæ imprimendi num. 12. 15. non obſtantibus in contrarium adductis nu. 12. quibus ibidem reſpondetur: nec deniq; ad pœnam perpetui carceris, porrigi & extendi poteſt num. 14. 15. per rationes ibi adductas. Altero caſu, licet certa pœna in edicto prohibitorio expreſſa ſit, arbitraria tamen ſimiliter locum habebit, ſecundum V Vitebergenſes, num. 18. per rationes & fundamenta adducta, ſub num. 19. 20. 21. 22. 23. 24. Non obſtante ſententia Scabinorum Lipſenſium contraria, ſub num. 17. relata (vbi hoc caſu ſuſpendij pœnam cuidam adiudicârunt) propter fundamenta, dictis modo numeris adducta. Quibus omnibus auctarij vice, commonitio ad ſubditos de

ſupe-

superiorum edictis, etiam durioribus, propter Deum, & metum pœnarum, obtemperando, subijcitur nu. 25.

Synopsis Q. XCIX.

Pertinet ad titulum de Legitima, Et quidem coniugum. Quæ alia est secundum ius ciuile nouissimum num. 1. alia secundum statuta & consuetudines locorum, num. 2. alia item secundum constitutiones Electoris Saxonici, num. 3. Quibus nu. 4. subijcitur declaratio eius doctrinæ, qua dicitur, maritum de iure communi Saxonico, & constitutionum Electoris, in casu non existentium liberorum, lucrati bona mobilia vxoris, exceptis vtensilibus, vt scilicet tunc demum procedat, cum matrimonium per ingressum thori nuptialis est consummatum.

Synopsis Q. C.

Pertinet ad titulum de Doctoribus, num videlicet Iurisconsulti nomen, vel tituli gradusq; Doctoralis assumptio, & vsurpatio, nobilitatem dedecoret & offuscet. Et non dedecorare, ostenditur exemplis aliquot nobilium Romanorum imò etiam Imperatorum qui summæ laudis loco reputarunt, quod non ipsi modo Iureconsulti, sed à Iureconsultis etiam prognati fuerint. Vtputa exemplum Sexti AEmilij & Publij AEliorum, AElij Pati Tuberonis, Saluij Iuliani Seueri, Didij Iuliani & Imperatoris & Iurisconsulti celeberrimi,

Sexti

Sexti Papirij, Galli Aquilij, Sempronij Longi, Marci Sempronij Tuditani, Caij Longini, qui generis sui lineam, quod videlicet auo Q. Tuberone, & proauo Seruio Sulpitio, Iureconsultis clarissimis, prognatus esset cum singulari laude recensere solitus fuit, Marci Coccei Neruæ, M. Antonini Pij Imperatoris & Philosophi præstantißimi, qui Platonis illud semper in ore habuit: tum demum scilicet florere ciuitates, cum aut Philosophi imperârent, aut Imperatores philosopharentur, L. Drusi, Neratij Prisci, quem Traianus Imperij successorem designauit. Potest id ipsum etiam alijs recentioribus nostri temporis & maiorum nostrorum exemplis quam plurimis demonstrari, vt alibi à me (σὺν θεῷ) fiet. Pertinet etiam ad nitulum de nobilitate, & eobilibus.

Index Quæstionum

Quæ hac centuria prima explicantur.

Q. I.

SEcuritas siue saluus conductus semel concessus, vtrum indistincte seruari debeat?

Q. II.

Securitatis siue salui conductus violatores quomodo puniantur?

An

Q. III.

An iudici liceat promiſsionem indemnitatis aut remiſsionis culpæ, reo factam ad eliciendam confeſsionem imputati vel diffamati criminis, fallere, eaq; non attenta, ad pœnam confeſsi criminis procedere?

Q. IIII.

Num obligatio, cautio, vel promiſsio, de ſeruando conuenta, ſub clauſula: loco iuramenti: Item ſub interpoſitione fidei: Ich wil alles halten was ich zu geſagt habe an Eydesſtadt/ bey meinen trewen/ ehren/ würden vnd waren worten/ vnd glauben/ habeat vim iuramenti, vel ſaltem æquiparetur iuramento, verè & corporaliter præſtito?

Q. V.

Num conſtituti in publico officio, à ſpeciali Teſtium iuramento ſint immunes, ita, vt iuriiurando, quod in ingreſſu officij præſtiterunt, committi & relinqui poſsint?

Q. VI.

Num pro ſepultura aliquid exigi poſsit?

Q. VII.

An puniendi, vel ſupplicio deſtinati, etiam viui, medicis ad Anatomiam ſint concedendi? Q. VIII.

An punitorum, & maximè ſuſpenſorum, ſiue cruciariorum cadauera, Medicis ad anatomiam concedi debeant? An

Q. IX.

An cadauera suspensorum, rotæ impositorum, vel aliter punitorum, possint deponi & sepulturæ mandari, an verò in patibulo vel rota relinquenda sint?

Q. X.

Quæ reperiantur Remedia contra pestem in iure nostro?

Q. XI.

Num custodes, tempore pestis, portis adpositi & destinati, possint ab ingressu loci arcere quoscunque?

Q. XII.

An communitas teneatur domino ad precium bonorum, tempore pestis, pro expurganda domo infecta, à magistro sanitatis, combustorum?

Q. XIII.

Quales Medici ab ægrotis sint eligendi, & quibus virtutibus præditi esse debeant?

Q. XIV.

An Christianus ægrotus, se Medico Iudæo, curandum committere debeat?

Q. XV.

Num relegatio infamet?

Q. XVI.

Num carcer, custodia publica, vel vincula irrogent infamiam?

Quæ

Q. XVII.

Quæ sit optima cautela retinendi filium studentem in officio, & à luxuria, & inhonesta vita auocandi?

Q. XVIII.

Quid venditor in venditione equi præstare debeat, & ex quibus causis equus venditus redhiberi possit?

Q. XIX.

Quomodo denniatur carcer ab interpretibus nostris, & quotuplex sit?

Q. XX.

Quis vsus carceris, & num pœnæ vel supplicij loco irrogari possit?

Q. XXI.

Num debeatur Aduocato salarium siue honorarium, qui in causa succubuit?

Q. XXII.

An Doctores qui ex rescripto, & bulla, gradum acceperunt, priuilegijs & insignijs, Doctorum solemniter promotorum, gaudere debeant?

Q. XXIII.

Num quis hospites inuitus recipere cogatur.

Q. XXIV.

Quomodo puniendus sit Medicus, cuius imperitia mortuus est ægrotus?

Q. XXV.

An Medico forensi, ad certum diurnum solarium conducto, etiam pro itinere salarium debeatur?

Q. XXVI.

Quando, num in principio, medio, vel fine curæ, ab ægroto, Medico solarium sit exoluendum?

Q. XXVII.

Quantum salarij nomine Medico sit dandum?

Q. XXVIII.

Si medicus pro locorum distantia, per triduum in itinere commorari deberet, vsus felici duplomate, absoluat iter vno die, an vnius vel trium dierum salariũ petere possit?

Q. XXIX.

Quomodo puniendus sit Medicus protrahens curam, vt eò plus pecuniæ ab ægroto extorqueat, & bursam eius euacuet?

Q. XXX.

An Medicus prænoscens mortem ægrotantis vicinam, cuius curam habet, teneatur ei denunciare?

Q. XXXI.

An Medico, curato semel ægroto, & in pristinum morbum recidẽte, nouum salariũ debeatur, an verò ægrotum recidiuantẽ, pro eodem salario curare debeat? An

Q. XXXII.

An Medicus cogatur inuitus mederi?

Q. XXXIII.

An Medicus teneatur mederi gratis, an verò non nisi ob condignam mercedem?

Q. XXXIV.

Num clientes contrahentes, cum Aduocatis vel consultoribus, & numerum chartarum vel foliorum, pacisci debeant?

Q. XXXV.

Num iudex seu magistratus, inopi & pauperi sumptus litis subministrare debeat?

Q. XXXVI.

Quid sit beneficium Retentionis, quod habet creditor in bonis debitoris sui, & qua ratione id sit introductum & receptum?

Q. XXXVII.

Quæ sint priuilegia, fauores, & commoda paupertatis. Et in quibus casibus pauperes, melioris sint conditionis, quàm diuites?

Q. XXXVIII.

Quomodo paupertas, siue qualitas ista, pauperem quem esse, probanda sit?

Q. XXXIX.

Quæ sint odia & incommoda paupertatis, Et in quibus casibus, pauperes, deterioris sint conditionis, quam diuites?

Q. XL.

Regula illa trita & vulgata: Qui non habet in ære, luat in corpore; quomodo & in quibus casibus procedat, vel non procedat?

Q. XLI.

An Typographus siue librarius, auctori siue compositori, vltra cõstitutum precium, ad dationem aliquot exemplorum libri impressi, honorarij, auctarij vel corollarij loco, teneatur? Q. XLII.

Quomodo homicidium, à pluribus commissum, sit puniendum?

Q. XLIII.

Quando quis ob rationis vel iudicij defectum, intestabilis, vel non esse, hoc est, testamenti factionem actiuam, habere, vel non habere dicatur?

XLIV.

Quot sint gradus ætatis in iure nostro?

Q. XLV.

An hæredis institutio, vel legati relictum, blandis, amicis, & delenificis verbis causatũ, captatũ, ambitum, vel prouocatũ, validũ sit?

Q. XLVI.

Cui iuramentum suppletorium sit deferendum, Actorine, an verò Reo?

Q. XLVII.

Num testamentum inter liberos à patre vel

tre vel matre, coràm duobus teſtibus conditum, valeat?

Q. XLVIII.

Num teſtamentum inter liberos, manu patris vel matris, in ſchedula quadam conſcriptum valeat, etiam nullis teſtibus adhibitis? *Q. XLIX.*

Qua forma hodie teſtamenta in ſcriptis, vſitatè celebrentur?

L.

An mortuo vno teſte teſtamentario ante teſtatorem, vel ante apertas tabulas, & recognitionem ſigillorum, totum teſtamentum corruat: & poſito corruere, num aliquo modo euentus iſte, & periculum nullitatis præcaueri poſsit?

LI.

Qua ratione primum teſtamenta in ſcriptis adinuenta, introducta, & vſurpata fuerint? *LII.*

An, quod in l. 4. de in ius vocando, cautum eſt, parentes ſine venia & permiſſu prætoris in ius vocari non poſſe, porrigatur etiam ad parentes ſpirituales, ſiue luſtricos, qui nos de ſancto baptiſmate leuârunt, quos vſitatè ſuſceptores & compatres, Germanicè Pathen/ Gefattern/ vocamus?

Q. LIII.

An, quod in l. 4. & l. 13. de in ius vocando, cautum est, parentes, & reliquas personas, quibus reuerentia præstanda est, sine venia & permissu prætoris, in ius vocari non posse, porrigatur etiam ad ciuitatem, Rempublicam siue patriam, ita vt hæc, ad instar parentis, à ciuibus siue subditis, sine venia in ius vocari non possit?

Q. LIV.

An, quod in l. 4. & 13. de in ius vocando, cautum est, parentes, similesq; personas, quibus reuerentia debetur, sine venia & permissu prætoris, in ius vocari non posse, porrigatur etiam ad præceptores?

Q. LV.

An, quod in l. 4. & 13. de in ius vocando, cautum est, patronos, similesq; personas, quibus reuerentia, sine venia & permissu prætoris, in ius vocari non posse, porrigatur etiam ad dominum feudi & vasallum?

Q. LVI.

An quis ex domo sua inuitus extrahi, & in ius vocari possit?

Q. LVII.

Qui priuilegium siue exceptionem fori habeant, & quomodo huic renunciare possint?

LVIII.

An

An citatus à iudice quocunq; ad euitandam pœnam contumaciæ, vel allegandum suum, si quod habet, priuilegium, comparêre debeat, vel non debeat?

Q. LIX.

Quæ sint iustæ excusationis causæ, quæ citatum à pœnis contumaciæ releuant & excusant?

Q. LX.

Quomodo puniendus sit, qui iudici, eiúsue satellitio, ministerio, vel custodiæ, quem exemerit?

Q. LXI.

Quomodo definiantur feriæ, & quot sint genera earum?

Q. LXII.

Num exceptio feriarum prosit etiam ijs, qui ipsi in messibus occupati non sunt?

Q. LXIII.

An libellus, partium siue litigatorum renunciatione siue pactione, omitti possit?

Q. LXIV.

Quæ sit optima libelli definitio?

Q. LXV.

Quamdiu emendatio & mutatio actionis, siue libelli, concessa sit?

Q. LXVI.

Quæ actiones vno eodemq; libello cumu-

lari,coniungi,& coaceruari posſint, & quæ non posſint?

Q. LXVII.

Quæ & quales clauſulæ (quas vulgò ſaluantes & ſalutares adpellant) libellis vtiliter adijci posſint?

Q. LXVIII.

Qui dicantur Argentarij in iure noſtro aliiſq; auctoribus, & quam variè,quæque eorum ſit profeſsio & officium?

LXIX.

Quod ſit Aduocatorum & Procuratorum officium & quomodo inter ſe differant?

Q. LXX.

Quomodo puniendi ſint, qui bina ſponſalia,vel binas nuptias eodem tempore celebrârunt?

LXXI.

Qui facti infamia notentur?

LXXII.

Quomodo accipiendum ſit,quod vulgò iactatur,Principem legibus ſolutum eſſe?

LXXIII.

Quæ ad introducendam conſuetudinem requirantur?

Q. LXXIV.

An & quando naſcendus pro nato habeatur? An er-

Q. LXXV.

An error, in literis vel in constructione cõmissus, viciet rescripta Principis & Papæ?

LXXVI.

Hermaphroditi, cui sexui annumerandi, num homines, an verò monstra, reputandi, & quomodo generentur, & quæ sit causa generationis eorum?

Q. LXXVII.

Qui dicantur iusti liberi & intra quod tẽpus, iustus & legitimus partus nasci possit vel non possit? Q. LXXVIII.

Quæ requirantur ad publicationem, aperturam & resignationem testamenti in scriptis?

Q. LXXIX.

Si mulier, defuncto marito, alteri statim nupta, nono postea mense pariat, vtri sit tribuendus partus?

Q. LXXX.

Cur aliàs patri, aliàs matri, partus sit similior? Q. LXXXI.

Monstrosi vel portentosi partus, quando prosint vel non prosint, & quomodo ostenta, portenta, monstra & prodigia inter se differant?

Q. LXXXII.

Quibus hodie modis liberorum emancipatio fieri posit ?

Q. LXXXIII.

Quomodo sacrilegium iure ciuili, quomodo item iure Pontificio definiatur ?

Q. LXXXIV.

Num animal brutum & irrationale delinquens, puta hominem interficiendo, coitum humanum admittendo, vel simile quid committendo, pœna mortis adfici debeat ?

Q. LXXXV.

Num merum imperium, in corpus mortuum exerceri posit, siue num cadauer hominis mortui, pœna adfici posit ?

Q. LXXXVI.

Num membri alicuius abscisio, metu sit imperij, & quorum membrorum mutilatio permissa sit vel non sit ?

Q. LXXXVII.

Si lex, consuetudo, vel statutum, irroget manus amputationem, vtra sit amputanda. Et si delinquens vnicam tantum habeat manum, nunquid ea sit amputanda ?

Q. LXXXVIII.

Furtũ literariũ quale sit, & à quibus commissum? Q. LXXXIX.

Quibus modis, siue quàm variè, prorogatio Iurisdictionis fieri posit?

Q. XC.

Iurisdictio Saxonica quotuplex sit, & quæ eius exempla?

Q. XCI.

Quomodo Iurisdictio probanda sit?

Q. XCII.

An & quando Rubricæ ad decisiones causarum, ad instar textuum, allegari possint?

Q. XCIII.

Cur Medici dicantur Parabolani?

Q. XCIV.

Quomodo, & in quos blasphemia committatur, & quomodo puniatur?

XCV.

Quæ sint iustæ exhæredationis causæ, propter quas parentes liberos, & econtrà liberi parentes rectè exhæredare possint?

Q. XCVI.

Num liberi a parentibus ob causas æquè graues vel grauiores, quàm quæ suprà quæstione proximè præcedente, enumeratæ sunt, exhæredari possint?

Q. XCVII.

An principes, alijq; superiores & Domini terrarum, subditis suis, maximè ignobilibus, edictis, vel proclamatis, etiam pœnalibꝰ, venationis vsum interdicere possint?

Quo-

XCVIII.

Quomodo puniendi sint, qui in Principum syluis & foreſtis, in Forſt vnnd Gehege/ (vt adpellant,) contra mandatum siue edictum, venati fuerint, wie die zu ſtraffen/ welche in einem Forſt vnd Gehege/ wider außgegangene der Obrigkeit Mandat vnd verbot/ wilpreth/ geſchoſſen oder gefangen haben.

Q. XCIX.

Quæ sit legitima coniugum?

C.

An dignitas Doctoralis, officiat nobilitati; vel num tituli, graduſq; Doctoralis adſumptio, nobilitatem dedecoret & offuſcet?

Index Rubricarum

Siue Titulorum generalium iuxta ſeriem Alphabeti digeſtus, ad quos ſingulæ hactenus enumeratæ quæſtiones, habito diligenter reſpectu ſubiecti & prædicati, veluti ad ſedes ſuas ordinarias, rectiſsimè referri poſſunt.

A.

Titulus.

De Actionibus. Huc pertinet quæſt. 65. 66. 18. quatenus ſcilicet agit de redhibitoria in factum actione.

De

De Aduocatis & Procuratoribus. Huc pertinet quæst. 21.96.

De AEgris, ægrotis, ægrotantibus & infirmis. Huc pertinet q. 13. 14. 24.

De AEtate hominum eiusq; gradibus & distinctionibus. Huc pertinet q. 44.

De Allegationibus & disputationibus. Huc pertinet q. 92.

De Anatomia & sectionibus. Huc pertinet q. 7. & 8.

De Argentarijs, Mensarijs, & Nummularijs. Huc pertinet q. 78.

B

De Blasphemia & Blasphematoribus. Huc pertinet q. 94.

De Brutis, & irrationabilibus animantibus. Huc pertinet q. 84.

C

De cadaueribus punitorum. Huc pertinet q. 8. & 9.

De carcere, custodia, & vinculis. Huc pertinet q. 16. 19. 20. 60.

De cautelis. Huc pertinet q. 17. 50. (quoad vltimam partem)

De cautionibus, promissionibus, & satisdationibus. Huc pertinet q. 4. 1. 2.

De ciuitate, Reipublica, vel cõmunione. Huc pertinet q. 12. 53.

De

De Clausulis. Huc pertinet q. 67.
De Clientibus. Huc pertinet q. 34.
De Comparitione. Huc pertinet q. 58.
De Consuetudine. Huc pertinet q. 73.
De Contractibus, Pactis, & Conuentionibus. Huc pertinet q. 34. 41. 63.
De Contumacia. Huc pertinet q. 58. 59.
De Creditoribus & debitoribus. Huc pertinet q. 36.
De Custodia & custodibus portarum. Huc pertinet q. 11.

D

De damnatis & supplicio destinatis. Huc pertinet q. 7.
De Definitionibus. Huc pertinet q. 64.
De Doctoribus. Huc pertinet q. 22. & 100.
De Dolo bono. Huc pertinet. q. 17.

E

De Edendo. Huc pertinet q. 63.
De Emancipationibus. Huc pertinet q. 82.
De Emptione & venditione. Huc pertinet q. 6. 18.
De Equis. Huc pertinet q. 18.
De Errore. Huc pertinet q. 75.
De Exceptionibus. Huc pertinet q. 36. 57. 62.
De Exhæredationibus. Huc pertinet q. 95. 96.
De Excusationibus. Huc pertinet q. 59.

De

F

De Feriis. Huc pertinet q. 61 62.
De Furtis & furibus. Huc pertinet q. 88.

H

De Hospitibus, hospitijs, & iure hospitandi. Huc pertinet q. 23.
De Hermaphroditis sive Androgynis. Huc pertinet q. 76.

I

De Imperitia. Huc pertinet q. 24.
De Indicationibus & denunciationibus. Huc pertinet q. 50.
De Infamia & infamibus. Huc pertinet q. 15. 16. 71.
De in Ius vocatione & citationibus. Huc pertinet q. 52. 53. 54. 55. 56. 58.
De Institutionib9 hæredũ. Huc pertinet q. 45.
De Iudicibus. Huc pertinet q. 3. & 35.
De Iuramentis. Huc pertinet q. 4. 5. 46.
De Iurisdictione & Imperio. Huc pertinet q. 85. 86. 89. 90. 91.

L

De Legatis. Huc pertinet q. 45.
De Legitima. Huc pertinet q. 99.
De Libellis. Huc pertinet q. 63. 64. 65. 66. 67.
De Liberis. Huc pertinet q. 74. 77. 79. 80. 81.

M

De Magistratibus & superioribus. Huc pertinet q. 97.

De Medicis. Huc pertinet q. 13. 14. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 93.

De Monstris, Portentis, ostentis & Prodigijs. Huc pertinet q. 81.

N

De Nobilitate & Nobilibus. Huc pertinet q. 100.

De Nuptijs. Huc pertinet q. 70.

O

De obligationibus. Huc pertinet q. 12. 41.

P

De Parentibus. Huc pertinet q. 52.

De patria. Huc pertinet q. 53.

De Paupertate & Pauperibus. Huc pertinet q. 35. 37. 38. 39.

De peste. Huc pertinet q. 11. 12.

De pœnis. Huc pertinet q. 2. 20. 24. 29. 40. 42. 58. 59. 60. 70. 84. 85. 86. 87. 94. 95. 97. 98.

De Polygamia. Huc pertinet q. 70.

De præceptoribus & Discipulis. Huc pertinet q. 54.

De Priuilegijs. Huc pertinet q. 23. 37. 57. 72.

De Probationibus. Huc pertinet q. 38. 91.

De

R

De Regulis Iuris. Huc pertinet q. 40.

De Relegatione. Huc pertinet q.15.

De Renunciationibus. Huc pertinet q. 57. 63.

De Rescriptis, Edictis, Mandatis, Proclamatis magistratuum. Huc pertinet q.75. 97.98.

S

De Sacrilegio & Sacrilegis. Huc pertinet q. 83.

De Saluo conductu, Salua guardia, securitate. Huc pertinet q. 1.2.

De Sepulturis. Huc pertinet q.6.9.

De Simonia. Huc pertinet q.6.

De Sumptibus & Expensis litis. Huc pertinet q.35.

De Susceptoribus & Compatribus, von Patthen vnd Gefattern. *Huc pertinet q.52.*

De Syluis & Forestis, von Forst vnd Gehegē. *Huc pertinet q.98.*

T

De Testamentis. Huc pertinet q. 43.47. 48.49. 50.51.78.

De Testibus. Huc pertinet q.50.

De Titulis & Rubricis. Huc pertinet q. 92.

De Typographis & Librarijs. Huc pertinet q. 41.

V

De Venationibus. Huc pertinet q. 97. 98.

ἰδὼν τὸ τέρμα, τὴν
δόξαν θεῷ δίδου.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-22924/fragment/page=0836



Menda ac errata in locis hic asſignatis ita corrigantur.

Q.1.fol.2.lin.vlt.pro (&) lege,de,fol.3.lin.15.pro (2.) lege 3. fol.6. lin. 20.pro (index) lege iudex.Q.5. fol. 19. lin. 3. pro (diſpoſitionis) lege depoſitionis fol. 39. lin. 21. pro (meritorum) lege meritorum fol.42. lin.39.pro (infeſti) lege, infecti. q. 11 fol. 47.lin.19. pro (immiſſorijs) iege,dimiſſorijs. q.14.fol. 55.lin.23. pro (azima) lege, azima. q. 15. fol. 56. lin. 47. pro (ſoal) lege,ſola. q. 21. fol.64. lin. 27. pro (abierit) lege, obierit. q. 23.fol.67.lin.14.pro (ſpidemet)lege, epidemet & lin. 23. pro (contractum) lege contractuum. q. 27.fol.74.lin.1.& 2.expungenda ſunt illa verba: (viginti minores decem annis.) Et poſt verbum (decem) quod ſequitur, duo puncta collocanda. & lin.6. poſt verbum (quinquaginta) duo puncta collocanda. Et eádem lin.poſt verbum,(cum artificio) comma collocandũ.Et eodem fol lin.44.pro (πέδρες) lege, πέσρες. q. 36.fol.94 lin.22.redundat verbum (rectè) quod eſt expungendum. q. 37. fol. 97. lin. 8. pro (praſcriptorum) lege proſcriptorum. fol. 98. lin. 43.pro (mun.) lege,num. q. 39. fol. 108. lin. vlt. pro (homicidiam) lege,homicidam. q.40. fol. 109. lin. 8, pro (committendam) lege,commutandam, fol.110.lin. 37 pro (inducatas) lege,induratas. fol. 111. lin. 9. pro (leuitatem) lege,lenitatem. q. 42.fol.118.lin. 21. pro (praſumatus) lege,praſumatur. q. 52.fol.158.lin.vlt. pro (allegata) lege,allegato. q.54.in Rubric.pro (Vacari) lege,Vocari. q. 56. fol.172. lin. 14. pro (δίδετ) lege, δίδοτω. q. 57.fol.182. lin. 39. pro (quod) lege quid. q. 59.fol.193.lin.37 pro (exceptionis)lege, excuſationis. q. 61.fol.200.lin.43.pro (ἡμερῶν) lege, (ἡμέρων.) q. 64.fol.206.lin.5. pro (quod) lege,quid.

q.73.fol.

q. 73 fol. 242. lin. 23. pro (imsitio.) lege, impositio q. 75. fol. 255. li. 47. pro (inutils) lege, mutili. q. 78. fol. 265. rota linea 26. vt superflua. & bis posita, delēda est. fol. 267. lin. 10. pro (nobilitater) lege, notabilster. q. 79. fol. 268. linea vltima numerus octauus præfigi debet, qui est omissus. Et lin. 45. pro (spurius & illegitimus) lege, spurius non sit, sed legitimus. sub fol. 280. quotatio quæstionis (82) mutanda in 83. q. 88. fol. 302. lin. pen. pro (plærumque) lege, plenumque. q. 90. fol. 306. colum. 2. lin. 2. pro (diuidetur) lege, diuiditur. & lin. 18. pro (bluthan) lege, bluthan. Et fol. 309. col. 1. lin. 2. pro (consutiones) lege, contusiones. q. 93. fol. 319. lin. 9. pro (quo) lege, cui. q. 94. fol. 322. lin. 8. pro (S. fin. h. N. n.) lege S. fin. n. 77. fol. 321. lin. 2. pro (blasphemius) lege, blasphemus. q. 97. fol. 336. lin. 27. in princ. omissus est num. 4. fol. 340. linea 4. in princ. pro (decimo) lege, duodecimo fol. 347. lin. 40. pro (tempore) lege, tempora. q. 98. fol. 351. lin. 19. pro (adductus) lege, adductis. fol. 355. lin. 27. pro (leuitatem) lege, lenitatem. fol. 356. lin. 4. pro (afflicturam) lege, afflictuam. fol. 358. lin. 27. pro (tamen) lege, tantum. fol. 359. lin. 16. pro (qui) lege, qua. q. 99 fol. 361. lin. antepen. pro (consummata) lege, consummato. q. 100 fol. 362 col. 2. lin. 15. pro (difficere) lege, deficere. fol. 363. col. 2. lin. 8. pro (capescenda) lege, capessenda. fol. 365. col. 2. lin. 8. pro (humana ratione) lege, humana rationis. fol. 367. col. 1. lin. 8. pro (frateri) lege, fateri. fol. 369. col. 2. lin. 21. omissum est verbum (loco) post verbum laudis, collocandum. fol. 372. col. 1. lin. 16. pro (Nerum) lege Nexum.

Menda Synopseos.

Synops. 5. lin. 7. pro (et) lege, d. & lin. 8. pro (Episcopiū) lege, Episcopi & lin. 10. pro (Episcopi) lege, Episcopiū. Synops. 6. lin. 15. inter dictiones vt & eius, omissa est vocula (ad) & lin. 20. pro (et) lege, d. Synops. 28. lin. 2. superabundat particula (ita) Synops. 31. lin. 14. pro

pro (tenetur) lege, teneatur. Synops. 50. lin. 7. pro (quoad) lege, quod Synops. 79. lin. pen. pro (cognitione) lege, cogitatione. Synops. 93. lin. 8it. pro (exemplificationibus) lege, explicationibus. Synops. 95. li 1. abundat particula (etiam) Synops. 100. lin. 8it. pro (titulum) lege, titulum.

136791

X2428603

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-22924/fragment/page=0843

Quæstionum Iuri-
CAESAREI, PON-
TIFICII, ET SA-
xonici,
Centuria vna
OPVS TAM PRACTICIS ET forensibus, quàm Scholasticis, & Theoricis studys operam nauantibus, adprimè vtile, iucundum & necessarium,
Authore
EBERHARDO SPECKHAN, Patricio Bremensi I. V. D. & Professore in Illustri Iulia Academia, quæ est Helmæstadij.
ACCESSERVNT PERIOCHAE SIVE
Summaria synoptica singularum Quæstionum, quibus

Farbkarte #13
B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Centimeters
Inches

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-22924/fragment/page=0845